


M. TULLII CICERONIS

ORATIONES SELECTAE XV.

M. TULLII CICERONIS

ORATIONES SELECTAE XV.

IN C. VERREM LIBER IV. PRO A. CAECINA. PRO LEGE MANILIA. PRO C. RABIRIO. IN CATILINAM IV. PRO P. SULLA. PRO Q. LIGARIO. PRO REGE DEIOTARO. PHILIPP. I. II. XIV. PRO ARCHIA.

RECOGNOVIT ET EMENDAVIT

PARTIM EX CODD.

NUNC PRIMUM COLLATIS

IO. CASP. ORELLIUS.

TURICI

EX OFFICINA SCHULTHESSIANA

MDCCCXXXVI.

PRAEFATIO.

Cum in similibus selectarum Ciceronis orationum συναγωγαῖς praeteritae sint Verrinae et, si excipiam Madvigii *) curam praestantem illam quidem, sed omni explicatione carentem, Philippicae, simul novam omnium Tullii scriptorum ἔκδοσιν lente praeparaturus, eiusmodi corpus in usum praesertim Turicensis scholae atque Academiae edere statui. Brevior consulto fui, quo et plures orationes modico volumine comprehenderentur nec magistris ea, quae viva voce tradenda sunt, commentarii praeciperent, auditores tamen manu quasi ducerentur ad recte intelligendas res historici potissimum argumenti. In singulis autem orationibus diversa via ac ratione κρίσιν adhibui, ut iubebant subsidia, quibus in quaque ut primus uterer, contigit.

Iam cum libellus absolutus esset usque ad Archianam, nactus sum Klotzianae Editionis volumen primum. Mei igitur officii esse duxi excerpere ex ea lectiones, in quibus a mea recognitione abit. Asterisco eas distinxi, quas meis praestabiliores iudico: reiicio alias, in aliis ἐπέχω. Sed quantum emolumentum Ciceroni allatura sit aliquando egregii Critici Lipsiensis cura, laeto animo iam nunc agnosco et antevideo.

*) M. Tullii Ciceronis Orationes selectae duodecim. Recognovit et emendavit D. Ioannes Nicolaus Madvig. Hauniae MDCCCXXX. 8.

Pro A. Caecina. § 2. *sin e consuetudine.* — * *aut idem possit in iudicio.* Me invito volgaris ordo in contextu remansit. — § 4. * *tamen ab se.* — § 6. *anquisivisse.* — § 7. *at de eadem hac, quia.* Praestat, opinor, nostra lectio propior lectioni Cod. Erf. et scripturae Palimpsesti, cuius librarius dedita opera errorem correxit. — Ib. *uno, si id.* Non perspexit glossematis originem a nobis detectam. — Ibid. *delictum gravius* error typ. pro *d. maius.* — § 8. *Ex facto.* — *leviore.* — § 11. *difficillumis.* — § 17. *mercedem esse.* — Ib. *susceperat* gloss. pro: *ceperat.* — § 19. * *inquit, eius fundi.* Sic restituendum in hac Ed. pro: *inquit, fundi.* — § 20. * *experiri tamen. De castello* Erf. Optime. — § 23. *sublevavit ibidem*, sed in Praef. praefert *sublevat.* — § 25. *se ipse facinoris arguit.* Garatonii emendatio propius accedit ad Erf. corruptelam. — § 27. * *malum minaretur, hoc est, mortem minaretur* Erf. — § 29. *minus condemnarent.* — § 30. *quid causae optaret.* Verum non magis usitatum hoc est, *optare aliquid causae*, quam volgatum *quid causa optaret.* Cicero scripsisse videtur: *quid causae opitularetur.* — § 33. *animadvertenda videatur.* — § 34. *ut hoc genus.* — § 35. * *Quom ita:* — *quid ad.* — § 37. * *Deiicitur. Omnino. Iam.* — § 39. * *ut distare.* — *verum adspicere.* — § 40. *hoc est periculosum* Palimps. — * *illud est turpissimum* Erf. sicque repone in hac Ed. — § 41. * *saucius.* — § 41. *relinquent* Erf. — § 43. *Quid? si vi.* — § 49. *controversiam.* — § 52. *hercule.* — § 54. *QUANDOQUE TE.* — § 55. *intellegitis.* — *velimus.* — § 57. *proposuerint, ut sive me tu deieceris.* — § 59. *non ut vis.* — § 60. *te dicis.* — § 62. *iudicarentur.* — § 63. *pertineret* Palimps. pro *pertinet.* Sed hoc discrimen interesse videtur: „*Vim*, id est, actionem, *quae* per se *ad caput ac vitam pertinet:*" „*vim* eius generis, *quae ad caput ac vitam pertineret*,

(cum alia vis ad caput non pertineat.)" Ideo generalem sententiam etiamnunc praefero. — *inermibus.* — * *in interdicto* Palimps. — 64. * *et cum saxis* Palimps. — § 65. * *bonique.* Sic ego quoque volebam. — § 66. *hae partes.* — *haec interdictum praetoris vindicare.* — § 67. *antea commemoravi.* — *quod defendes.* — § 68. *nec hoc debent dicere iuri civili.* — *iudicare* bis. — § 71. *interponi.* — § 73. * *potuit, is ipse* coni. — § 74. ita distinxit: *quae, cum omnia tua, iure mancipi sint:* sed ipse quoque de lect. veritate dubitat. — § 75. *dimittetur.* — § 76. Locum desperatum sic restituere conatus est: *tu igitur, si aequom est esse vim non in caede solum, sed etiam in animo, ibi dicis, nisi cruor appareat, vim non esse factam, si verum est deiectum esse, qui prohibitus sit, ibi dicis, nisi ex eo loco, ubi vestigium impresserit, deiici neminem posse. si iuris retinere sententiam et aequitatem plurumum valere oportet, ibi dicis verbo ac littera ius omne torqueri. Vos statuite, recuperatores, utra verior res esse videatur.* — § 77. *non vereor.* — § 79. *nostrum nominetis.* In hac Ed. signum corruptelae ante v. *vestrum* delendum est. — *omnibus quidque.* — § 84. In hac Ed. lege *intercludere* pro *includere.* — § 85. *non modo non inventorem;* sed in Praef. probat lect. Erf. a nobis receptam. — *neve in.* — Dicit Erf. habere *cum interdixerit* idque recepit; sed in meo certe Wunderi Var. Lectt. exemplo est longe verius illud *cum intererit* scil. statuere, de quo loco actum sit. — § 86. *quo venisset, vi deiectus esset.* In Praefat. nostram lect. probat. — § 87. v. 9. Lege in hac Ed. *ab eo* pro *eo ab.* et v. 12. *restituerer* pro *restitueret.* — *unde deiecti* * * ? *ab.* — § 88. * *hoc uno verbo* UNDE *significari.* — *unde deiecisti.* — § 89. *es, eo.* — § 90. *nisi inde, ubi esset; iam, qui possideat, eum, etiam si non fuerit in eo loco, deiici posse concedis, eum - - - posse.* —

, sponsione. — negas deinde qui non possideat. —— § 92.
ansola. —" possedisse: NEC VI NEC CLAM NEC PRECARIO
[illegible]ANDERIT. Erf. — sponsione. — § 95. [illegible] causa
[illegible]ultumque, quasi sic haberet Erf., certe contra Wunderi
[illegible]ritatem. Rectissime iam Ernestius: „Ea formula nota:
[illegible]dum destituere." — " utrum hoc. — § 95. amicorum,
[illegible]tium de ipsius C. Aquilii. — § 96. atque firmum. —— § 97.
decemviris religionis iniecisset pro: d. religionem iniecisset.
Sed quovis pignore contendo, bonum librarium, praesertim
[illegible]um vim v. religionem iniicere haud assecutus esset, somniasse
de religionis decemviris, den Decemvirn der Religion, dece-
[illegible] Romano Verr. 4. 49. 108. ex amplissimo collegio de-
[illegible], Religionis (aliquid) iniicere alicui equi-
[illegible] non auderem. — vestrum. Certo. Quare. In
[illegible] repeti: quod ego commemorem? Dubium est nemini
[illegible] autem Certo sic posito apud Ciceronem, ut
[illegible] vehementer dubito. — § 99. * noluerit. —
[illegible] narrant. — § 100 protulerunt. - aut
[illegible] § 101. * nostri iudicii. — * neque
[illegible] Latet alior corruptela. —
[illegible] quod virtuti hominum trib.
[illegible] alla virtù degli
[illegible] § 103 [illegible] § 104. [illegible] Sec. XV.: [illegible]
[illegible]
[illegible] apud. — esse dure-
[illegible] corrupta. — tota
[illegible] civitates
[illegible] 135. quae
[illegible] cura-
[illegible] nra.
[illegible] error
[illegible]
[illegible] Consilio pro-
[illegible]

nomina variavit Cicero. — § 11. *navicularüs nostris.* — * *milibus civium Ro.*; ut ego quoque volueram, sed operae non obtemperarunt. — *imminutam civium Ro.* — *ereptam vitam.* — § 14. *exportentur.* — § 15. *pecora.* — § 16. *quo tandem animo.* — *in silvis* ex Hotomani coni. — *civium coniunctae cum.* — § 21. * *studio atque odio inflammata.* Colon. Hittorp. — *antea.* — *haec esse.* — § 22. *colligunt diligentius.* — *in perseq.* — *retardavit.* — § 23. *quae animos.* — § 24. *ex eius.* — *ut his.* — § 25. *aures Luculli imperatoris.* — § 28. *ex civitatibus.* — § 30. *iter in Hispaniam.* — § 31. * *in singulis oris omnes.* — § 33. *ac spiritum.* — § 37. * *ullo in numero.* — *nemo potest.* — § 38. * *fecerint.* — § 39. * *inaudita quaedam.* Errore typogr. excidit *quaedam* in hac Ed. — § 41. *in his.* — *lucem afferre coepit.* — § 42. *cognostis.* — § 44. *quantum huius auctoritas.* — § 45. * *nisi ad ipsum discrimen eius temporis.* Cfr. tamen Catil. 1, 4, 10. *id temporis.* — § 48. *praedicaturus, Quirites.* — § 51. *cognoscitis.* — § 52. *eam legem.* — § 54. *unquam antea tam tenuis, tam.* — § 57. *verius est.* — *gloriae eius.* — § 58. *cuiusquam, Quirites.* — § 59. *in eo ipso.* — § 61. *in ea provincia.* — *omnium etiam.* In mea adnotatione corrige: *omni etiam*] Sic scripsi. *omnium etiam* E. *etiam omni* Ern. — § 67. *et quibus condic.* — § 70. *honores.*

Pro Q. Ligario. § 1. *est, opinor.* — *necessarius C. Pansa.* — § 3. *cum Q. Ligarius,* — *et ad.* — *quod a privato clamore.* Si *privato consensu* dixit in Sestianae § 27., non inde sequitur, ut miro prorsus modo etiam *privato clamore, privato ululatu, risu* ac similia dicere in animum induxerit. Praeterea Atius tunc revera erat homo privatus, quamquam contrarium tradit Klotzius p. LXXV. Erat scil. praetorius, provinciamque Africam ex praetura obtinuerat, sed eo tempore, de quo loquitur Cicero, magistratum non

gerebat. — § 5. *quod post.* — *Uticae potius quam.* — § 6. *decorandum, cum M. Cicero* — *ut populus hoc.* — § 7. *laureatos fasces.* — § 8. *non dubitem dicere, de Ligarii audeam confiteri.* — § 9. *in Africa Ligarium?* — § 10. *acuit.* — *dicam.* — § 11. *incitari solent odio.* — *avunculo tuo.* — § 12. *id non.* — *mihi sunt omnia.* — § 13. *ignoscat.*—*oppugnabis.* Orta est haec lectio ex seq. *oppugnari.*— § 14. * *misereat.* — § 15. *quam tu.* — § 16. *aliud est nolle.* — * *Tunc diceres.* — *in Africa Ligarius.* — § 17. *vocasti.* — *quaeratur.* — § 18. *tuus invictus.* — 19. *cum me ut.* Sed varietas Wunderi refertur ad seqq. vv. *cum tot sceleratos* pro *si tot scel.* Ern. — *si tot.* — § 20. * *senatus idem.* — *item* in meam Ed. me invito irrepsit ex Weiskii Ed., quam operis tradideram. Est Patricii coni. — * *tunc p.* — § 22. *est illum.* — § 23. *illud se.* — *vestra, Tubero.* — § 24. *non tam propter id ne.* — *facturus esse.* Cum Codd. Leid. et Gud. *f. fuisse* tueantur (id quod etiam per se unice rectum est): merus error Erf. censendus est *f. esse.* — * *voluntas, conventus.* — *non dubitem.* — *prohibiti, ut perhibetis.* Optime Madvigius Opuscc. Acad. p. 199. demonstravit v. *perhibere* hoc significatu alienum esse a consuetudine Tulliana; in prosa scil. oratione; nam Arat. 447.: *Cum quibus, ut perhibent, ausast contendere forma;* et controversus omnino est locus de Finn. 2, 5, 15. *Heraclitus, cognomento σκοτεινός qui perhibetur.* — § 25. *quae est haec ergo.* — *prohibitos esse vos.* — *si velitis gloriari per.* — *udituros, etiamsi - - essetis.* — § 26. *probarim.* — *quisque istud.* — *a quibus partibus.* — § 27. *Tuberonis fuit.* — *secutus erat.* — § 28. *in causa fuistis* — *tantummodo in p. e., a. v. a c. abhorrebant* — *an, ut fit - - in reliquis; omnes enim v. st. tenebamur?* — *veneras.* — § 30. *non acerbus fuit, tametsi totus.* — * *apud*

parentem. — § 31. *nec in hac.* — *sed quae illius causa, pro.* — *beatiores esse illi.* — *fruuntur.* — *apud te rogantium causas.* — § 32. *ac robur.* — *optumos.* Mihi videtur accommodatio ad v. *homines.* — §. 33. *e civ.* — *Nam quodvis.* — * *hunc splendorem omnium, hanc Brocchorum domum.* — *qui tecum.* — *minabamur.* Hoc certe secum communicare Cicero nec voluit nec potuit. — § 34. * *fuisset futurus.* — § 35. *dissenserit.* Praefero etiamnunc v. aliquanto lenius et de fratribus aptius *discesserit.* Brut. § 273. *M. Caelius discessu meo discessit a sese.* — *qualis T. Ligarius.* — *officio cogitantem.* — § 36. *eum studiosum.* — * *sibi ipsos.* — § 37. *clarissimo M. Marcello.* — *et populo Ro.* — § 38. *Nihil habet, Caesar, nec.*

Pro rege Deiotaro. § 1. *videtur.* — § 2. * *et scelere.* — § 4. *tua, C. Caesar.* — § 6. *causam, C. Caesar.* — § 8. *afflictum.* — *et clementiam.* — § 9. *facile orari.* — *daturum esse.* — *si cum auxilia.* — *ipse tamen.* — § 10. *progressus est.* — * *quique cum illum - - - versati, cum audiret.* — § 11. *sumpta esse* — *veri nuncii.* (*esse* et *nuncii* in Erf. tamquam gloss. superscripta) — *ad eum legati* — § 12. *Quanto - - tanto.* Erf. — § 13. * *atque Alex. b. gerente te.* — § 14. *regis honore et nomine.* — § 15. * *a quo rex.* In mea Ed. *a* excidit err. typogr. — § 16. *rectior.* Sed his tribus membris defendit Deiotarum a suspicione temeritatis atque imprudentiae: in seqq. demum verba facit de eius *rectitudine* et probitate. Manifestum est librarios, cum v. *tectior* parum intelligerent, substituisse magis sibi notum v. *rectior.* — *non sit audita.* — § 17. *ab ipso.* — § 19. *illo tempore non perfecta re.* — § 21. * *mutandi loci.* Sic ego quoque volebam; sed operae non paruerunt. — *illa tua.* — *in cubiculum te ire malle.* — *habebat.* — *vindicare.* Cum nec *vindicare* neque *indicare* claram sententiam prae-

beat, praefero nunc O1x. et Lamb. susp. * *iudicare:* „cum cogitaret Caesarem unum esse in orbe terrarum, qui iudicare de se (Deiotaro) etiam absente regnoque se spoliare posset; alii vero iudices, quos absens reformidaret, nulli erant. — § 22. *vinxerit* Erf. — * *excursionibus et.* — *vel quia non nosset vel si nosset.* Nostra lectio hanc praebet sententiam: „Deiotarus optime Romanos novit, eos videlicet, ut consentaneum est, qui ingenio et opibus vel etiam insigni aliqua pravitate volgo noti sunt; Caecilium igitur contemnere debuit, *vel quia nosset*, ut hominem perversum et rerum novarum cupidum, *vel quia non nosset*, quod ipsum signo erat, eum hominem obscurum ac nullo numero proptereaque despiciendum esse." — *Veteres credo.* — *animo fuit?* *Quo modo.* — *aluit; quem.* — *nulla re.* — *periculum atque.* — § 25. *inimici una.* — § 27. *quidem ille.* — § 28. *Ita Deiotarum.* — *senex in eo.* — § 29. *qui pacis auctor semper fui.* — *suasor fuissem.* — § 30. *acerbitatis.* — § 31. *apprehendi* Erf. — § 32. *nonne ad.* — *inhumanitate.* — § 33. *optimi hominis.* — *ad regem, inquit.* — *'Non me intellegis* (err. typogr.) — *sensimus, te.* — § 34. *in victoria ducem vidimus.* — *nullus locus est.* — § 35. *tu illi.* — * *existimares* Erf. Quod si hanc sententiam ad Deiotarum referre voluisset Cicero, sane scripsisset *reputaret*, non *existimaret*, de re, cuius *existimatio* ad regulum minime pertinebat. — § 36. *cum posteaquam a Scipione.* — *factum esse.* — *sustinuerat.* — § 37. *et repperisse.* — *ab omnibus enim ornatus est, qui.* — § 38. * *enim bene* Erf. — § 39. *officia in me.* — *quisquam timere.* — § 40. *quonam.* — *profecto id misericordiae.* — *monumenta tuae clementiae.* — § 41. *tradituros confido.* — § 42. * *recubuisses.* In mea Ed. est err. typogr. *secubuisses.*

* * *

Cum vacent paginae aliquot, addam hic varietatem lectionis integram Codd. Bernensium 136. Sec. X. (1.) et 254. Sec. XV. (2.) cum mea Editione collatorum a L. Usterio in Orat. pro Balbo. Ubi uterque Codex consentit, nullam notam apposui; ubi discrepant, numeri 1. et 2. additi sunt. Quae recipienda videntur, asterisco notavi.

§. 1. *valerent.* — * Om. *viris.* — *maxima tum* 1. — *maxima tamen* 2. — *voluntati parens.* — § 2. *hoc obpono* 1. *hoc expono* 2. — *afferenda gr.* — * *potuerim, praedicanda.* — *nihil de memoria.* (In marg. 2. „al. *de more.*) — *de exemplis acutius* 2. (non 1.) — *molestius* 2. — § 3. *doctrinis* 1. — *ei quo hi omnes* — *quae faceret tractare.* Sic etiam Erf., sed *ei qui omnes.* Patet corruptelam latere in v. *tractare,* pro quo sententia hoc vel simile quid requirit: „*ei, qui omnes animo virtutes penitus comprehendisset, omnia, quae faceret,* procedere." — *Quae tamen in* 2. — § 4. *hic exercitus peror.* — *rationi* (in 1. correctum *orationi.*) — *nostras* 2. — *in mea* 1. — *sed quam ex c.* 2. — *fuerit.* — * *actorem.* — § 5. *At* 2. — *nostri off.* — *et lic.* — *quod die dixit* superscr. *hesterno* 1. *quod die dixit* 2. in marg. „al. *hesterno die* vel *hodie.* — *Ceterum* 2. (1. in marg.) — * *fuisse, ut.* — *hispania invenerit.* — *memmium qui.* — *isse possessurum* 1. *isse possessurum processurum;* in marg. *profectum* 2. Lege: *isse possessum.* — *duriensi.* — Om. *tempus* 2. — § 6. *poena sit nulla fame. Sic innocentissimi* 1. 2. *poena sit nulla si famam.* Erf.; ex quibus hoc saltem lucramur, ut perspiciamus corruptelam volgatae: *poena sit nulla. Sic famam, sic innocentissimi.* Fuitne: *poena sit nulla nisi famae. Sic innoc.?* — *omnia plena cum l.* — § 7. * *huiusce.* — *actiones* 1. — [*qui*] et [*quod*] adsunt. — § 8. *Si enim al.* correctum *Sit* 1. *Sit enim al.* 2. — *dubitari.* — *decuisse.* — § 9. *abesset* 2. — *haec et tribui.* — * *extremae.* — *horae* 1. — *Ad (= at) ingenium, inquit. Etiam ipse casus - - fuerunt.* Malim nunc *ipsi* Ern. pro *ipse* Bernn. Erf. Asc. 1531. — § 10. *turpe rei publ. nonne.* — § 11. *Audii.* — *repetendis.* — *qui rem.* 1. — *oculos se.* — *dubitasset.* — *falsum esse.* — *decretum iudicium.* — *diligentiae pertendemus* 1. *diligentiae praetendemus* 2. — § 12. *vixisset et test. publice.* — *is iurasset* 2. — *noluerunt.* — § 13. *multae regiones.* — § 14. * *omnino non scire.* — *quod lic.* — *Etenim utrum hispania.* 1. *Etenim cum in hisp.* 2. — *cuius illius linguam populi nosset* 1. — *praediti militari.* — § 15. *laudem et.* — *et terrarum nat.* 1. — * *atque pacis.* — *ea quae*

nos. — *atque otio* 2. — *requiesceret legere neque* 2. — * *regiones ipsae.* — *Atque ut ego sentio iudices causa dicta est temporum. magis ego nunc ut his inquam (inquam in 2.) genere* 1. 2. Video nunc sic distinguendum esse: * *Atque, ut ego sentio, iudices, causa dicta est. Temporum magis* - (reliqua non expedio.) Cfr. pro Archia § 8. *nihil dico amplius: causa dicta est. Quid* cet. — * *quaedam macula atque labes.* — § 16. *si pompeius.* — *communi* (sic) *salutis.* — *omnis* 1. — *Po. Ro. in singularibusque decor.* — * *apud nos.* — *enim extinxisset* 2. — *huius atque perfecta obtr.* 1. *huius experta atque perfecta* 2. — § 17. *relinquam.* — § 18. *At prius* 1. — *deberet.* — *poene* 1. *pene* 2. — *videretur.* — *violatur avirtute* (sic) 1. — *nostra* 2. — § 19. *poenitendam.* — *videamus.* — *ut cives.* — *sint hi.* — *donaverit.* — § 20. *beneficioque* 1. — *expertis* 1. — *iussisset praetor.* — *ut cum* 2. — *diminueretur* 2. — § 21. *tulitque vocon ius* (sic.) — *in his civ.* — *civitate.* — § 22. *At quis imp.* 1. — *praemiis dicere:* in marg. „al. *ducere.*“ 2. (non 1.) — *praesidio periculis.* — § 23. * *ex his populis.* — *morte* 1. — § 24. * *Etenim in po. Ro. grave est.* Cum etiam Erf. sic habeat (sed *esse*), reiicienda videtur lectio Ascens. 1531. *Est enim - - grave.* — *suis* 1. — *coniunctis* (ex compendio *coniunctiss.*) 1. *coniunctos* 2. Erf. — *nam stip.* — *usu* 1. — *videbamus.* — § 25. *quod his quod magnis adiutoribus tuis armis.* — * *senatu, etiam per imperatores nostros.* — *privatus* (1. 2.) — *atque paterna v.* — § 26. * *virtutis praemiis.* — *putasti* 1. — § 27. *populi f.* — *quod cum omne liberorum et p.* 1. * *quod commune liberorum est* 2. — § 28. *civis noster esse iure.* Lege: * *civis nostro esse iure.* — *civitatis qui* 1. Om. vv. *non esse - - potest* 2. — *zmirnae.* — *hanc antemittere* 1. *hanc ante mittere:* in marg. *amittere* 2. — *hoc solum.* — *redisset* 2. (Firmat *revenisset* 1.) — § 29. *ratione* (pro *reiectione*). — *ad ceteras iter* 2. (non 1.) — * *est coniuncta.* — *omnes rec.* — *cuius praeterea.* — § 30. *ariopagitarum.* — * *moris ac iuris.* — * *se civitatem.* — *ornationis.* — *a populi romani.* — *sit neque asc sc.* — § 31. *lavini.* — *sui receptae.* Sed 2. in marg. „al. *sunt.*“ — *uuiscorum* 1. *muscorum* 2. — (Habent *civitate mutari.*) — *secuti.* — § 32. *Etenim q.* — *ne liceat ubi necesse est licere ubi est igitur foedere* 1. Erf. *ne liceat, ubi exceptum non est necesse est licere* 2. — *lex iudices agellia.* — *quae definita est pot.* 1. *quae diffinitam pot.* 2. — * *inquit est.* — *te agnitione.* — § 33. *in qua aliquid* 1. *in qua aliqua aliquid* 2. — *aut poenae.* — *quem contra fecit* 1. *qui contra fecit* 2. — *etiam igitur si*

latum esset neque legem neque poenam gratam esse ne quem 1. *latam esse dico. De quibus igitur etiam si latum esset neque legem neque poenam gratam esse ne q.* 2. Saltem cum O1x. leg. * *poenam ratam.* — * *postea populus.* — *nec quidquam.* — § 34. *Nec vero oratio.* — *cecidissent* 2. — *et marius.* — *foedus fecisse* (1. 2.) — § 35. *rem nostram.* — *populus se enim.* — *sed est iste disputationis certe nihil est loci* 1. *sed z istius disputationis* cet. 2. — *sacrosanctum nihil* 1. *sacrosanctum est. Quod si* mediis omissis 2. — Leg. ex Erf. *sanctum* pro *sancitum.* — *Quod id* ¦*ad civitatem adiunctam. Illud* 1. *Quod ad civitatem adiunctum illud* 2. — *conservant* 1. *conservent* 2, — § 36. *conservandi.* — *sileatur* — *digna in resp.* — § 37. *esse salvam velit.* — *non posset* 2. — *maiestas Gaditanis.* — *eligere.* — § 38. *dicere vere posse dici v.* 1. *si cum Gad. contra me dicere vere p. d. v.*: in marg. „al. *dicerent.*“ 2. — * *esse etiam.* — *servare.* — § 39. *generis aut studio rei p. hi ab omni.* — *qui cum.* — *ferrentur.* — *opibus copiis* 2. (non 1.) — *omnino* (*omni* 2.) *sanctiore marte d.* — * *hercules ipse.* — *virium ac lab.* — § 40. *memoriae gloria* 1. *memoria gloria* 2. — *ab illorum.* — *levaverunt* 2. — *fuerint* 1. — *sint - sint - sint.* — § 41. *seram leg.* 1. *feram leg.* 2. — *excito.* — Om. *quos.* — *fore huic* 1. 2. Sed 2. in marg. *fore ut huic*, ut Lamb. — *graviss. autem.* — *senatus convicia.* — *et ius civitatis honorem.* — *civis* 1. — *testis* 1. § 43. *Etenim qui* 1. *Et qui* 2. — *qui sentiat.* — *ne saeptum sit his iter perpetuum.* — *his esse.* — *fac. commeandi* 2. in marg. — * *Quis est enim nostrum.* — *diligentior.* — *quondam.* — *cotidie.* — *adsunt principes adsunt civitates.* — *et amore.* — *officio ex* 1. — § 44. *At* 2. — *horum.* — *consolabare hos praesentis* 1. — *vos quidem* 2. — *ignorantis* 1. — *quod de.* — § 45. *iuri pr.* 1. — *cascellum* 1. *castellum* 2. — (Habent v. *praediatores* 1. 2. Om. Erf.) — *aquilium.* — *pacis et iure* 1. — § 46. *reprenditur.* — *religionis igitur aequitate. M. annium appium.* — Om. *summa.* — *foederum.* — § 47. *quoniam oculis.* — *bella egisset.* — *gessit confecit.* — *quin nonnullo.* — *foedere re p.* — *ignatium.* — *poletinus.* — *T. matruus* 2. — *spoletinus dixit.* — * *spoletinum populum.* — § 49. *defendit et probarit.* — Ad v. *delectum* 2. in marg. „al. *electionem.*“ — *civis atque fortis* 1. — § 50. *cohortis* 1. — *heracles imalexam* 1. *heraclensem alexam* 2. — *Q. fabius aguntinum* 1. *Q. fabius saguntinum* 2. — *abest.* — *avennensem.* — § 51. * *id in uno cornelio.* — *gaditanus asdrubalem.* — Om. *donavit* 1. (non 2.) — *erit inquit mihi - cuiatis.* — *Id habent hoc leve.* — § 52. * *etiam senatus.* —

cum saepe praeferrent. — *M. cassio.* — *in civitate.* — * *liberati sunt.* — *mutanda eius* (1. 2. Sed 2. in marg. „al. *mutandi causa.*") — § 53. *foedus esset cum Sp.* — Habent *Postumo* 1. Erf. *postumio* 2. — *L. cossinius tibur.* — *T. et C. coponius.* — *masone.* — § 54. *potuit. anne.* — *non licebat.* — * *pugnando assequi.* — *non licebat.* — *neque his.* — *possit.* — *senatore* 1. — *servilia lege.* § 55. * *iudicio est.* — *vellenses* 1. *vellienses* 2. — * *proxime dico ante.* — *velliensibus.* — *P. R. urbi.* — *calliphiana velliense* — *vellienses.* — § 56. *invidiosorum.* — *accenderet.* — *sua arte.* — *tum pecunia* 1. *cum pecuniam* 2. — *quanta cum* 1. — *perv. debent noni indici b.* 1. *perv. debent novi iudici b.* 2. — *saepe alienos* 1. — § 57. *clustuminam.* — *adoptatio* (1. 2.) — *in circulis idcirco vellicant.* — *male dente.* — § 58. *qui amici.* — *nunc huic* 2. — *in ruinis vestris nostrisque discordiis* 1. *in ruinis vestrisque disc.* 2. — *omnis me.* — § 59. *huic ut et princ.* 1. *huic ut princ.* 2. — *contendere videbatur* 2. — *imperito.* — *vocabat* 1. *vocabatur* 2. — § 60. *vobis iud.* — *id enim* 2. — *contenderem de rep. cum id defendas.* — *profici* bis 1. — § 61. *novem.* — *reprendo.* — *in sententiam* 1. — * Om. *aliquam* 1. 2. Erf. — § 62. *in quo semel suspectum.* — *confligunt* 1. — *ceterorum hom.* 2. — § 63. *offuerint.* — *bonum quicquam.* — *talis* 1. — § 64. *in his.* — *regiones.* — Om. *et familiarissimum.* — *sed suam fam.* — *sed huius.* — *si M. Crassus* priore loco: posteriore: *D. Crassus.* — *sive populus Ro.* — *qui se hoc iud.* — *cogitate.*

M. TULLII CICERONIS
ACTIONIS SECUNDAE
SIVE
ACCUSATIONIS IN C. VERREM
LIBER QUARTUS.
(DE SIGNIS.)

MONITUM EDITORIS.

In hac oratione id mihi propositum erat, ut praeclaram Zumptii recensionem quoad eius fieri posset emendarem e Cod. Regio 7774 A., et Leidensi. Illius habui collationem ab erudito iuvene confectam, quae, etsi non ubique accuratissimam esse suspicor, tamen iuncta cum simillimi codicis collatione Havniensi sufficiebat ad locos nonnullos sanitati restituendos; Leidensis vero novam collationem eamque diligentissime factam Bakii V. C. amicitiae ac benignitati acceptam refero. Integram alio loco exhibebo. In nonnullis magno cum fructu Madvigii novissimas curas (1833—34) consului. Breves denique addidi explicationes rerum ac sententiarum, quas auditoribus profuturas existimabam.

ARGUMENTUM ZUMPTII.

Continet liber quartus furta et maleficia C. Verris in auferendis signis, tabulis pictis ceterisque ornamentis tota Sicilia commissa. Quae persequens orator hoc ordine utitur, ut primum privatorum hominum, deinde oppidorum et fanorum expoliationes et direptiones ostendat.

Incipit propter furti magnitudinem ab Heio Mamertino (*cap.* 2—8), *qui cum idem princeps legationis esset a Mamertinis laudandi Verris causa Romam missae, utitur ea opportunitate, ut omnem illius laudationis auctoritatem infringat* (*cap.* 9—11). *Cumulat deinde aliorum privatorum hominum expoliationes, a quibus diversissimas res aut opere aut pretio insignes ablatas docet* (*cap.* 12—24, § 53), *et insanam cupiditatem Verris in comparanda pretiosa supellectile demonstrat* (*cap.* 24—26). *Sequitur nefarium facinus, spoliatio Antiochi regis Syriae, per Siciliam forte iter facientis* (*cap.* 27—32).

Transgressus ab ea re ad direptiones urbium et fanorum ostendit, quae Verres a Segestanis abstulerit (*cap.* 33—38), *quae a Tyndaritanis* (*cap.* 39—42), *quae ab Agrigentinis* (*cap.* 43), *Assorinis* (*cap.* 44, § 96), *Enguinis* (*cap.* 44, § 97. 98), *quomodo apud Catinenses sacrarium Cereris violarit* (*cap.* 45), *apud Melitenses fanum Iunonis spoliarit* (*cap.* 46. 47), *ab Hennensibus simulacra Cereris et Victoriae abstulerit* (*cap.* 48—51), *imprimisque in direptione maximae et pulcherrimae urbis Syracusarum commoratur* (*cap.* 52—58).

Demonstrat denique, quam et omnes Graeci eiusmodi direptiones oppidorum aegre ferant (*cap.* 59. 60), *et quanto Syracusani odio, cum primum licuerit, contra Verrem exarserint* (*cap.* 61—*fin.*).

I. Venio nunc ad istius, quemadmodum ipse appellat, 1
studium; ut amici eius, morbum et insaniam; ut Siculi, latrocinium. Ego, quo nomine appellem, nescio: rem vobis proponam; vos eam suo, non nominis pondere penditote. Genus ipsum prius cognoscite, iudices; deinde fortasse non magnopere quaeretis, quo id nomine appellandum putetis. *Nego* in Sicilia tota, tam locupleti, tam vetere provincia, tot oppidis, tot familiis tam copiosis, ullum argenteum vas, ullum Corinthium aut Deliacum fuisse, ullam gemmam aut margaritam, quicquam ex auro aut ebore factum, signum ullum aeneum, marmoreum, eburneum, nego ullam picturam neque in tabula neque in textili, quin conquisierit, inspexerit, quod placitum sit abstulerit. Magnum videor di- 2
cere: attendite etiam, quemadmodum dicam. Non enim verbi neque criminis augendi causa complector omnia: cum dico nihil istum eiusmodi rerum in tota provincia reliquisse, Latine me scitote, non accusatorie loqui. Etiam planius: nihil in aedibus cuiusquam, ne in oppidis quidem: nihil in locis communibus, ne in fanis quidem: nihil apud Siculum, nihil apud civem Romanum, denique nihil istum, quod ad oculos animumque acciderit, neque privati neque publici, neque profani neque sacri tota in Sicilia reliquisse.

Unde igitur potius incipiam, quam ab ea civitate, quae 3
tibi una in amore atque in deliciis fuit? aut ex quo potius numero, quam ex ipsis laudatoribus tuis? Facilius enim perspicietur, qualis apud eos fueris, qui te oderunt, qui accu-

§ 1. Plin. H. N. 34, 3. *Aes Corinthium maxime laudatur; hoc casus miscuit, Corintho, cum caperetur, incensa* cet. Ibid. 4. *Antiquissima aeris gloria Deliaco fuit, mercatus in Delo concelebrante toto orbe* cet. — *picturae in textili* sunt ornamenta, quae acu pinguntur in purpura cet. *Textile (ὕφασμα)* hic nomen substantivum est, ut apud Livium 45, 35. *regia textilia.* Gar.

§ 2. *Latine*] Philipp. 7, 6. *ii, qui plane et Latine loquuntur.* Similiter ad Fam. 7, 18. *Ego te Balbo more Romano commendabo.* — *loca communia*, curiae, basilicae, fora, iunguntur cum locis sacris etiam ad Fam. 13, 11. *sarta tecta aedium sacrarum locorumque communium tueri.*

§ 3. *ab ea civitate*] Mamertina, id est, urbe Messana. Man. — Cod. Leid. *atque deliciis.* Sed in repetita praepositione h. l. singularis vis inest, ut auditor immorari cogatur in Verris insania. — *quae-ornata sit*] „quamvis ornata sit." Z. Ep. ad Attic. 2, 1, 5. *soror, quae tantum habeat consularis loci, unum mihi solum pedem dat*, ubi Ern. *habet*, h. l. *est* voluit.

sant, qui persequuntur, cum apud tuos Mamertinos inveniare improbissima ratione esse praedatus.

II. C. Heius est Mamertinus (omnes hoc mihi, qui Messanam accesserunt, facile concedunt) omnibus rebus illa in civitate ornatissimus. Huius domus est vel optima Messanae, notissima quidem certe, et nostris hominibus apertissima maximeque hospitalis. Ea domus ante istius adventum ornata sic fuit, ut urbi quoque esset ornamento. Nam ipsa Messana, quae situ, moenibus portuque ornata sit, ab his rebus, quibus iste delectatur, sane vacua atque nuda est.
4 Erat apud Heium sacrarium magna cum dignitate in aedibus, a maioribus traditum, perantiquum, in quo signa pulcherrima quattuor, summo artificio, summa nobilitate, quae non modo istum hominem ingeniosum et intelligentem, verum etiam quemvis nostrum, quos iste idiotas appellat, delectare possent: unum Cupidinis marmoreum Praxiteli. — Nimirum didici etiam, dum in istum inquiro, artificum nomina. — Idem, opinor, artifex eiusdemmodi Cupidinem fecit illum, qui est Thespiis, propter quem Thespiae visuntur: nam alia visendi causa nulla est. Atque ille L. Mummius, cum Thespiadas, quae ad aedem Felicitatis sunt, ceteraque profana ex illo

---

§ 4. *Praxiteli*] „Nota hodie res est de genitivis nom. propr. Graecorum a veteribus Latinis per *i* factis. Hoc in primis frequens esse animadvertimus in nomm. exeuntibus in syll. *cles*, *Agathocli*, *Pericli*, *Themistocli* cet.“ Z. Etiam *Isocrati* in Oratoris § 190. *Demostheni* Brut. § 286. *Thucydidi* ibid. § 288. *Aeschini* ibid. § 292. Opt. gen. orat. § 14. e Codd. in altera mea Ed. — Praxiteles, Parius, ut videtur, floruit Olymp. 104. a. Chr. 364. Strabo 9. p. 410. in Boeotia: *αἱ Θεσπιαὶ πρότερον μὲν ἐγνωρίζοντο διὰ τὸν Ἔρωτα τοῦ Πραξιτέλους, ὃν ἔγλυψε μὲν ἐκεῖνος, ἀνέθηκε δὲ Γλυκέρα* (immo fuit Phryne. Pausan. 1, 20, 1. et 9, 27, 1.) *ἡ ἑταίρα Θεσπιεῦσιν ἐκεῖθεν οὖσα τὸ γένος, λαβοῦσα δῶρον παρὰ τοῦ τεχνίτου. Πρότερον μὲν οὖν ὀψόμενοί τινες τὸν Ἔρωτα ἀνέβαινον ἐπὶ τὴν θέαν, ἄλλως οὐκ οὖσαν ἀξιοθέατον.* — Alter Praxitelis Cupido a Verre raptus ille fortasse fuit, qui in Pario Propontidis colonia dedicatus per proconsulem aliquem Pario ablatus in Heii sacrarium pervenisse videtur Sillígio Catal. Art. p. 386. Animus tamen eo potius inclinat, ut credam Praxitelis exemplar Thespiense a discipulo eius aliquo accurate expressum magistroque falso tributum illud fuisse, quod Verri obiicit Cicero. — *nimirum* cet.] Nam veteres Romani Graecorum hanc levitatem existimabant. Itaque plerumque se orator, quod pictorum sculptorumque nomina pronuntiet, excusat. Hot. Cfr. § 33. — L. Mummius Achaicus a. u. c. 609. Corinthum expugnavit. — *Thespiades* Musae opus ignoti artificis memorantur etiam a Plinio 36, 4, 12.

oppido signa tolleret, hunc marmoreum Cupidinem, quod erat consecratus, non attigit.

III. Verum, ut ad illud sacrarium redeam, signum erat 5
hoc, quod dico, Cupidinis e marmore: ex altera parte Hercules, egregie factus ex aere. Is dicebatur esse Myronis, ut opinor: et certe. Item ante hos deos erant arulae, quae cuivis religionem sacrarii significare possent. Erant aenea duo praeterea signa, non maxima, verum eximia venustate, virginali habitu atque vestitu, quae manibus sublatis sacra quaedam more Atheniensium virginum reposita in capitibus sustinebant. Canephoroe ipsae vocabantur. Sed earum artificem, quem? quemnam? Recte admones, Polyclitum esse dicebant. Messanam ut quisque nostrum venerat, haec visere solebat: omnibus haec ad visendum patebant cotidie: domus erat non domino magis ornamento, quam civitati. C. Claudius, cuius aedilitatem magnificentissimam scimus fuisse, usus est hoc Cupidine tamdiu, dum forum diis immortalibus populoque Romano habuit ornatum: et, cum esset hospes Heiorum, Mamertini autem populi patronus, ut illis benignis usus est ad commodandum, sic ipse diligens fuit ad reportandum. Nuper homines nobiles huiusmodi, iudices, et quid 6

§ 5. Myron, Eleutheris, Atticae oppido natus floruit Olymp. 87. a. Chr. 432. Eius Hercules Sami primum positus, deinde Romam translatus, apud Circum Maximum collocatus est. Alius igitur fuit hic eiusdem Hercules Heianus, nisi item sculptus a discipulo vel alio imitatore. Nam in talibus homines provinciales, qualis fuit Heius, saepe deceptos esse a Graeculis consentaneum est. — *Canephoroe*] Graecam formam κανηφόροι servarunt Codd. et Edd. vett. — *Polyclitus* (sic Reg., ut *Clitus*, *Heraclitus* Z.) volgo *Polycletus:* maior, Sicyonius Plinio, Myronis aequalis floruit item Olymp. 87. Cicero in Bruto § 70. *Quis eorum, qui haec minora animadvertunt, non intelligit Canachi signa rigidiora esse, quam ut imitentur veritatem? Calamidis dura illa quidem, sed tamen molliora quam Canachi; nondum Myronis satis ad veritatem adducta, iam tamen quae non dubites pulchra dicere; pulchriora etiam Polycliti, et iam plane perfecta, ut mihi quidem videri solent.*

§ 6. C. Claudius Pulcher aedilis a. u. c. 655. *Is scaenam varietate colorum adumbravit vacuis ante pictura tabulis extentam.* Val. Max. 2, 4, 6. *Elephantos Romae pugnasse Fenestella tradit primum omnium in Circo Claudii Pulchri aedilitate curuli.* Plin. 8, 7, 16. (*L. Papirii Cursoris triumpho longe maximam speciem Samnitium captiva arma praebuere. Tantum magnificentiae visum in iis, ut aurata scuta dominis argentariarum ad forum ornandum dividerentur. Inde natum initium dicitur fori ornandi ab aedilibus, cum tensae ducerentur.* Liv. 9, 40, 16.) —

dico nuper? immo vero modo, ac plane paulo ante vidimus, qui forum et basilicas non spoliis provinciarum, sed ornamentis amicorum; commodis hospitum, non furtis nocentium, ornarent: qui tamen signa atque ornamenta sua cuique reddebant, non ablata ex urbibus sociorum, quatridui causa, per simulationem aedilitatis, domum deinde atque ad suas
7 villas auferebant. Haec omnia, quae dixi, signa, iudices, ab Heio e sacrario Verres abstulit: nullum, inquam, horum reliquit, neque aliud ullum tamen, praeter unum pervetus ligneum, Bonam Fortunam, ut opinor; eam iste habere domi suae noluit.

IV. Pro deum hominumque fidem! quid hoc est? quae haec causa est, quae ista impudentia? Quae dico signa, antequam abs te sublata sunt, Messanam cum imperio nemo venit, quin viderit. Tot praetores, tot consules in Sicilia cum in pace, tum etiam in bello fuerunt: tot homines cuiusque modi: non loquor de integris, innocentibus, religiosis: tot cupidi, tot improbi, tot audaces: quorum nemo sibi tam vehemens, tam potens, tam nobilis visus est, qui ex illo sacrario quicquam poscere aut tollere aut attingere auderet. Verres quod ubique erit pulcherrimum auferet? nihil habere cuiquam praeterea licebit? tot domus locupletissimas domus istius una capiet? Idcirco nemo superiorum attigit, ut hic tolleret? ideo C. Claudius Pulcher rettulit, ut C. Verres posset auferre? At non requirebat ille Cupido lenonis domum ac meretriciam disciplinam: facile illo sacrario patrio

---

Ex *hominibus nobilibus* Zumptius agnoscit C. Antonium Ciceronis collegam in praetura et consulatu. — *et basilicas*] Reg. Vatic. pro *ac b.* Z. „Duae basilicae tum Romae, Portia et Opimia in Foro.“ Z. — *commodis*] *Commodum est id, quod nostri iuris est et ad alium temporaliter translatum est cum modo* (non *cum commodo*) *temporis quamdiu apud eum sit, unde commodum dictum.* Isidorus Origg. 5, 25, 16. — *sociorum*] *sociorum atque amicorum* Vatic. ex repetitione praeced. *amicorum.*

§ 7. *neque aliud ullum tamen*] Est quasi se corrigentis, ut recte Beckius. Hinc positio v. *tamen* (certe) in fine; nec audiendus Leid. v. *tamen* omittens. — *impudentia*] Reg. Vatic. *impudentia est* Leid. Z. — *cum in pace*] Reg. *tum in p.* Leid. Z. — *cuiquam praeterea*] Reg. Vatic. *praeterea cuiquam* Leid. Z. — *tot domus*] *tot domos* Leid. — *sacrorum*] „non sacrificia, sed ipsa signa sacrata.“ Z. *meretricis*] Act. 2, 47. *cum tibi illo ipso anno a Chelidone* (amica) *venisset hereditas.*

continebatur: Heio se a maioribus relictum esse sciebat in hereditate sacrorum: non quaerebat meretricis heredem. Sed quid ego tam vehementer invehor? Verbo uno 8 repellar: *emi*, inquit. O dii immortales! praeclaram defensionem! Mercatorem in provinciam cum imperio ac securibus misimus, omnia qui signa, tabulas pictas, omne argentum, aurum, ebur, gemmas coëmeret, nihil cuiquam relinqueret! Haec enim mihi ad omnia defensio patefieri videtur, *emisse*. Primum, si id, quod vis, tibi ego concedam, ut emeris, quoniam in toto hoc genere hac una defensione usurus es: quaero, cuiusmodi tu iudicia Romae putaris esse, si tibi hoc quemquam concessurum putasti, te in praetura atque imperio tot res, tam pretiosas, omnes denique res, quae alicuius pretii fuerint, tota ex provincia coëmisse.

V. Videte maiorum diligentiam, qui nihildum etiam 9 istiusmodi suspicabantur; verumtamen ea, quae parvis in rebus accidere poterant, providebant. Neminem, qui cum potestate aut legatione in provinciam esset profectus, tam amentem fore putarunt, ut emeret argentum; dabatur enim de publico: ut vestem; praebebatur enim legibus: mancipium putaverunt; quo et omnes utimur et non praebetur a populo. Sanxerunt, *ne quis emeret, nisi in demortui locum.* Si qui Romae esset demortuus? Immo, si quis ibidem. Non enim te instruere domum tuam voluerunt in provincia, sed illum usum provinciae supplere. Quae fuit causa, cur 10 tam diligenter nos in provinciis ab emptionibus removerent? Haec, iudices, quod putabant ereptionem esse, non emptionem, cum venditori suo arbitratu vendere non liceret. In

§ 8. *fuerint*] *fuerunt*, quod in nullo suorum invenit Z., habet Regius.

§ 9. *putarunt*] Reg. *putaverunt* Leid. Z. — *de publico*] Cic. in Pison. 35, 86. *nonne sestertium centies et octogies, quod quasi vasarii nomine in venditione mei capitis adscripseras, ex aerario tibi attributum Romae in quaestu reliquisti?* — *ne quis emeret*] sic Reg. Leid. Z. scil. *mancipium*, quod e gloss. in volgata inculcatur.

§ 10. *ereptionem — non emptionem*] Annominationem agnoscit hic Z., ut in Verr. 1, 1. *ut ad audendum proiectus, sic paratus ad audiendum.* — *exquirere*] Lamb. suspic. *exigere*, quod sane usitatius. Sed credo Cic. vitasse coniunctionem vv. *agere*, *exigere*, et *exquirere* h. l. est accurate investigare causas et rationes, quibus singulis in factis impulsus fuerit. Cfr. § 137. *eorum tabulas exquirebam, excutiebam.*

provinciis, intelligebant, si is, qui esset cum imperio ac potestate, quod apud quemque esset, emere vellet, idque ei liceret, fore, uti, quod quisque vellet, sive esset venale, sive non esset, quanti vellet auferret. Dicet aliquis, Noli isto modo agere cum Verre: noli eius facta ad antiquae religionis rationem exquirere: concede, ut impune emerit, modo ut bona ratione emerit, nihil pro potestate, nihil ab invito, nihil per iniuriam. Sic agam. Si quid venale habuit Heius, si id, quanti aestimabat, tanti vendidit: desino quaerere, cur emeris.

11 VI. Quid igitur nobis faciendum est? num argumentis utendum in re eiusmodi? Quaerendum est, credo, Heius iste num aes alienum habuerit, num auctionem fecerit: si fecit, num tanta difficultas eum rei nummariae tenuerit, tanta egestas, tanta vis presserit, ut sacrarium suum spoliaret, ut deos patrios venderet. At hominem video auctionem fecisse nullam; vendidisse praeter fructus suos nihil unquam; non modo in aere alieno nullo, sed in suis nummis multis esse et semper fuisse; si haec contra ac dico essent omnia, tamen illum haec, quae tot annos in familia sacrarioque maiorum fuissent, venditurum non fuisse. Quid, si magnitudine pecuniae persuasum est? Veri simile non est, ut ille homo tam locuples, tam honestus, religioni suae monumentisque maiorum pecuniam anteponeret. Sunt ista: verumtamen abducuntur homines nonnun-

---

§ 11. *presserit*] sic etiam Leid. pro volg. *oppresserit*, quod nimium est de angustiis pecuniariis. Alia enim res est Act. III, § 135 de homine: *instititit*, *oppressit*, *non remisit*. — *nummis*] pro Roscio Com. 8, 22. *Egebat? Immo locuples erat. Debebat? Immo in suis nummis versabatur.* — *persuasum est*] sic Reg. Leid. Z. Volgo languido v. *est* subiungitur *ei*.

§ 12. *a pietate*] Quatenus erat hereditas paterna. — Mox in formula expectabas: *C. Verri* et reapse Codd. corruptelae eo ducunt. Cfr. Zumptium. — *vendita. sed Rettulit. Recita*] Sic Reg. Leid. corrupte. Madvigius volebat *vendita esse. Rettulit.* Verum in *sed* latere mihi videntur notae: *S. E. D.* id est, *summa est data*; malim tamen *S. E. P.* id est, *soluta est pecunia*, ut § 43. *emi; pecuniam solvi.* (*vendita sunt. Rettulit. Recita* Z. *vendita sunt. Recita.* Ern. sed v. *sunt* caret auctoritate.) *Rettulit* accipe: „et re vera ita rettulit in tabulas suas Heius." — *malo emere*] Proverbium in homines superbos, qui malunt quamvis caro emere quam ad preces descendere, ut sibi aliquid donetur. H. l. κατ' εἰρωνείαν, „in tam exiguo pretio omnino locum habet illud proverbium."

quam etiam ab institutis suis magnitudine pecuniae. Videamus, quanta ista pecunia fuerit, quae potuerit Heium, hominem maxime locupletem, minime avarum, ab humanitate, a pietate, a religione deducere. Ita iussisti, opinor, ipsum in tabulas referre: *haec omnia signa Praxiteli, Myronis, Polycliti, HS* VI *milibus et* D *Verri vendita.* † sed. Rettulit. Recita ex tabulis.

Iuvat me haec praeclara nomina artificum, quae isti ad caelum ferunt, Verris aestimatione sic concidisse. Cupidinem Praxiteli HS MDC! Profecto hinc natum est *Malo emere, quam rogare.*

VII. Dicet aliquis, Quid? tu ista permagno aestimas? 13
Ego vero ad meam rationem usumque meum non aestimo: verumtamen a vobis ita arbitror spectari oportere, quanti haec eorum iudicio, qui studiosi sunt harum rerum, aestimentur; quanti venire soleant; quanti haec ipsa, si palam libereque venirent, venire possent; denique ipse Verres quanti aestimet. Nunquam, si x. cccc Cupidinem illum putasset, commisisset, ut propter eum in sermonem hominum atque
in tantam vituperationem veniret. Quis vestrum igitur ne- 14
scit, quanti haec aestimentur? In auctione signum aeneum non maximum HS XL milibus venire non vidimus? Quid, si velim nominare homines, qui aut non minoris, aut etiam pluris emerint? nonne possum? Etenim qui modus est in his rebus cupiditatis, idem est aestimationis; difficile est [enim] finem facere pretio, si libidini non feceris. Video igitur Heium neque voluntate, neque difficultate aliqua temporis, nec magnitudine pecuniae adductum esse, ut haec signa venderet; teque ista simulatione emptionis vi, metu, imperio, fascibus, ab homine eo, quem una cum ceteris sociis non solum potestati tuae, sed etiam fidei populus Romanus commiserat, eripuisse atque abstulisse.

---

§ 13. x. *cccc.*] denariis quadringentis.

§ 14. *enim*] abest a Cod. Reg., non a Leid. — *si libidini non feceris*] Leid. egregie firmans Madvigii coni., in Dissert. de Verrinis P. II. p. 16. — *si non lib. fec.* e Guelf. 1. Z. (*nisi lib. fec.* Sangall. Ern. *si libidini feceris* Reg.) — *nec magn.*] Reg. Leid. *neque m.* Z. — *una cum ceteris*] *una ceteris* Reg. Leid. quod tamen ex consuetudine Ciceronis defendi nequit, etsi respondet Gr. *ἅμα τινί.*

15 Quid mihi tam optandum, iudices, potest esse in hoc crimine, quam ut haec eadem dicat ipse Heius? Nihil profecto: sed ne difficilia optemus. Heius est Mamertinus: Mamertina civitas istum publice communi consilio sola laudat: omnibus iste ceteris Siculis odio est; ab his solis amatur: eius autem legationis, quae ad istum laudandum missa est, princeps est Heius: (etenim est primus civitatis): ne forte, dum publicis mandatis serviat, de privatis iniuriis reticeat.
16 Haec cum scirem et cogitarem, commisi tamen, iudices, Heio: produxi eum prima actione: neque id tamen ullo periculo feci. Quid enim poterat Heius respondere, si esset improbus, si sui dissimilis? Esse illa signa domi suae, non esse apud Verrem? Qui poterat quicquam eiusmodi dicere? Ut homo turpissimus esset impudentissimeque mentiretur, hoc diceret, illa se habuisse venalia, eaque se, quanti voluerit, vendidisse. Homo domi suae nobilissimus, qui vos de religione sua ac dignitate vere existimare maxime vellet, primo dixit se istum publice laudare, quod sibi ita mandatum esset: deinde neque se illa habuisse venalia neque ulla condicione, si, utrum vellet, liceret, adduci unquam potuisse, ut venderet illa, quae in sacrario fuissent a maioribus suis relicta et tradita.
17 VIII. Quid sedes, Verres? quid expectas? quid te a

---

§ 15. *ne forte*] Videamus, ne forte de suis iniuriis nihil dicat, quia publice laudandi mandata volt peragere. Beck.

§ 16. *commisi tamen*] Reg. Leid. Z. Hoc committendi verbo Cicero saepius absolute utitur, ut sit fere *rem committere alicui*. de leg. agr. 2, 8, 20. *Universo populo neque ipse committit neque illi horum consiliorum auctores committi recte putant posse.* Madvig. Nos: *ich liess es auf ihn ankommen. (commisi tamen me* Ern.*)*

§ 17. *receptrix*] Reg. Vatic. Contra *receptatrix* perpetua varietate Leid. — *Halaesina*] sic rectius Reg. (*Ἄλαισα* Diod. Sic. 14, 16. Dindorf.) quam *Halesina* Z. — *cybaea*] *navem cybaeam maximam* dicit Act. 5, 17. *cybaea* (voc. Siculum) igitur pr. adiect. a *κύπη*, *(cupa)* genus navis apud Hesychium. Gar. — *communi arce soc.*] Sic Divin. c. 5. *lex socialis est, hanc habent arcem. (communis rei soc.* Vatic. unde fluxit interpolatio Naug. *communis et privatae rei soc.)* — *deos penates te patrios*] numina domus tutelaria, *πατρῷα*, a patre ac maioribus hereditate accepta. Accipe igitur de *privatis penatibus*, ut est apud Liv. 22, 1, 6. quibus opponuntur Penates *publici* populi Romani. Variat in hac formula Cicero: 1) *di penates patrii*, ut hic et Phil. 2, 30. e Codd. volgg. (Vatic. tamen *deos patrios* dumtaxat.) 2) *di patrii ac penates* Sull. 31. 3) *penates patriique di* Sest. 20. Alibi Deiot. 3. et 5 simpliciter *di penates* et huius orat. § 18. *di patrii.*

Centuripina civitate, a Catinensi, ab Halaesina, Tyndaritana, Hennensi, Agyrinensi, ceterisque Siciliae civitatibus circumveniri atque opprimi dicis? tua te altera patria, quemadmodum dicere solebas, Messana circumvenit: tua, inquam, Messana, tuorum adiutrix scelerum, libidinum testis, praedarum ac furtorum receptrix. Adest enim vir amplissimus eius civitatis, legatus huius iudicii causa domo missus, princeps laudationis tuae: qui te publice laudat: ita enim mandatum atque imperatum est — Tametsi rogatus de cybaea tenetis memoria, quid responderit: aedificatam publicis operis, publice coactis, eique aedificandae publice Mamertinum senatorem praefuisse — Idem ad vos privatim, iudices, confugit: utitur hac lege, qua iudicium est, communi arce sociorum. Tametsi lex est de pecuniis repetundis, ille se negat pecuniam repetere, quam ereptam non tantopere desiderat: sacra se maiorum suorum repetere abs te dicit: deos penates te patrios reposcit. Ecqui pudor est? ecquae reli- 18
gio, Verres? ecqui metus? Habitasti apud Heium Messanae: res illum divinas apud eos deos in suo sacrario prope cotidiano facere vidisti: non movetur pecunia: denique quae ornamenti causa fuerunr, non requirit: tibi habe Canephoros: deorum simulacra restitue.

Quae quia dixit, quia tempore dato modeste apud vos socius amicusque populi Romani questus est: quia religioni suae non modo in diis patriis repetendis, sed etiam in ipso testimonio ac iureiurando proximus fuit: hominem missum ab isto scitote esse Messanam de legatis unum, illum ipsum, qui navi isius aedificandae publice praefuit, qui a senatu peteret, ut Heius afficeretur ignominia.

IX. Homo amentissime, quid putasti? impetraturum 19
te? quanti is a civibus suis fieret, quanti auctoritas eius ha-

§ 18. *cotidiano*] Reg. Leid. Antiquior forma nunc satis tuta; cfr. Meyer et me ad Orat. § 120. Madvig. Ep. p, 60. qui comparat *crastino*, *hesterno*, *matutino*, *repentino*. Volgarem *cotidie* substituit iam Vatic. — *tibi habe*] Reg. Leid. Vat. Z. Volgo omittebatur v. *tibi*. Nota est formula divortii: *res tuas tibi habe*. — Positione vv. nunc recepta e Reg. Leid. Vat. Sgall. *afficeretur ignominia* (ἀτιμίᾳ) pro *ign. aff.* tollitur hexametri clausula, quam non minus studiose devitat Cicero, quam captat Salustius.

§ 19. *quid putasti? impetraturum te?*] cum Madvigio praetuli hanc lect.

beretur, ignorabas? Verum fac te impetravisse; fac aliquid gravius in Heium statuisse Mamertinos: quam putas auctoritatem laudationis eorum futuram, si in eum, quem constet verum pro testimonio dixisse, poenam constituerint?

Tametsi quae est laudatio ista, cum laudator interrogatus laedat necesse est? Quid? isti laudatores tui non testes mei sunt? Heius est laudator: laesit gravissime. Producam ceteros: reticebunt, quae poterunt, libenter: dicent, quae necesse erit, ingratis. Negent isti onerariam navem maximam aedificatam esse Messanae? negent, si possunt. Negent ei navi senatorem Mamertinum publice praefuisse? utinam negent! Sunt etiam cetera, quae malo integra reservare, ut quam minimum dem illis temporis ad meditandum confirmandumque periurium. Haec tibi laudatio procedat in numerum: hi te homines auctoritate sua sublevent: qui te neque debent adiuvare, si possint, neque possunt, si velint; quibus tu privatim iniurias plurimas contumeliasque imposuisti: quo in oppido multas familias totas in perpetuum infames tuis stupris flagitiisque fecisti. At publice commodasti. Non sine magno quidem rei publicae provinciaeque Siciliae detrimento. Tritici modium LX milia empta populo Romano dare debebant et solebant: abs te solo remissum est. Res publica detrimentum fecit, quod per te imperii ius in una civitate imminutum est; Siculi, quod ipsum non de summa frumenti detractum est, sed translatum in

---

Reg. Vat. cfr. Act. 5, 18. *quid existimare eos qui audiebant, arbitrabare? inanem te deducturum.* Maior vis in hac lect. inesse videtur, quam in Leid.: *qui putasti impetraturum te?* quam recepit Z. — *non testes*] Reg. Leid. pro *nonne t.* Vat. Z. Discrimen hoc est: ubi dico, *non — est?* certus sententiae meae adversarii responsum non curo; ubi interrogo *nonne — est?* opto atque expecto eum, quem interrogo, mihi assensurum. In illo igitur maior vis inest. — *ingratis*] Reg. Leid. Vat. *ingratiis* Lamb., quae forma Plauto et Terentio relinquenda est. Cfr. Z. — *si possunt*] (Reg. Leid. Z.) nunc scil.; *si possint* fortasse aliquando, minus apte Ern. — *navi*] scil. faciundae; quod ipsum gloss. volgo inculcatum omittitur a Reg. Leid. — *dem*] haec lectio Codd. deteriorum satis firmatur Regii corruptela: *idem*, quae in ceteris melioribus, etiam Leid. correcta est v. *sit* Z.

§ 20. *in numerum*] Ex animi tui sententia. Sumptum ab histrionibus, numerum *(Tact)* in motu servantibus. MAN. — *commodasti*] beneficio eos affecisti. ID. — *quod* bis est *quatenus*, *in quantum*, *in wie fern. quod ipsum* i. e. frumentum, quod dare debebant Mamertini.

Centuripinos et Halaesinos, immunes populos, et hoc plus impositum, quam ferre possent. Navem imperare debuisti 21
ex foedere: remisisti in triennium: militem nullum unquam poposcisti per tot annos. Fecisti item, ut praedones solent; qui cum hostes communes sint omnium, tamen aliquos sibi instituunt amicos, quibus non modo parcant, verum etiam praeda quos augeant, et eos maxime, qui habent oppidum opportuno loco, quo saepe adeundum sit navibus, nonnunquam etiam necessario.

X. Phaselis illa, quam cepit P. Servilius, non fuerat urbs antea Cilicum et praedonum: Lycii illam, Graeci homines, incolebant. Sed quod erat eiusmodi loco, atque ita proiecta in altum, ut et exeuntes e Cilicia praedones saepe ad eam necessario devenirent, et, cum se ex hisce locis reciperent, eodem deferrentur, asciverunt sibi illud oppidum piratae, primo commercio, deinde etiam societate. Mamer- 22

---

§ 21. Offic. 3, 29. *Pirata non est perduellium numero definitus, sed communis hostis omnium.* Eodem ordine hic legebatur cum Codd. deterioribus *communes hostes.* — *Φασηλίς, πόλις ἀξιόλογος Λυκιακὴ ἐπὶ τῶν ὅρων ἱδρυμένη τῶν πρὸς Παμφυλίαν.* Strabo 14. p. 666. — P. Servilius Vatia Isauricus. Appianus tamen Mithr. 93. *Μουρήνας τε ἐγχειρήσας αὐτοῖς* (piratis) *οὐδὲν ἐξείργαστο μέγα· ἀλλ' οὐδὲ Σερουίλιος Ἰσαυρικὸς ἐπὶ τῷ Μουρήνᾳ.* Devicti sunt demum a Pompeio. — *ex hisce*] Reg. *ex iisce* Leid. quod reperitur apud Plautum Mercat. Prol. 91. *iisce confectis.*

§ 22. *C. Catonis*] cos. a. u. c. 640. — Accedo nunc Zumptio haec omnia pro scholio habenti composito partim vel ex Velleio 3, 8. *Mandetur deinde memoriae severitas iudiciorum, quippe C. Cato consularis, M. Catonis nepos, Africani sororis filius* (nepos igitur L. Aemilii Pauli) *repetundarum ex Macedonia damnatus est, cum lis eius IIII. aestimaretur*, vel ex alio scriptore idem tradente ex Act. 3, 80. *C. Catoni, consulari homini, clarissimo viro, HS IIII. milibus lis aestimata est;* denique colorem duxit ex huius orat. § 133. Scholiastae deberi etiam vv. *quo damnato — — aestimata est* ex eo maxime evincitur, quod Codd. optimi quique (Reg. Guelff.) exhibent tantum: *tunc, cum iudicia fiebant,* (ut semel est § 133) vel (Leid.) *tum, cum iudicia fuerunt,* quibus ille satis imperite hoc dicturus erat: „iis temporibus liberae rei publicae, quibus etiamtunc iudicia publica de pecuniis repetundis exercebantur." Posteriores autem (Sgall.), ne prorsus inepta evaderet sententia, inculcarunt *severa.* Neminem haec inculcaturum fuisse dicit Madvig. Ep. p. 27. Immo ut aliquis haec margini adscriberet, bella praebebatur occasio ex Act. 3, 80. maxime propter vv. sine illo loco obscuriora *maiorem sumptum* cet. item ex § 133. priore loco. — *irati fuerunt*] Ignoramus iam propter quam iniuriam ab eo acceptam, postquam reversus est ex Macedonia, ubi male cum Scordiscis pugnaverat, ob quam rationem maxime damnatus esse videtur. Cfr. Ferrat. — Timarchides, libertus et accensus Verris. (Act. 2, 28 et 53.)

tina civitas improba antea non erat: etiam erat inimica improborum: quae C. Catonis, illius, qui consul fuit, impedimenta retinuit. At cuius hominis? clarissimi ac potentissimi; qui tamen cum consul fuisset, condemnatus est. [Ita C. Cato, duorum hominum clarissimorum nepos, L. Paulli, et M. Catonis, et P. Africani sororis filius, quo damnato, tunc, cum [severa] iudicia fiebant, HS IIII milibus lis aestimata est.] Huic Mamertini irati fuerunt; qui maiorem sumptum, quam quanti Catonis lis aestimata est, in Timarchidi prandium

23 saepe fecerunt. Verum haec civitas isti praedoni ac piratae Siciliensi Phaselis fuit. Huc omnia undique deferebantur; apud istos relinquebantur: quod celari opus erat, habebant sepositum et reconditum: per istos, quae volebat, clam imponenda, occulte exportanda curabat: navem denique maximam, quam onustam furtis in Italiam mitteret, apud istos faciendam aedificandamque curavit: pro hisce rebus vacatio data est ab isto sumptus, laboris, militiae, rerum denique omnium: per triennium soli non modo in Sicilia, verum, ut opinio mea fert, his quidem temporibus, in omni orbe terrarum, vacui, expertes, soluti ac liberi fuerunt ab omni

24 sumptu, molestia, munere. Hinc illa Verria nata sunt: quod in convivium Sex. Cominium protrahi iussit, in quem scyphum de manu iacere conatus est, quem obtorta gula de convivio in vincla atque in tenebras abripi iussit. Hinc illa crux, in quam iste civem Romanum, multis inspectantibus,

---

§ 23. *deferebantur*] Reg. Leid. Z., cui substituerunt deteriores Codd. gl. *deportabantur*, ut iidem vv. *clam imponenda* praeposuerunt *in navem* scil. cybaeam. Cfr. de Divin. 2, 40. *cum M. Crassus exercitum Brundisii imponeret.* — *et rec.*] Reg. Leid. *ac rec.* Z. — Cum Cod. Reg. Guelff. habeant *faciundamque curavit*, apparet v. *aedificandam* absorptum esse a similibus ductibus v. *faciundam*, nec leg. esse cum Leid. *faciendam curavit.* cfr. § 140.

§ 24. *Verria*, *Βεῤῥεῖα*, dies festus in eius honorem. — „*quod in convivium*] Convivii nomine intelligi epulas illo ipso die post sacra institutas ex Act. 2, 21 et 63. patet.“ MADVIG. — *civem Ro.*] P. Gavium, Consanum. Act. 5, 61. — *venitis*] Reg. Leid. Z. Volgo ex interpr. *venire audetis.* — *apud senatum*] Reg. Leid. Z. „Volgo *apud senatorium ordinem*, quod ineptum; senatus *ordo* est civitatis, senatorius ordo dignitas.“ Z. In hoc quoque sibi indulsit grammaticorum sedula levitas, ut *senatum* explicarent *senatorium ordinem*, quod aliis deinde amplius quid ac magis sonorum cum videretur, receperunt.

sustulit: quam non ausus est usquam defigere, nisi apud eos, quibuscum omnia scelera sua ac latrocinia communicavit.

XI. Laudatum etiam vos quemquam venitis? qua auctoritate? utrum, quam apud senatum, an quam apud populum Romanum habere debetis? Ecqua civitas est, non in 25
provinciis nostris, verum in ultimis nationibus, aut tam potens, aut tam libera, aut etiam tam immanis ac barbara; rex denique ecquis est, qui senatorem populi Romani tecto ac domo non invitet? qui honos non homini solum habetur, sed primum populo Romano, cuius beneficio nos in hunc ordinem venimus, deinde ordinis auctoritati, quae nisi gravis erit apud socios et exteras nationes, ubi erit imperii nomen et dignitas? Mamertini me publice non invitarunt. Me cum dico, leve est: senatorem populi Romani si non invitarunt, honorem debitum detraxerunt non homini, sed ordini. Nam ipsi Tullio patebat domus locupletissima et amplissima Cn. Pompeii Basilisci, quo, etiamsi esset invitatus a vobis, tamen devertisset: erat etiam Percenniorum, qui nunc item Pompeii sunt, domus honestissima, quo L. frater meus summa illorum voluntate devertit. Senator populi Romani, quod in vobis fuit, in vestro oppido iacuit et pernoctavit in publico. Nulla hoc civitas unquam alia commisit. Amicum enim nostrum in iudicium vocabas. Tu, quid ego privatim negotii geram, interpretabere imminuendo honore senatorio? Verum 26
haec tum queremur, si quid de vobis per eum ordinem agetur, qui ordo a vobis adhuc solis contemptus est. In populi Romani quidem conspectum quo ore vos commisistis? nec prius illam crucem, quae etiamnunc civis Romani sanguine

---

§ 25. *non in*] Reg. Leid. Z. id est, non dico in cet. — Codd. deteriores: *non modo in.* — *cuius beneficio* cet.] Similiter in Sest. § 137. *maiores nostri, cum regiam potestatem non tulissent, ita magistratus annuos creaverunt, ut consilium senatus reip. praeponerent sempiternum, deligerentur autem in id consilium ab universo populo* cet. Scil. quos populus facit magistratus, ii eo ipso iure veniunt in senatum. — *apud socios et exteras nationes*] „Exterae nationes h. l. eae sunt, quae a Romanis subactae ac stipendiariae factae erant, cum socii sint, qui foedere coniuncti cum Romanis erant.“ MADVIG. — Vv. *et amplissima* cum retineat Leid. nolui delere cum Reg. Guelff. et Z. — *Pompeii*] Pompeii beneficio cives Ro. facti eius nomen adsciverunt. — *L. frater meus*] patruelis, qui cum Cicerone in Siciliam ad inquirendum in Verrem profectus erat. MAN.

redundat, quae fixa est ad portum urbemque vestram, revellistis, neque in profundum abiecistis, locumque illum omnem expiastis, quam Romam atque in horum conventum adiretis? In Mamertinorum solo foederato atque pacato monumentum istius crudelitatis constitutum est. Vestrane urbs electa est, ad quam cum adirent ex Italia, crucem civis Romani prius, quam quemquam amicum populi Romani viderent? quam vos Rheginis, quorum civitati invidetis, itemque incolis vestris, civibus Romanis, ostendere soletis, quo minus sibi arrogent minusque vos despiciant, cum videant ius civitatis illo supplicio esse mactatum.

27 XII. Verum haec emisse te dicis. Quid? illa Attalica tota Sicilia nominata ab eodem Heio peripetasmata emere oblitus es? Licuit eodem modo, ut signa. Quid enim actum est? An litteris pepercisti? Verum hominem amentem hoc fugit: minus clarum putavit fore, quod de armario, quam quod de sacrario esset ablatum. At quomodo abstulit? non possum dicere planius, quam ipse apud vos dixit Heius. Cum quaesissem, numquid aliud de bonis eius pervenisset ad Verrem, respondit, istum ad se misisse, ut sibi mitteret Agrigentum peripetasmata. Quaesivi an misisset: respondit id, quod necesse erat scilicet, dicto audientem fuisse praetori; misisse. Rogavi, pervenissentne Agrigentum: dixit pervenisse. Quaesivi, quemadmodum revertissent: negavit adhuc revertisse. Risus populi atque admiratio omnium

---

§ 27. *haec*] Heii quae fuerant signa. — *Attalica*] aulaea auro intertexta, qualia primus Attalus rex invenit. MAN. Nexus verborum requirit, ut cum Hotomano etsi rariore significatione v. *nominata* explicemus „celebrata per totam Siciliam emere ab Heio," non: „ab Heio nominata." Est fere, ut § 41. *res clara Sicilia tota.* — *quid enim actum est?*] Quid eo profecisti, quid lucratus es, quod emptionem r. luisti simulare? Ad summam, membranam et atramentum compendifecisti. (Aliter accepit Zumptius: „Nihil enim re vera actum est; non vera fuit emptio.") — *Quaesivi an misisset*] Hoc Tullianum non esse demonstratum ivit Zumptius Gramm. Ed. VII. § 353. In Ed. proponit: *Anne misisset.* Mihi βραχυλογία videtur pro: „Quaesivi, retinuissetne domi, an misisset:" id quod reprehensione careret. Cfr. etiam Hand Turs. 1. p. 358. — *quod necesse erat scilicet, dicto*] Sic distinxit Madvig. Ep. p. 89. *quod necesse erat*, *scilicet dicto* Z. — *admiratio*] sic Codd. (etiam Reg. Leid. Sgall.) praeter Lagom. 42. in quo *admurmuratio.* Verumtamen etiam in Bruto § 290. *multae admirationes; risus, cum velit.*

vestrum facta est. Hic tibi in mentem non venit iubere, ut haec quoque referret HS VI milibus D se tibi vendidisse? metuisti, ne aes alienum tibi cresceret, si HS VI milibus D tibi constarent ea, quae tu facile posses vendere HS ducentis milibus? Fuit tanti, mihi crede: haberes quod defenderes: nemo quaereret, quanti illa res esset; si modo te posses docere emisse, facile cui velles tuam causam et factum probares: nunc de peripetasmatis quemadmodum te expedias, non habes.

Quid? a Phylarcho Centuripino, homine locuplete ac 29
nobili, phaleras pulcherrime factas, quae regis Hieronis fuisse dicuntur, utrum tandem abstulisti, an emisti? In Sicilia quidem cum essem, sic a Centuripinis, sic a ceteris audiebam, (non enim parum res erat clara) tam te has phaleras a Phylarcho Centuripino abstulisse dicebant, quam alias item nobiles ab Aristo Panhormitano, quam tertias a Cratippo Tyndaritano. Etenim si Phylarchus vendidisset, non ei, posteaquam reus factus es, redditurum te promisisses. Quod quia vidisti plures scire, cogitasti, si ei reddidisses, te minus habiturum, rem nihilominus testatam futuram: non reddidisti. Dixit Phylarchus pro testimonio, se, quod nosset tuum istum morbum, ut amici tui appellant, cupisse te celare de phaleris: cum abs te appellatus esset, negasse habere sese: apud alium quoque eas habuisse depositas, ne qua invenirentur: tuam tantam fuisse sagacitatem, ut eas per illum ipsum inspiceres, ubi erant depositae: tum se deprehensum negare non potuisse: ita ab se invito phaleras ablatas gratis.

XIII. Iam, ut haec omnia reperire ac perscrutari soli- 30
tus sit, iudices, est operae pretium cognoscere. Cibyratae

---

§ 29. *Phylarcho*] Haec Zumptii scriptura pro *Philarcho* altero loco firmatur a Cod. Reg. *phylarco*. — *ablatas*] Est ex iis locis, in quibus deterior Codd. familia veriorem servavit lectionem; nam Reg. Leid. *sublatas*. Sed *sublatus ab aliquo* pro *alicui* dici vix poterat. Cfr. Zumptium.

§ 30. *Cibyra* caput Phrygiae magnae. — *inanibus syngraphis*] „Pertinere rem ad Malleoli hereditatem (Act. I., 36.) furtumque Verris subesse apparet. Itaque *inanes* eas esse puto, in quibus neque creditoris neque debitorum nomina dum perscripta sunt, quales Verres secum attulit, ut cum iis, qui Malleolo deberent, novas faceret suumque nomen pro Malleolo inscriberet." Z.

sunt fratres quidam, Tlepolemus et Hiero: quorum alterum fingere opinor e cera solitum esse, alterum esse pictorem. Hosce opinor, Cibyrae cum in suspicionem venissent suis civibus fanum expilasse Apollinis, veritos poenam iudicii ac legis, domo profugisse. Quod Verrem artificii sui cupidum cognoverant tum, cum iste, id quod ex testibus didicistis, Cibyram cum inanibus syngraphis venerat, domo fugientes ad eum se exules, cum iste esset in Asia, contulerunt. Habuit eos secum ab illo tempore, et in legationis praedis atque furtis multum illorum opera consilioque usus est.
31 Hi sunt illi, quibus in tabulis refert sese Q. Tadius dedisse iussu istius Graecis pictoribus. Eos iam bene cognitos et re probatos secum in Siciliam duxit. Quo posteaquam venerunt, mirandum in modum, (canes venaticos diceres,) ita odorabantur omnia et pervestigabant, ut, ubi quidque esset, aliqua ratione invenirent. Aliud minando, aliud pollicendo, aliud per servos, aliud per liberos, per amicum aliud, aliud per inimicum inveniebant: quicquid illis placuerat, perdendum erat. Nihil aliud optabant quorum poscebatur argentum, nisi ut id Hieroni et Tlepolemo displiceret.

32 XIV. Verum mehercule hoc, iudices, dicam. Memini, Pamphilum Lilybaetanum, amicum et hospitem meum, no-

§ 31. Vide, ne interpolatori debeantur vv. *in tabulis* (alii *in tabulas*) omissa in Cod Leid. — *Q. Tadius*] Verris quaestor. — *canes*] ut § 47. *illi Cibyratici canes*, emissarii, investigatores. — *quidque*] In Reg. scribitur *quicque*. Ante Grut. legebatur *quidquid*, et sic Sangall. „*Quisquis* non ponitur cum relativis, sed ipsum relativum est.“ Z. Opponit Schmidtius de pron. Graeco et Latino Halis 1832. p. 57. locum ad Fam. 6, 1. *quocunque in loco quisquis est, idem est ei sensus* cet. ubi Martyni-Lagunu correxit *quisque*, ut ibid. Ep. 4, 3. *ubi quisque sit, ibi esse minime velit.* Est praeterea in Cic. Fragm. Ed. meae p. 556. *Terenti* —— *Quidquid come loquens;* quod explica: „quidquid loqueris, comiter loquens.“ et Tusc. 5, 34. *ut quidquid obiectum est.* pro Fonteio 7. *ut quidquid ex illo loco dicetur*, id est, „ut quid, quidquid est cet.“ Sed nostro loco Reg. Guelf. 1. satis defendunt frequentius *quidque*. — *ut id Hieroni*] Reg. *ut Hieroni* Leid. Z.

§ 32. Boëthus statuarius et argenti caelator, Karthagine natus, qui proinde ante excidium huius urbis floruit. Sillig. proximus a Mentore. Plin. 33, 12, 55. — *adventus*] Reg. Leid. Quoties hospites advenissent, ut Act. 2, 34. *ad invitationes adventusque nostrorum hominum*, melius quam Ern. *adventum*. — *Venerius*] pr. ἱερόδουλος, servus Veneris Erycinae, iam Verris emissarius. — Non temere Lambinus de suo edidit *quid vis, inquiunt, nobis dare;* sed sic habet Leid. — Falsa lectio Ern. *HS. cc me* — — *dixi me daturum*, ex Hervagiana dudum propagata

bilem hominem, mihi narrare, cum iste ab sese hydriam Boëthi manu factam, praeclaro opere et grandi pondere, per potestatem abstulisset, se sane tristem et conturbatum domum revertisse, quod vas eiusmodi, quod sibi a patre et maioribus esset relictum, quo solitus esset uti ad festos dies, ad hospitum adventus, a se esset ablatum. Cum sederem, inquit, domi tristis, accurrit Venerius: iubet me scyphos sigillatos ad praetorem statim afferre. Permotus sum, inquit: binos habebam: iubeo promi utrosque, ne quid plus mali nasceretur, et mecum ad praetoris domum ferri. Eo cum venio, praetor quiescebat: fratres illi Cibyratae inambulabant. Qui me ubi viderunt, Ubi sunt, Pamphile, inquiunt, scyphi? Ostendo tristis. Laudant. Incipio queri, me nihil habiturum, quod alicuius esset pretii, si etiam scyphi essent ablati. Tum illi, ubi me conturbatum vident; Quid vis nobis dare, ut isti abs te ne auferantur? Ne multa, sestertios CIↃ me, inquit, poposcerunt: dixi me daturum. Vocat interea praetor: poscit scyphos. Tum illos coepisse praetori dicere, putasse se, id quod audissent, alicuius pretii scyphos esse Pamphili: luteum negotium esse; non dignum, quod in suo argento Verres haberet. Ait ille, idem sibi videri. Ita Pamphilus scyphos optimos aufert.

Et mehercule ego antea, tametsi hoc nescio quid nuga- 33
torium sciebam esse, ista intelligere, tamen mirari solebam, istum in his ipsis rebus aliquem sensum habere; quem scirem nulla in re quicquam simile hominis habere.

XV. Tum primum intellexi, ad eam rem istos fratres Cibyratas fuisse, ut iste in furando manibus suis, oculis illorum uteretur. At ita studiosus est huius praeclarae existimationis, ut putetur in hisce rebus intelligens esse, ut

est, in quam, ut ceterae eiusmodi, fluxit ex rarissima Ed. Ascensiana tertia anni 1531. — *luteum*] vilissimum, ut luto nihil vilius. Sic Act. 3, 14. Verres *homo luteus*. MAN.

§ 33. *L.* Cornelium *Sisennam*, historicum, eo anno aedilem curulem, Verris fautorem. Cfr. infra § 43. — *accessit* et *coepit* ex ἀνακολούθῳ, sermonem quotidianum egregie referente Reg. Leid., immo et Sangall. Z. pro Ern. *accesserit* — *coeperit*. — *venisset* scil. antequam argentum illum tam studiose consideraret. Consulto mutavit tempora *augeret* — — *venisset* Reg. Leid. pro Ern. *augeret* — — *veniret*.

nuper (videte hominis amentiam) posteaquam est comperendinatus, cum iam pro damnato mortuoque esset, ludis Circensibus mane apud L. Sisennam, virum primarium, cum essent triclinia strata argentumque expositum in aedibus; cum pro dignitate L. Sisennae domus esset plena hominum honestissimorum: accessit ad argentum, contemplari unumquidque otiose et considerare coepit. Mirari stultitiam alii, quod in ipso iudicio, eius ipsius cupiditatis, cuius insimularetur, suspicionem augeret; alii amentiam, cui comperendinato, cum tam multi testes dixissent, quicquam illorum venisset in mentem. Pueri autem Sisennae, credo qui audissent, quae in istum testimonia dicta essent, oculos de isto nusquam deicere, neque ab argento digitum discedere.
34 Est boni iudicis, parvis ex rebus coniecturam facere uniuscuiusque et cupiditatis et continentiae. Qui reus, et reus lege comperendinatus, re et opinione hominum paene damnatus, temperare non potuerit maximo conventu, quin L. Sisennae argentum tractaret et consideraret; hunc praetorem in provincia quisquam putabit a Siculorum argento cupiditatem aut manus abstinere potuisse?

35 XVI. Verum, ut Lilybaeum, unde digressa est oratio, revertamur, Diocles est, Pamphili gener illius, a quo hydria

---

§ 34. *et continentiae*] Sic Reg. Guelff. (in Leid. haec duo vv. omissa sunt.) Recte omnino hac lectione amovetur *ταυτολογία* volgatae (Sgall. Z.) *et incontinentiae.* „Ex parvis utique rebus et de cupiditate et de continentia uniuscuiusque accusati coniecturam facere licet.“ Ceterum Madvig. e vestig. Codd. prius *et* omittentium mavolt: *unius cuiusque continentiae.* — *Qui* cet. — *reus* cet.] Sic Reg. Leid. Z. „Magnum erat, reum hoc facere; maius, huiusmodi reum, qui, si legis verba spectares, comperendinatus esset, si rem et iudicia hominum, paene damnatur. Madvig. (Scil. Sgall. Ern.: *reus lege, et reus comperendinatus.*)

§ 35. *revertamur*] Z. firmat Leid. pro Ern. *revertatur.* — *in donationem*] Reg. Leid., quo casu melius tenuissimae illius aestimationis finis indicatur, quam Sgall. Ern. Z. *in donatione.* Locus obscurus. Quod Zumptius interpretatur de corollariis histrionibus praeter praemia dari solitis, non satis declarat, quomodo aut cur tam tenuis fuerit taxatio: nec corollarum laminae illae aereae inauratae aut inargentatae aestimationis, ut opinor, indigebant, cum ornamento et honori essent potius quam pretium haberent. Ego vocabulo *argentum* pressius inhaerens rem potius sic se habuisse reor: finitis ludis aedilis curulis praeterquam pecuniâ, histriones, qui maxime placuerant, remunerabatur scyphis, cet. argenteis; lex autem vel mos talium munerum pondus ac pretium cum definisset, licebat tamen

ablata est, Popillius cognomine. Ab hoc abaci vasa omnia, ut exposita fuerant, abstulit. Dicat se licet emisse: etenim hic propter magnitudinem furti sunt litterae, ut opinor, factae. Iussit Timarchidem aestimare argentum. Quo modo? Quo qui unquam tenuissime in donationem histrionum aestimavit.

Tametsi iamdudum ego erro, qui tam multa de tuis emptionibus verba faciam, et quaeram, utrum emeris necne, et quomodo et quanti emeris: quod verbo transigere possum. Ede mihi scriptum, quid argenti in provincia Sicilia pararis, unde quidque aut quanti emeris. Quid fit? quamquam non 36
debebam ego abs te has litteras poscere: me enim tabulas tuas habere et proferre oportebat. Verum negas te horum annorum aliquot confecisse. Compone hoc, quod postulo, de argento; de reliquo videro. *Nec scriptum habeo, nec possum edere.* Quid futurum igitur est? Quid, existimas hoc iudices facere posse? Domus plena signorum pulcherrimorum iam ante praeturam: multa ad villas tuas posita, multa deposita apud amicos, multa aliis data atque donata: tabulae nullum indicant emptum. Omne argentum ablatum ex Sicilia est; nihil cuiquam, quod suum dici vellet, relictum: fingitur improba defensio, praetorem omne id argentum coëmisse; tamen id ipsum tabulis demonstrari non potest. Si quas tabulas profers, in his, quae habes, quomodo habeas, scriptum non est, horum autem temporum, cum te plurimas res emisse dicis, tabulas omnino nullas profers,

---

aedili histrionem, cui favebat, de sua pecunia maiore aliquo poculo donare, ita tamen ut in proclamandis eiusmodi praemiis tenuior ipso doni pondere aestimatio recitaretur.

§ 36. *aliquot*] „horum aliquot proximorum, si ab hoc tempore (regrediendo) numeramus.“ Zumptius e Codd. Steph. Guelff. *aliquid*, ortum ex Regii errore *aliquit.* Verum requireretur *quidquam.* Cfr. Madvig. Diss. Verr. II. p. 17. — *quid, existimas hoc*] Reg. (hic *existimes*) Leid. Sententia est: „quid? existimas fortasse, tu cum edere non possis, hoc pro te facere iudices posse? Nimirum stultus es!“ — *quid existimas hosce* (Sgall. Ern. *hos* e Guelff. Z.) *facere posse?* qua in lectione ante veram tandem agnitam de gloss. suspectum mihi erat v. *iudices.* Explicabant: „facere aliud posse quam te condemnare.“ — *dicis - - profers*] Reg. Leid. Z. *dicas - - proferas* Sgall. Ern. In fine § secutus sum distinctionem Madvigii. — *quae habes*] scripta sunt. Z. — *ab Lysone*] Reg. *a Lysone* Ern.

nonne te et prolatis et non prolatis tabulis condemnari necesse est?

37 XVII. Tu a M. Caelio, equite Romano, lectissimo adolescente, quae voluisti Lilybaei abstulisti: tu C. Cacurii, prompti hominis et experientis et in primis gratiosi, supellectilem omnem auferre non dubitasti: tu maximam et pulcherrimam mensam citream a Q. Lutatio Diodoro, qui Q. Catuli beneficio ab L. Sulla civis Romanus factus est, omnibus scientibus, Lilybaei abstulisti. Non tibi obiicio, quod hominem dignissimum tuis moribus, Apollonium, Niconis filium, Drepanitanum, qui nunc A. Clodius vocatur, omni argento optime facto spoliasti ac depeculatus es. Taceo. Non enim putat ille sibi iniuriam factam, propterea quod homini iam perdito et collum in laqueum inserenti subvenisti, cum pupillis Drepanitanis bona patria erepta cum illo partitus es. Gaudeo etiam, si quid ab eo abstulisti, et abs te nihil rectius factum esse dico. Ab Lysone vero Lilybaetano, primo homine, apud quem deversatus es, Apollinis signum ablatum certe non oportuit. Dices te emisse. Scio: HS CIↃ: ita opinor. Scio, inquam: proferam litteras: tamen id factum non oportuit. A pupillo Heio, cui C. Marcellus tutor est, a quo pecuniam grandem eripueras, scaphia cum emblematis Lilybaei utrum empta esse dicis, an confiteris erepta?

38 Sed quid ego istius in eiusmodi rebus mediocres iniurias colligo, quae tantummodo in furtis istius, et damnis eorum, a quibus auferebat, versata esse videantur? Accipite, si vol-

---

§ 37. *iam perdito*] *tam p.* Reg. Leid. Verum propter vv. *collum* cet. illud servavi. — *scaphia*] ut *cymbium* a *cymba*, poculi genus σκάφους formam referens. cfr. Zumptium ad § 55., ubi olim legebatur *scyphis*.

§ 38. *versata*] Sic etiam Reg. Leid. Sgall. recipiente Z. pro Ern. *versatae*. Quamquam, fateor, *e* facile absorberi poterat a seq. *e* v. *esse*. — *in iis*] Reg. *in his* Leid. Z. — *furorem iam, non cupiditatem*] Ex Regii et Havn. collatione hic ordo satis firmatur. *furorem, non iam cupiditatem* Leid. Z. — *pocula quaedam*] Reg. Leid. Z. pro Sgall. Ern. *pocula duo quaedam*. — *Thericlia*] (Reg. Leid.) a Thericle, artifice poculorum Corinthio, Aristophanis comici aequali primum sic appellata, eodem genere illius nomen retinente, etiamsi ab aliis confecta essent, ut hic a Mentore, caelatore omnium maxime laudato, qui floruit ante Olymp. 106. (ante Chr. n. 356.)

tis, iudices, rem eiusmodi, ut amentiam singularem et furorem iam, non cupiditatem eius perspicere possitis.

XVIII. Melitensis Diodorus est, qui apud vos antea testimonium dixit. Is Lilybaei multos iam annos habitat, homo et domi nobilis et apud eos, quo se contulit, propter virtutem splendidus et gratiosus. De hoc Verri dicitur, habere eum perbona toreumata: in iis pocula quaedam, quae Thericlia nominantur, Mentoris manu summo artificio facta. Quod iste ubi audivit, sic cupiditate inflammatus est non solum inspiciendi, verum etiam auferendi, ut Diodorum ad se vocaret ac posceret. Ille, qui illa non invitus haberet, respondet Lilybaei se non habere, Melitae apud quendam propinquum suum reliquisse. Tum iste continuo mittit homines certos Meli- 39
tam: scribit ad quosdam Melitenses, ut ea vasa perquirant: rogat Diodorum, ut ad illum propinquum suum det litteras: nihil ei longius videbatur, quam dum illud videret argentum. Diodorus, homo frugi ac diligens, qui sua servare vellet, ad propinquum suum scribit, ut iis, qui a Verre venissent, responderet, illud argentum se paucis illis diebus misisse Lilybaeum. Ipse interea recedit: abesse a domo paulisper maluit, quam praesens illud optime factum argentum amittere. Quod ubi iste audivit, usque eo commotus est, ut sine ulla dubitatione insanire omnibus ac furere videretur. Quia non potuerat eripere argentum, ipse a Diodoro erepta sibi vasa optime facta dicebat: minitari absenti Diodoro: vociferari palam: lacrimas interdum vix tenere. Eriphylam accepimus in fabulis ea cupiditate, ut, cum vidisset monile, ut opinor, ex auro et gemmis, pulchritudine eius incensa salutem viri proderet. Similis istius cupiditas; hoc etiam

§ 39. *sine ulla dubitatione*] Vitiose Leid. *sine omni dubitatione*, ut apud recentiores interdum reperies *sine omni causa*. Similiter optimi Codicis librarius interdum *βαρβαρίζων* § 56. Tullii verbis *aurificem iussit vocari in forum* substituit: *a. fecit vocari in foro*, Italice *fece chiamare nel foro*. — Eriphyle, uxor Amphiarai vatis, qui cum ab Adrasto rege ad bellum Thebanum magna contentione vocaretur neque tamen parere vellet, quod se nunquam inde rediturum tanto ante praevideret seseque ideo abdidisset, tandem ab uxore aureo monili a rege corrupta proditus est et in bellum proficisci coactus, ubi hiatu terrae absorptus est. Hot. Occisa matre patrem vindicavit Alcmaeon. Memorantur autem a grammaticis Ennii et Accii Alcmaeon, huius etiam Eriphyla.

acrior atque insanior, quod illa cupiebat id, quod viderat, huius libidines non solum oculis, sed etiam auribus excitabantur.

40 XIX. Conquiri Diodorum tota provincia iubet. Ille ex Sicilia iam castra commoverat, et vasa collegerat. Homo, ut aliquo modo in provinciam illum revocaret, hanc excogitat rationem, si haec ratio potius, quam amentia nominanda est. Apponit de suis canibus quendam, qui dicat se Diodorum Melitensem rei capitalis reum velle facere. Primo mirum omnibus videri, Diodorum reum, hominem quietissimum, ab omni non modo facinoris, verum etiam minimi errati suspicione remotissimum. Deinde esse perspicuum, fieri omnia illa propter argentum. Iste non dubitat iubere nomen deferri: et tum primum opinor istum absentis nomen

41 recepisse. Res clara Sicilia tota, propter caelati argenti cupiditatem reos fieri rerum capitalium, neque solum reos fieri, sed etiam absentes. Diodorus Romae sordidatus circum patronos atque hospites cursare: rem omnibus narrare. Litterae mittuntur isti a patre vehementes, ab amicis item, videret, quid ageret de Diodoro, quo progrederetur: rem claram esse, et invidiosam; insanire hominem; periturum hoc uno crimine, nisi cavisset. Iste etiamtum patrem, si non in parentis, at in hominum numero putabat: ad iudicium nondum se satis instruxerat: primus annus erat provinciae; non, ut in Sthenio, iam refertus pecunia. Itaque furor eius paullulum, non pudore, sed metu ac timore repressus est. Condemnare Diodorum non audet absentem: de reis eximit. Diodorus interea praetore isto prope trien-

---

§ 40. *commoverat*] ex usu Cic. (Act. 5, 7.) Reg. Leid. pro Ern. *moverat.* Festive autem cum exercitu castra movente vasaque (impedimenta) colligente Diodori fugam comparat. — *in prov. illum*] Reg. *illum in prov.* Leid. Z. — *videri, Diodorum reum*] Prorsus necesse non est, ut corrigamus: *videri fieri D. reum*, cum partim mox sequatur *fieri*, partim simplex accusativus, ut fit in exclamationibus, hominum indignationem optime exprimat. — *nomen*, ut rei *deferri*] ad se, praetorem. Male h. l. Codd. vel optimi *referri.*

§ 41. *insanire hominem*] Verrem intelligi simpliciter monendum erat propter Ernestium, qui cum aliis de Diodoro interpretatus est. — *non audet absentem: de reis eximit*] Sic distinxi cum Cod. Sangall. Ceteri, etiam Z.: *non audet: absentem de r. e.*

nium provincia domoque caruit. Ceteri, non solum Siculi, 42
sed etiam cives Romani, hoc statuerant, quoniam iste tantum cupiditate progrederetur, nihil esse, quod quisquam putaret se, quod isti paulo magis placeret, conservare aut domi retinere posse;

XX. postea vero quam intellexerunt isti virum fortem, quem summe provincia expectabat, Q. Arrium, non succedere, statuerunt nihil se tam clausum neque tam reconditum posse habere, quod non istius cupiditati apertissimum promptissimumque esset.

Tum iste ab equite Romano splendido et gratioso, Cn. Calidio, cuius filium sciebat senatorem populi Romani et iudicem esse, equuleos argenteos nobiles, quique maximi fuerant, aufert. Imprudens huc incidi, iudices: emit enim, 43
non abstulit: nollem dixisse: iactabit se, et in his equitabit equuleis. *Emi: pecuniam solvi.* Credo: etiam tabulae proferentur. Est tanti, cedo tabulas: dilue sane crimen hoc Calidianum, dum ego tabulas aspicere possim. Verumtamen quid erat, quod Calidius Romae quereretur, se, cum tot annos in Sicilia negotiaretur, abs te solo ita esse contemptum, ita despectum, ut etiam una cum ceteris Siculis despoliaretur. Si emeras, quid erat, quod confirmabat, se abs te argentum esse repetiturum, si id tibi sua voluntate vendiderat; tu porro posses facere, ut Cn. Calidio non redde-

---

§ 42. *hoc statuerant*] Cod. Reg. sic: *hoc s. statuerant*; id quod in aliis Codd. significat: *hoc scilicet statuerant.* Mox § 51. rursus: *non s. discedebat.* Verum neutro loco particulae *scilicet* locus est. Hoc igitur tenendum, vel in Cod. Regio ipso vel in eius archetypo esse . *s* . arbitrarium ornamentum καλλιγραφικόν, quo, ne vacuum remaneret spatium, versus explebant, ut aliis modis factum vidi aliis in codicibus.

§ 43. *equuleos* (*eculeos* Priscian. Reg.) Memini me videre eiusmodi eculeum aereum, qui ante haec tria secula in equitum Melitensium epulis adhibebatur, cuius in dorsum perforatum vinum infundebatur, epotabatur per cannam e pectore prominentem. Eam poculi formam ex antiquitate artifex quisquis fuit retinuisse videtur. — *quique maximi*] Sic Prisc. lib. 3. extr. Reg. Leid. probante Madvigio p. 65. Est; „qui aliquando magno pretio constiterant.“ Ern. et Z.: *qui Q. Maximi*, per quem volgo intelligunt Allobrogicum; sed inter tot Fabios sic infinite loqui non poterat Tullius, si eculeorum pretium possessore pristino commemorato augere volebat.

res? praesertim cum is L. Sisenna, defensore tuo, tam familiariter uteretur, et cum ceteris familiaribus Sisennae red-
41 didisses? Denique non opinor negaturum esse te, homini honesto, sed non gratiosiori, quam Cn. Calidius est, L. Curidio argentum per Potamonem, amicum tuum, reddidisse. Qui quidem ceterorum causam apud te difficiliorem fecit. Nam cum te confirmasses compluribus redditurum, posteaquam Curidius pro testimonio dixit, te sibi reddidisse, finem reddendi fecisti: quod intellexisti, praeda te de manibus emissa testimonium tamen effugere non posse. Cn. Calidio, equiti Romano, per omnes alios praetores licuit habere argentum bene factum; licuit posse domesticis copiis, cum magistratum aut aliquem superiorem invitasset, ornare et apparare convivium. Multi domi Cn. Calidii cum potestate atque imperio fuerunt: nemo inventus est tam amens, qui illud argentum tam praeclarum ac tam nobile eriperet, nemo tam audax, qui posceret, nemo tam impudens, qui postularet ut
45 venderet. Superbum est enim, iudices, et non ferendum, dicere praetorem in provincia homini honesto, locupleti, splendido, *vende mihi vasa caelata.* Hoc est enim dicere: non es dignus tu, qui habeas, quae tam bene facta sunt:

---

§ 44. *equitabit*] sese iactabit, exultabit. cfr. Manut. — *Est tanti*] pr. *es ist mir so viel werth; ich lasse es darauf ankommen;* ut Catil. 1, 9. *Sed est tanti, dummodo ista privata sit calamitas.* et Catil. 2, 7. *Est mihi tanti, huius invidiae falsae -- tempestatem subire.* In utroque loco male olim interpretabantur: *es ist mir gleichgültig*, cum sit: „est operae pretium." (§ 13.) — *abs te solo*] Reg. Leid. *a te solo.* Verum in his Oratt. constanter antiquiorem formam retinuit. Cfr. Zumptium. — *una cum ceteris Siculis*] Tametsi ipse Siculus non erat, tamen ac si esset, eadem qua ceteri, afficiebatur iniuria. — *tu porro*] si praeterea iure obtinere posses, ut tamquam legitime emptum id Calidio non redderes, cum erepta ceteris Sisennae familiaribus reddidisses.

§ 45. L. Papirium Potamonem, quo scriba usus erat Caecilius, Verris quaestor. Divin. c. 9. Lib. 3, 60 et 66. Man. — *cum potestate atque imperio*] Sic Reg. Leid. (hic tamen cum frequentissimo naevo *ac*, item § 47. *simul ac in*; ignorabant enim librarii *ac* ante vocalem et aspirationem non poni.) sane legitimo ordine („antecedit potestas, insuper datur imperium." Z.) quamquam etiam inverso ordine *pro imperio et potestate* habes § 49. quemadmodum hic Ern. cum Codd. deterioribus *cum imperio ac potestate.* Adeo in talibus res pendet ab arbitrio scriptoris, cui verbo vel propter sensum vel propter gratiorem sonum locum priorem assignare velit.

meae dignitatis ista sunt. Tu dignior, Verres, quam Calidius? qui ut non conferam vitam neque existimationem tuam cum illius: neque enim est conferenda: hoc ipsum conferam, quo tu te superiorem fingis — quod HS. ccc milia divisoribus, ut praetor renuntiarere, dedisti, LXXX accusatori, ne tibi *odiosus* esset, ea re contemnis equestrem ordinem et despicis? ea re tibi indignum visum est quicquam, quod tibi placeret, Calidium potius habere quam te?

XXI. Iactat se iamdudum de Calidio: narrat omnibus 46
emisse se. Num etiam de L. Papinio, viro primario, locupleti honestoque equite Romano, turibulum emisti? qui pro testimonio dixit, te, cum inspiciendum poposcisses, evolso emblemate remisisse: ut intelligatis in homine intelligentiam esse, non avaritiam, artificii cupidum, non argenti fuisse. Nec solum in Papinio fuit hac abstinentia: tenuit hoc institutum in turibulis omnibus, quaecunque in Sicilia fuerunt. Incredibile est autem, quam multa et quam praeclara fuerint. Credo tum, cum Sicilia florebat opibus et copiis, magna artificia fuisse in ea insula. Nam domus erat ante istum praetorem nulla paulo locupletior, qua in domo haec non essent, etiamsi praeterea nihil esset argenti, patella grandis cum sigillis ac simulacris deorum, patera, qua mulieres ad res divinas uterentur, turibulum. Haec autem omnia antiquo opere et summo artificio facta: ut hoc liceret suspicari, fuisse aliquando apud Siculos peraeque pro portione cetera, sed quibus multa fortuna ademisset, tamen apud eos remansisse ea, quae religio retinuisset. Dixi, iudices, multa fuisse 47

---

§ 46. *sunt*] Reg. Z. „revera tam bene facta habes." Contra *sint* Leid. Ern. „qui habeas ea omnia, quae tam bene facta sint, ut haec, quae habes." — *neque existimationem*] Reg. Leid. Sic ex Ciceronis consuetudine (cfr. Madvig. Ep. p. 66.) duo sunt membra, qua distinctione gravior fit sententia. *atque exist.* Ern. ex usu nostrarum linguarum. — *superiorem*] id est, longe locupletiorem, utpote qui tam immensas summas in facinorosam corruptionem erogaris. — *ne tibi odiosus esset*] ne tibi negotium facesseret.

§ 47. *evolso*] Reg. Leid. *vulso* Ern. Etiam *avellere* rectum § 47. — *magna artificia*] praeclaras omnis generis artes. — Propter v. *magna* accipi non potest cum Wolffio pro ipsis artis operibus, cui significatui proxime accedit § 59. *haec opera atque artificia*, id est, opera artificii plena. — *sigillis* intelligo de pluribus minoribus figuris inter se iunctis (groppo di figurine) thiasi v. c. Bacchici; *simulacris* de singulorum deorum imaginibus in patella caelatis.

fere apud omnes Siculos: ego idem confirmo, nunc ne unum quidem esse. Quid hoc est? quod hoc monstrum, quod prodigium in provinciam misimus? Nonne vobis id egisse videtur, ut non unius libidinem, non suos oculos, sed omnium cupidissimorum insanias, cum Romam revertisset, expleret? Qui simul atque in oppidum quodpiam venerat, immittebantur illi continuo Cibyratici canes, qui investigabant et perscrutabantur omnia. Si quod erat grande vas et maius opus inventum, laeti afferebant: si minus eiusmodi quippiam venari potuerant, illa quidem certe pro lepusculis capiebantur, patellae, paterae, turibula. Hic quos putatis fletus mulierum, quas lamentationes fieri solitas esse in hisce rebus? quae forsitan vobis parvae esse videantur: sed magnum et acerbum dolorem commovent, mulierculis praesertim, cum eripiuntur e manibus ea, quibus ad res divinas uti consuerunt, quae a suis acceperunt, quae in familia semper fuerunt.

48 XXII. Hic nolite expectare, dum ego haec *crimina* agam ostiatim, ab Aeschylo Tyndaritano istum pateram abstulisse, a Thrasone item Tyndaritano patellam, a Nymphodoro Agrigentino turibulum. Cum testes ex Sicilia dabo, quem volet ille eligat, quem ego interrogem de patellis, pateris, turibulis: non modo oppidum nullum, sed ne domus quidem ulla paulo locupletior expers huius iniuriae reperietur. Qui cum in convivium venisset, si quicquam caelati aspexerat, manus abstinere, iudices, non poterat. Cn. Pompeius est Philo, qui fuit Tyndaritanus. Is coenam isti dabat apud villam in Tyndaritano. Fecit, quod Siculi non audebant; ille, civis Romanus quod erat, impunius id se facturum putavit: apposuit patellam, in qua sigilla erant egregia. Iste continuo ut vidit, non dubitavit illud insigne penatium hospitaliumque deorum ex hospitali mensa tollere: sed tamen, quod ante de istius abstinentia dixeram, sigillis
49 avolsis reliquum argentum sine ulla avaritia reddidit. Quid?

---

§ 48. *immittebantur*] Omnia hic verba canum propria, quocirca unice rectum est *afferebant* (Reg. Leid.), pro quo olim legebatur *auferebant*. Mire Codd. aliq. etiam Leid. (non Reg.) *accipiebantur* pro *capiebantur*.

§ 49. *apud villam*] Notavit hunc apud Ciceronem singularem, apud Tacitum

Eupolemo Calactino, homini nobili, Lucullorum hospiti ac perfamiliari, qui nunc apud exercitum cum L. Lucullo est, non idem fecit? Coenabat apud eum. Argentum ille ceterum purum apposuerat, ne purus ipse relinqueretur: duo pocula non magna, verumtamen cum emblemate. Hic, tamquam festivum acroama, ne sine corollario de convivio discederet, ibidem, convivis spectantibus, emblemata evellenda curavit.

Neque ego nunc istius facta omnia enumerare conor: neque opus est, nec fieri ullo modo potest: tantum uniuscuiusque de varia improbitate generis indicia apud vos et exempla profero. Neque enim ita se gessit in his rebus, tamquam rationem aliquando esset redditurus, sed prorsus ita, quasi aut reus nunquam esset futurus, aut, quo plura abstulisset, eo minore periculo in iudicium venturus esset: qui haec, quae dico, iam non occulte, non per amicos atque interpretes, sed palam de loco superiore ageret, pro imperio et potestate.

XXIII. Catinam cum venisset, oppidum locuples, ho- 50
nestum, copiosum, Dionysiarchum ad se proagorum, hoc est summum magistratum, vocari iubet: ei palam imperat, ut omne argentum, quod apud quemque esset Catinae, conquirendum curaret et ad se afferendum. Phylarchum Centuripinum, primum hominem genere, virtute, pecunia, non hoc idem iuratum dicere audistis, sibi istum negotium dedisse atque imperasse, ut Centuripinis, in civitate totius Siciliae multo maxima et locupletissima, omne argentum

---

frequentissimum usum Nonius 12, 19.: „*apud* pro *in* etiam dictum invenimus, ut Terentius Andria 2, 1, 2. *apud forum modo e Davo audivi,* M. Tullius de signis: *coenam* cet.“

§ 50. *ceterum*] h. l. est adiectivum, non particula, uti visum est Handio Turs. 2, p. 37. interpungendum iubenti: *Argentum ille, ceterum* cet. Erant duo pocula singula cum emblemate suo (scil. Reg. Leid. *emblemate* pro *emblematis* Ern. Z.), ceterum (reliquum) argentum purum. — *festivom* ex antiqua script. Reg. — *acroama* dicebatur et qui festive caneret in convivio, cui *corollaria*, munera pr. ex corollis dabantur; et res ipsa quae canebatur s. recitabatur; hic accipitur pro eo, qui caneret. Man. Hinc etiam praestat Reg. Leid. *spectantibus* Ernestii *inspectantibus.* „Comparantur convivae spectatoribus scenae, quorum aures oculique simul oblectantur. Dominus quidem, cuius res agebatur, *inspectabat* potius.“ Z.

conquireret et ad se comportari iuberet? Agyrio similiter istius imperio vasa Corinthia per Apollodorum, quem testem
51 audistis, Syracusas deportata sunt. Illa vero optima, quod cum Haluntium venisset praetor laboriosus et diligens, ipse in oppidum noluit accedere, quod erat difficili ascensu atque arduo; Archagathum Haluntinum, hominem non solum domi, sed tota Sicilia in primis nobilem, vocari iussit: ei negotium dedit, ut, quicquid Halunti esset agenti caelati, aut si quid etiam Corinthiorum, ut omne statim ad mare ex oppido deportaretur. Ascendit in oppidum Archagathus. Homo nobilis, qui a suis amari et diligi vellet, ferebat graviter, illam sibi ab isto provinciam datam, nec, quid faceret, habebat: pronuntiat, quid sibi imperatum esset: iubet omnes proferre, quod haberent. Metus erat summus. Ipse enim tyrannus non discedebat longius: Archagathum et argentum in lectica
52 cubans ad mare infra oppidum expectabat. Quem concursum in oppido factum putatis? quem clamorem? quem porro fletum mulierum? qui videret, equum Troianum introductum, urbem captam diceret. Efferre sine thecis vasa, extorqueri alia de manibus mulierum, effringi multorum fores, revelli claustra. Quid enim putatis? Scuta si quando conquiruntur a privatis in bello ac tumultu, tamen homines inviti dant, etsi ad salutem communem dari sentiunt: ne quem putetis

---

§ 51. *Centuripinis*] Reg. Leid. *Centuripis* emendavit Ascens. 1531. Ern. „Sed videtur haec civitas esse inter eas, quae semper gentili nomine, non urbis, leguntur, ut *Leontini.*" Z.

§ 52. *illa vero optima*] „*optima est.* Reg. Leid. Sgall. Scil. *res.* de Nat. D. 1, 8. *sed illa palmaris* (sententia) Act. 2, 23. *refert illam suam Syracusanam* (fabulam,) *nam.*" Z. Recte Madvig. Diss. Verr. II. p. 18. monet hanc Zumptii rationem tolerari vix posse, cum hic nec *sententia* nec *fabula* suppleri cogitatione possit; itaque hoc quidem loco non obtemperandum esse Codd., sed Ciceronem plurali usum, tamquam narrationem, quae sequitur, particulatim in plura furti crimina distributam subiecturus, quae nunc uno tenore continuatur. — *ut omne*] Haud raro sic *ut* iteratur apud Cic. H. l. plerique de Hotomani coni. *id.* — *Ascendit*] Reg. a pr. manu: *escendit*; quod ascendendi *laborem* significaret. Cfr. Ochsner Ecl. Cic. p. 288. — *amari et diligi*] Reg. Ex Cic. consuetudine *amare* plus est quam *diligere:* (Fragm. Epp. *me aut amabis aut quo contentus sum, diliges.*) Recte igitur ex hac lect. *amandi* notioni subiungitur ea, quae eam comitatur, *diligendi.* Contra in lect. Leid. Ern. *et amari et diligi* utrumque aequiparatur, immo v. *diligi* maior vis attribuitur.

sine maximo dolore argentum caelatum domo, quod alter eriperet, protulisse. Omnia deferuntur. Cibyratae fratres vocantur: pauca improbant: quae probarant, iis crustae aut emblemata detrahebantur. Sic Haluntini, excussis deliciis, cum argento puro domum revertuntur.

XXIV. Quod unquam, iudices, huiuscemodi everri- 53
culum ullum in provincia fuit? Avertere aliquid de publico quam obscurissime per magistratum solebant: etiam cum aliquid a privato nonnunquam, occulte auferebant: et ii tamen condemnabantur. Et, si quaeritis, ut ipse de me detraham, illos ego accusatores puto fuisse, qui eiusmodi hominum furta odore aut aliquo leviter presso vestigio persequebantur. Nam nos quidem quid facimus in Verre, quem in luto volutatum totius corporis vestigiis invenimus? Permagnum est, in eum dicere aliquid, qui praeteriens, lectica paulisper deposita, non per praestigias, sed palam per potestatem, uno imperio, ostiatim totum oppidum compilaverit. Ac tamen, ut posset dicere se emisse, Archagatho imperat, ut illis aliquid, quorum argentum fuerat, nummulorum dicis causa daret. Invenit Archagathus paucos, qui vellent accipere: iis dedit. Eos nummos tamen iste Archagatho non reddidit. Voluit Romae repetere Archagathus; Cn. Lentulus Marcellinus dissuasit, sicut ipsum dicere audistis. Recita Archagathi et Lentuli testimonium.

Et, ne forte hominem existimetis hanc tantam vim em- 54

§ 53. *crustae*] *Ueberzug*, praecipue de aureis argenti ornamentis intelligendum. — *excussis deliciis*] „postquam illae res, quibus magnopere delectabantur, de manibus eorum excussae sunt." Haec monuit Zumptius propter Ern. coniicientem: *excussi*.

§ 54. *per magistratum*] singulorum provinciae oppidorum; ab eo scil. variis artibus, minitando, corrumpendo facile obtinebant, ut decreto aliquo honorifico iis aliquid de publico civitatis offerretur. Sequentia e Reg. Leid. egregie sanavit Madvig. p. 68. „*etiam cum aliquid a privato nonnunquam* (auferebant), *occulte auferebant* pro Ern. et Z.: *etiam aliquid a privato nonnunquam occulte auferebant*. (*ii* Reg. Leid. pro *hi*) — *accusatores*] vere dignos hoc nomine. MAN. — *eiusmodi*] Reg. Leid. pro *huiusmodi* Z. — *ac tamen*] Reg. *at tamen* Leid. Z. — *iis dedit*] Reg. *his* Leid. Z. — *sicut -- testimonium*] Sic Codd. meliores. At deteriores (Sgall.) *audistis: atque hac tota de re audistis Archagathi* cet., id quod praefert Madvig. Ep. p. 24. Nihilominus non est nisi interpolatio orta ex compendio haud intellecto *R.* (ita Reg. Leid.) pro *Recita*.

blematum sine causa coacervare voluisse, videte, quanti vos, quanti existimationem populi Romani, quanti leges et iudicia, quanti testes Siculos negotiatoresque fecerit. Posteaquam tantam multitudinem collegerat emblematum, ut ne unum quidem cuiquam reliquisset, instituit officinam Syracusis in regia maximam. Palam artifices omnes, caelatores ac vascularios, convocari iubet: et ipse suos complures habebat. Eos concludit, magnam hominum multitudinem. Menses octo continuos his opus non defuit, cum vas nullum fieret nisi aureum. Tum illa, ex patellis et turibulis quae evellerat, ita scite in aureis poculis illigabat, ita apte in scaphiis aureis includebat, ut ea ad illam rem nata esse diceres: ipse tamen praetor, qui sua vigilantia pacem in Sicilia dicit fuisse, in hac officina maiorem partem diei cum tunica pulla sedere solebat et pallio.

55 XXV. Haec ego, iudices, non auderem proferre, ni vererer, ne forte plura de isto ab aliis in sermone, quam a me in iudicio vos audisse diceretis. Quis enim est, qui de hac officina, qui de vasis aureis, qui de istius pallio non audierit? Quem voles e conventu Syracusano virum bonum nominato: producam: nemo erit, quin hoc se audisse aut
56 vidisse dicat. O tempora, o mores! Nihil nimium vetus proferam. Sunt vestrum aliquam multi, qui L. Pisonem cognorunt, huius L. Pisonis, qui praetor fuit, patrem. Ei, cum esset in Hispania praetor, qua in provincia occisus est, nescio quo pacto, dum armis exercetur, anulus aureus, quem habebat, fractus et comminutus est. Cum vellet sibi anulum facere, aurificem iussit vocari in forum ad sellam, Cordubae, et palam appendit aurum: hominem in foro iubet sellam ponere et facere anulum omnibus praesentibus. Nimium fortasse dicet aliquis hunc diligentem. Hactenus re-

---

§ 55. *negotiatores* Reg. Leid. Sed negotiatores Romani opponuntur Siculis; ex utroque autem genere testes aderant. V. Ern. — *eos concludit, magnam*] Sic cum optt. Codd., etiam Leid., Z. in Ed. min., melius quam in maiore: *eo concludit magnam.* Cfr. Madvig. Diss. Verr. II. p. 19. — *includebat*] Sgall. Z. *concludebat* Reg. Leid. Ortum tamen videtur e praeced. *concludit.*

§ 56. *pallio*] Z. *pallio pullo* Reg. Leid. *pallio pulla* Sgall. — *conventu Syracusano*] „Cives Ro., qui Syracusis habitabant.“ Z.

prehendet, si qui volet: nihil amplius. Verum fuit ei concedendum. Filius enim L. Pisonis erat, eius, qui primus de pecuniis repetundis legem tulit. Ridiculum est, me nunc 57
de Verre dicere, cum de Pisone Frugi dixerim: verumtamen quantum intersit videte. Iste cum aliquot abacorum faceret vasa aurea, non laboravit, quid non modo in Sicilia, verum etiam Romae in iudicio audiret: ille in auri semuncia totam Hispaniam scire voluit, unde praetori anulus fieret. Nimirum, ut hic nomen suum comprobavit, sic ille cognomen.

XXVI. Nullo modo possum omnia istius facta aut memoria consequi aut oratione complecti. Genera ipsa cupio breviter attingere, ut hic modo me commonuit Pisonis anulus, quod totum effluxerat. Quam multis istum putatis hominibus honestis de digitis anulos abstulisse? nunquam dubitavit, quotienscunque alicuius aut gemma aut anulo delectatus est. Incredibile dicam, sed ita clarum, ut ipsum negaturum non arbitrer. Cum Valentio eius interpreti epi- 58
stola Agrigento allata esset, casu signum iste animadvertit in cretula. Placuit ei. Quaesivit, unde esset epistola: respondit, Agrigento. Iste ad quos solebat litteras misit, ut is anulus ad se primo quoque tempore afferretur. Ita litteris istius patrifamilias, L. Titio, civi Romano, anulus de digito detractus est. Illa vero eius cupiditas incredibilis est. Nam ut in singula conclavia, quae iste non modo Romae,

---

§ 57. *aliquam multi*] satis multi. Sic Sgall. Z. Hoc uno loco apud Cic. legitur nec apud alium praeter Appuleium. Z. Annumerandum hoc quoque, ut *cotidiano* § 18. et alia quaedam, quae posthac notabimus, antiquiori sermoni, cuius nonnullae in Verrinis reperiuntur reliquiae. Handius quidem Turs. T. I. p. 245. praefert *alii quam multi* (ut habent Reg. Leid.) Sed quomodo explicari possit: „ex altera parte multi vestrum:" nequaquam perspicio. — „Tres Pisones Frugi cum hoc loco commemorentur, vetustissimus, auctor legis de pecuniis repetundis in tribunatu a. u. c. 605, Cos. fuit a. 621; alterius praeturam Hispaniensem assignat Pighius a. 642. Tertius, quem *hunc* dicit orator, collega Verris fuit in praetura a. 680." Z.

§ 58. *cretula*] „Cod. Ursini *cerula*. Verum *cretae*, *γῇ σημαντρίδι*, illitae imprimere anulum mos Asianorum et Graecorum fuit, et procul dubio etiam in Sicilia frequentissimum; cera utebantur Romani." Z. — *videretur*] Recentior aliquis facile scripsisset *videbatur*, ut volebat Goerenz, vel *sibi visus esset*. Cfr. Zumptii Gramm. § 525.

sed in omnibus villis habet, tricenos lectos optime stratos cum ceteris ornamentis convivii quaereret, nimium multa comparare videretur. Nulla domus in Sicilia locuples fuit,
59 ubi iste non textrinum instituerit. Mulier est Segestana, perdives et nobilis, Lamia nomine: per triennium isti, plena domo telarum, stragulam vestem confecit, nihil nisi conchylio tinctum. Attalus, homo pecuniosus, Neti; Lyso Lilybaei; Critolaus Aetnae; Syracusis Aeschrio, Cleomenes, Theomnastus; Helori Archonidas. Dies me citius defecerit, quam nomina. Ipse dabat purpuram, tantum operam amici. Credo: iam enim non libet omnia criminari: quasi hoc mihi non satis sit ad crimen, habuisse tam multum, quod daret, voluisse deportare tam multa; hoc denique, quod concedit,
60 amicorum operis esse in huiuscemodi rebus usum. Iam vero lectos aeratos et candelabra aenea, num cui praeter istum Syracusis per triennium facta esse existimatis? Emebat. Credo. Sed tantum vos certiores, iudices, facio, quid iste in provincia praetor egerit, ne cui forte negligens nimium fuisse videatur, neque se satis, cum potestatem habuerit, instruxisse et ornasse.

XXVII. Venio nunc non iam ad furtum, non ad avaritiam, non ad cupiditatem, sed eiusmodi facinus, in quo omnia nefaria contineri mihi atque inesse videantur; in quo dii immortales violati, existimatio atque auctoritas nominis populi Romani imminuta, hospitium spoliatum ac proditum, abalienati scelere istius a nobis omnes reges amicissimi
61 nationesque, quae in eorum regno ac dicione sunt. Nam reges Syriae, regis Antiochi filios pueros, scitis Romae

---

§ 59. *Aetnae*] Reg. Leid. *Hennae* Z. — *purpuram, tantum operam amici.*] Reg. Leid. Per ironiam crimen in Verrem collatum elevat. Cfr. Madvig. Ep. p. 54. — Volgo: *ipse dabat purpuram tantum, amici operas;* quod factum videtur e seqq. *amicorum operis esse — usum.* Sed aliud est *uti operis amicorum*, aliud *dare operas;* operae *(operarii)* certe non dabantur, sed opus gratis ei fiebat sive dabatur. Z.

§ 61. *reges Syriae*] „Antiochus et Seleucus, quorum pater Antiochus ὁ Εὐσεβὴς dudum mortuus erat. Aegyptum autem postulabant a senatu Romano, quia Selene filia erat Ptolemaei Physconis, soror Lathyri, quo mortuo et interempta unica filia legitima Berenice, regnum affectabat Auletes, nothus Lathyri filius.“ Zumpt.; qui omnino consulendus. Per *tempora reip.* idem significari putat bellum servorum a. 681.

nuper fuisse: qui venerant non propter Syriae regnum; nam id sine controversia obtinebant, ut a patre et a maioribus acceperant: sed regnum Aegypti ad se et ad Selenen, matrem suam, pertinere arbitrabantur. Hi ipsi posteaquam temporibus rei publicae exclusi per senatum agere quae voluerant non potuerunt, in Syriam, in regnum patrium profecti sunt. Eorum alter, qui Antiochus vocatur, iter per Siciliam facere voluit. Itaque isto praetore venit Syracusas. Hic Verres hereditatem sibi venisse arbitratus est, 62
quod in eius regnum ac manus venerat is, quem iste et audierat multa secum praeclara habere, et suspicabatur. Mittit homini munera satis large, haec ad usum domesticum: olei, vini, quod visum est: etiam tritici quod satis esset, de suis decumis. Deinde ipsum regem ad coenam vocavit: exornat ample magnificeque triclinium: exponit ea, quibus abundabat, plurima et pulcherrima vasa argentea: (nam haec aurea nondum fecerat:) omnibus curat rebus instructum et paratum ut sit convivium. Quid multa? Rex ita discessit, ut et istum copiose ornatum et se honorifice acceptum arbitraretur. Vocat ad coenam deinde ipse praetorem: exponit suas copias omnes, multum argentum, non pauca etiam pocula ex auro, quae, ut mos est regius et maxime in Syria, gemmis erant distincta clarissimis. Erat etiam vas vinarium ex una gemma pergrandi, trulla excavata, manubrio aureo, de qua satis, credo, idoneum, satis gravem testem, Q. Minucium dicere audistis. Iste unum- 63
quodque vas in manus sumere, laudare, mirari. Rex gaudere, praetori populi Romani satis iucundum et gratum illud esse convivium. Posteaquam inde discessum est, cogitare nihil iste aliud (quod ipsa res declaravit) nisi, quemadmodum regem ex provincia spoliatum expilatumque dimitteret. Mittit rogatum vasa ea, quae pulcherrima apud eum viderat: ait se suis caelatoribus velle ostendere. Rex, qui illum non nosset, sine ulla suspicione libentissime dedit.

---

§ 62. *haec*] quae solent, volgaria. — *manubrio*] Reg. Leid. Volgo *cum manubrio*, id quod defendit Hand Turs. 2. p. 144. Equidem ne Latine quidem, certe non Ciceroniane ita dici censeo de re, quae non aliam extra addita comitetur, sed eius pars sit. MADVIG.

Mittit etiam trullam gemmeam rogatum: velle se eam diligentius considerare. Ea quoque ei mittitur.

64 XXVIII. Nunc reliquum, iudices, attendite, de quo et vos audistis, et populus Romanus non nunc primum audiet, et in exteris nationibus usque ad ultimas terras pervagatum est. Candelabrum e gemmis clarissimis, opere mirabili perfectum, reges hi, quos dico, Romam cum attulissent, ut in Capitolio ponerent: quod nondum perfectum templum offenderant, neque ponere potuerunt, neque volgo ostendere ac proferre voluerunt: ut et magnificentius videretur, cum suo tempore in cella Iovis Optimi Maximi poneretur, et clarius, cum pulchritudo eius recens ad oculos hominum atque integra perveniret. Statuerunt id secum in Syriam reportare: ut, cum audissent, simulacrum Iovis Optimi Maximi dedicatum, legatos mitterent, qui cum ceteris rebus illud quoque eximium ac pulcherrimum donum in Capitolium afferrent. Pervenit res ad istius aures, nescio quomodo. Nam rex celatum voluerat: non quo quicquam metueret aut suspicaretur, sed ut ne multi illud ante perciperent oculis, quam populus Romanus. Iste petit a rege, et eum pluribus verbis rogat, ut id ad se mittat: cupere se dicit inspicere,
65 neque se aliis videndi potestatem esse facturum. Antiochus, qui animo et puerili esset et regio, nihil de istius improbitate suspicatus est: imperat suis, ut id in praetorium involutum quam occultissime deferrent. Quo posteaquam attulerunt, involucrisque reiectis constituerunt: clamare iste coepit, dignam rem esse regno Syriae, dignam regio munere, dignam Capitolio. Etenim erat eo splendore, qui ex claris-

---

§ 64. *pervagatum*] Quamquam Reg. Leid. exhibent *pervolgatum*, nihilominus *pervagatum* (Sgall. et familiae deterioris) retinendum fuit propter rationes a Zumptio ad Act. 3, 56, 129. allatas. Exempla, quae pro hoc v. *pervolgatus* usu habet Forcellinus, iam omnia in melius mutata sunt. — „Templum Iovis Capitolini a. u. c. 671. deflagravit et a Sulla iisdem vestigiis restitui coeptum, dedicatum demum est a Catulo, anno post hanc orationem scriptam 685.“ Z. — *perciperent*] Sangall. (oculis, eo spectaculo fruerentur) melius esse demonstravit Zumptius quam Reg. Leid. *praeciperent*. „Etenim, quo,“ inquit, pertinent vv. *quam populus Ro.*? Nam hic quidem non *praecipit*; debebat esse, antequam populus Ro. videret.“

simis et pulcherrimis gemmis esse debebat: ea varietate operum, ut ars certare videretur cum copia: ea magnitudine, ut intelligi posset, non ad hominum apparatum, sed ad amplissimi templi ornatum esse factum. Cum satis iam perspexisse videretur, tollere incipiunt, ut referrent. Iste ait, se velle illud etiam atque etiam considerare: nequaquam se esse satiatum: iubet illos discedere et candelabrum relinquere. Sic illi tum inanes ad Antiochum revertuntur.

XXIX. Rex primo nihil metuere, nihil suspicari: dies 66
unus, alter, plures: non referri. Tum mittit, si videatur, ut reddat. Iubet iste posterius ad se reverti. Mirum illi videri: mittit iterum. Non redditur. Ipse hominem appellat: rogat ut reddat. Os hominis insignemque impudentiam cognoscite. Quod sciret, quod ex ipso rege audisset in Capitolio esse ponendum, quod Iovi Optimo Maximo, quod populo Romano servari videret, id sibi ut donaret, rogare et vehementissime petere coepit. Cum ille se et religione Iovis Capitolini et hominum existimatione impediri diceret, quod multae nationes testes essent illius operis ac muneris, iste homini minari acerrime coepit. Ubi videt, eum nihilo magis minis quam precibus removeri, repente hominem de provincia iubet ante noctem decedere: ait se comperisse ex eius regno piratas ad Siciliam venturos. Rex maximo con- 67
ventu Syracusis, in foro, ne quis forte me in crimine obscuro versari atque affingere aliquid suspicione hominum arbitretur, in foro inquam Syracusis flens atque deos hominesque contestans clamare coepit candelabrum factum e gemmis, quod in Capitolium missurus esset, quod in templo clarissimo populo Romano monumentum suae societatis amicitiaeque esse voluisset, id sibi C. Verrem abstulisse: de ceteris operibus ex auro et gemmis, quae sua penes illum essent, se non laborare, hoc sibi eripi miserum esse

---

§ 66. *Tum mittit, si videatur*] Reg. Leid. Z. id quod egregie sermonem volgarem refert. Volgo ex interpol.: *Tum mittit rex ad istum, si sibi videatur.* — *quod ex*] Reg. Leid. *quodque ex* Ern. Z. — *removeri*] Scil. a petitione sua; sic exquisitius sane Reg. Leid. quam *permoveri* Sgall. Z.

§ 67. *suspicione*] Firmant hanc lect. Reg. Leid. Contra Erfurt. Lamb. *suspicioni*. (Tuscul. 3, 23. *qui nihil opinione affingat assumatque ad aegritudinem* Z.)

et indignum. Id etsi antea iam mente et cogitatione sua fratrisque sui consecratum esset, tamen tum se in illo conventu civium Romanorum dare donare dicare consecrare Iovi Optimo Maximo testemque ipsum Iovem suae voluntatis ac religionis adhibere.

XXX. Quae vox, quae latera, quae vires huius unius criminis querimoniam possunt sustinere? Rex Antiochus, qui Romae ante oculos omnium nostrum biennium fere comitatu regio atque ornatu fuisset: is cum amicus et socius populi Romani esset, amicissimo patre, avo, maioribus, antiquissimis et clarissimis regibus, opulentissimo et maximo regno, praeceps provincia populi Romani exturbatus est.
68 Quemadmodum hoc accepturas nationes exteras, quemadmodum huius tui facti famam in regna aliorum atque in ultimas terras perventuram putasti, cum audirent, a praetore populi Romani in provincia violatum regem, spoliatum hospitem, eiectum socium populi Romani atque amicum? Nomen vestrum populique Romani odio atque acerbitati scitote nationibus exteris, iudices, futurum, si istius haec tanta iniuria impunita discesserit. Sic omnes arbitrabuntur, praesertim cum haec fama de nostrorum hominum avaritia et cupiditate percrebruerit, non istius solius hoc esse facinus, sed eorum etiam, qui approbarint. Multi reges, multae liberae civitates, multi privati opulenti ac potentes habent profecto in animo Capitolium sic ornare, ut templi dignitas imperiique nostri nomen desiderat: qui si intellexerint, interverso hoc regali dono, graviter vos tulisse, grata fore vobis populoque Romano sua studia ac dona arbitrabuntur. Sin hoc vos in rege tam nobili, re tam eximia, iniuria tam acerba, neglexisse audient, non erunt tam amentes, ut operam, curam, pecuniam impendant in eas res, quas vobis gratas fore non arbitrentur.

69 XXXI. Hoc loco, Q. Catule, te appello. Loquor enim

---

§ 68. *re -- iniuria*] Reg. Leid. *in re -- in iniuria* Z. — *audient*] Reg. Leid. et melius quidem, utpote in re etiamtunc incerta. *audierint* Z. id quod conveniret sententiae iamiam latae.

§ 69. Cfr. Inscriptt. meas Lat. N. 31. *Q. Lutatius Q. F. Q. N. Catulus substructionem et tabularium ex S. C. faciund. coeravit.* — *tuus enim honos illo templo*] scil. consecratur. Sic Reg. Leid. Ern. et Z. ex interpol. *tuus est enim honos in illo templo.* —

de tuo clarissimo pulcherrimoque monumento: non iudicis solum severitatem in hoc crimine, sed prope inimici atque accusatoris vim suscipere debes. Tuus enim honos illo templo senatus populique Romani beneficio, tui nominis aeterna memoria simul cum templo illo consecratur: tibi haec cura suscipienda, tibi haec opera sumenda est, ut Capitolium, quemadmodum magnificentius est restitutum, sic copiosius ornatum sit, quam fuit; ut illa flamma divinitus extitisse videatur, non quae deleret Iovis Optimi Maximi templum, sed quae praeclarius magnificentiusque deposceret. Audisti, Q. Minucium dicere domi suae dever- 70
satum esse Antiochum regem Syracusis: se illud scire ad istum esse delatum: se scire non redditum: audisti et audies omni e conventu Syracusano qui ita dicant, sese audientibus illud Iovi Optimo Maximo dicatum esse a rege Antiocho et consecratum. Si iudex non esses, et haec ad te delata res esset, te potissimum hoc persequi, te petere, te agere oporteret. Quare non dubito, quo animo iudex huius criminis esse debeas, qui apud alium iudicem multo acrior, quam ego sum, actor accusatorque esse deberes.

XXXII. Vobis autem, iudices, quid hoc indignius, aut 71
quid minus ferendum videri potest? Verresne habebit domi suae candelabrum Iovis, e gemmis auroque perfectum? cuius fulgore collucere atque illustrari Iovis Optimi Maximi templum oportebat, id apud istum in eiusmodi conviviis constituetur, quae domesticis stupris flagitiisque flagrabunt? In istius lenonis turpissimi domo simul cum ceteris Chelidonis hereditariis ornamentis Capitolii ornamenta ponentur? Quid huic sacri unquam fore, aut quid religiosi fuisse putatis, qui nunc tanto scelere se obstrictum esse non sentiat? qui in iudicium veniat, ubi ne precari quidem Iovem Optimum Maximum atque ab eo auxilium petere more omnium possit? a quo etiam dii immortales sua repetunt in eo iudicio, quod hominibus ad suas res repetendas est constitutum.

---

§ 70. *Q. Minucium*] Cum re vera plures Q. Minucii Rufi (aliae erant familiae Minuciorum Augurinorum et Thermorum) memorentur apud scriptt. et in nummis, ex scholio aliquo vel memoriter a librario in archetypo Codd. deteriorum inculcatum est *Rufum*.

Miramur, Athenis Minervam, Deli Apollinem, Iunonem Sami, Pergae Dianam, multos praeterea ab isto deos tota Asia Graeciaque violatos, qui a Capitolio manus abstinere non potuerit? Quod privati homines de suis pecuniis ornant ornaturique sunt, id C. Verres ab regibus ornari non passus est.

72 Itaque hoc nefario scelere concepto, nihil postea tota in Sicilia neque sacri neque religiosi duxit esse: ita sese in ea provincia per triennium gessit, ut ab isto non solum hominibus, verum etiam diis immortalibus bellum indictum putaretur.

XXXIII. Segesta est oppidum pervetus in Sicilia, iudices, quod ab Aenea fugiente a Troia atque in haec loca veniente conditum esse demonstrant. Itaque Segestani non solum perpetua societate atque amicitia, verum etiam cognatione se cum populo Romano coniunctos esse arbitrantur. Hoc quondam oppidum, cum illa civitas cum Poenis suo nomine ac sua sponte bellaret, a Carthaginiensibus vi captum atque deletum est: omniaque, quae ornamento urbi esse possent, Carthaginem sunt ex illo loco deportata. Fuit apud Segestanos ex aere Dianae simulacrum, cum summa atque antiquissima praeditum religione, tum singulari opere artificioque perfectum. Hoc translatum Carthaginem locum tantum hominesque mutarat, religionem quidem pristinam conservabat: nam propter eximiam pulchritudinem etiam hostibus digna quam sanctissime colerent videbatur.
73 Aliquot saeculis post P. Scipio bello Punico tertio Carthaginem cepit: qua in victoria (videte hominis virtutem et diligentiam, ut

§ 72. „Thucyd. 6, 2. *Ἰλίου δὲ ἁλισκομένου τῶν Τρώων τινὲς διαφυγόντες Ἀχαιοὺς πλοίοις ἀφικνοῦνται πρὸς τὴν Σικελίαν καὶ ὅμοροι τοῖς Σικανοῖς οἰκήσαντες ξύμπαντες μὲν Ἔλυμοι ἐκλήθησαν, πόλεις δ' αὐτῶν Ἔρυξ καὶ Ἔγεστα.* Sed Romana fama Acesteu urbis illius *ἐπώνυμον* in Sicilia matre Troiana natum ibique ante Aeneam fuisse tradit, adiutum tamen ab eo in urbe condenda viribusque auctum. Fuisse templum Aeneae Segestae docet Dionys. Halic. 1, 53." Z. — *conservabat*] Sic Reg. (et Havn.) *servabat* Leid. Z.

§ 73. *ante dixi*] Act. 2, 35. Erat in primis Himera ipsa et Stesichori statua. „Mox *et cui subiicere* Lamb. solus; sed *cui* cogitatione supplendum ex praeced. *quo.*" Z.

et domesticis praeclarissimae virtutis exemplis gaudeatis, et eo maiore odio dignam istius incredibilem audaciam iudicetis) convocatis Siculis omnibus, quod diutissime saepissimeque Siciliam vexatam a Carthaginiensibus esse cognorat, iubet omnia conquiri: pollicetur, sibi magnae curae fore, ut omnia civitatibus, quae cuiusque fuissent, restituerentur. Tum illa, quae quondam erant Himera sublata, de quibus ante dixi, Thermitanis sunt reddita: tum alia Gelensibus, alia Agrigentinis: in quibus etiam ille nobilis taurus, quem crudelissimus omnium tyrannorum Phalaris habuisse dicitur, quo vivos supplicii causa demittere homines et subiicere flammam solebat. Quem taurum cum Scipio redderet Agrigentinis, dixisse dicitur aequum esse illos cogitare, utrum esset Agrigentinis utilius, suisne servire, anne populo Romano obtemperare, cum idem monumentum et domesticae crudelitatis et nostrae mansuetudinis haberent.

XXXIV. Illo tempore Segestanis maxima cum cura 74 haec ipsa Diana, de qua dicimus, redditur: reportatur Segestam: in suis antiquis sedibus summa cum gratulatione civium et laetitia reponitur. Haec erat posita Segestae, sane excelsa in basi: in qua grandibus litteris P. Africani nomen erat incisum, eumque Carthagine capta restituisse, perscriptum. Colebatur a civibus: ab omnibus advenis visebatur: cum quaestor essem, nihil mihi ab illis est demonstratum prius. Erat admodum amplum et excelsum signum cum stola: verumtamen inerat in illa magnitudine aetas atque habitus virginalis. Sagittae pendebant ab humero: sinistra manu retinebat arcum: dextra ardentem facem praeferebat. Haec cum iste sacrorum omnium et religionum hostis prae- 75 doque vidisset, quasi illa ipsa face percussus esset, ita flagrare cupiditate atque amentia coepit. Imperat magistratibus, ut eam demoliantur et sibi dent: nihil sibi gratius ostendit futurum. Illi vero dicere, sibi id nefas esse: seseque cum summa religione, tum summo metu legum et iudiciorum teneri. Iste tum petere ab illis, tum minari, tum spem,

§ 75. *tum petere, tum* cet.] Firmat Leid. (scil. est pro *modo, modo.*) Malo Reg. *cum petere, tum.*

tum metum ostendere. Opponebant illi nomen interdum P. Africani: populi Romani illud esse dicebant: nihil se in eo potestatis habere, quod imperator clarissimus, urbe hostium capta, monumentum victoriae populi Romani esse

76 voluisset. Cum iste nihilo remissius atque etiam multo vehementius instaret cotidie, res agitur in senatu. Vehementer ab omnibus reclamatur. Itaque illo tempore ac primo istius adventu pernegatur. Postea, quicquid erat oneris in nautis remigibusque exigendis, in frumento imperando, Segestanis praeter ceteros imponebat aliquanto amplius, quam ferre possent. Praeterea magistratus eorum evocabat: optimum quemque et nobilissimum ad se arcessebat: circum omnia provinciae fora rapiebat: singillatim uniquique calamitati fore se denuntiabat: universis se funditus eversurum esse illam civitatem minabatur. Itaque aliquando multis malis magnoque metu victi Segestani praetoris imperio parendum esse decreverunt. Magno cum luctu et gemitu totius civitatis, multis cum lacrimis et lamentationibus virorum mulierumque omnium simulacrum Dianae tollendum locatur.

77 XXXV. Videte quanta religio fuerit apud Segestanos: repertum esse, iudices, scitote neminem, neque liberum, neque servum, neque civem, neque peregrinum, qui illud signum auderet attingere. Barbaros quosdam Lilybaeo scitote adductos esse operarios. Hi denique illud ignari totius negotii ac religionis mercede accepta sustulerunt: quod cum ex oppido exportabatur, quem conventum mulierum factum esse arbitramini? quem fletum maiorum natu? quorum nonnulli etiam illum diem memoria tenebant, cum illa eadem Diana Segestam Carthagine revecta victoriam populi Romani reditu suo nuntiasset. Quam dissimilis hic dies illi tempori

---

§ 77. *adductos*] Ante Ern. *advocatos* (Sgall.) „*Adduci* homines dicuntur cum contemptu, tamquam pecudes ratione non utentes; et *barbari* appellantur, quod ea pars Siciliae Graecis coloniis non frequentata veteribus Sicanis colonisque Poenis relicta est. v. Thucyd. 6 pr.“ Z. — *quid hoc* cet.] „*hoc* sequente *quam* etiam aliis tribus apud Cic. locis abundare Schellerus docuit in Observv. p. 69. ad Att. 4, 8. med. de Orat. 1, 37. § 169. de Divin. 1, 39. non opus igitur esse ut aut *hoc* (quod fecit Lamb.) aut *quam* omittatur.“ Z.

videbatur! Tum imperator populi Romani, vir clarissimus,
deos patrios reportabat Segestanis ex urbe hostium recupe-
ratos: nunc ex urbe sociorum praetor eiusdem populi tur-
pissimus atque impurissimus eosdem illos deos nefario sce-
lere auferebat. Quid hoc tota Sicilia est clarius, quam
omnes Segestae matronas et virgines convenisse, cum Diana
exportaretur ex oppido? unxisse unguentis? complesse co-
ronis et floribus? ture, odoribus incensis usque ad agri
fines prosecutas esse? Hanc tu tantam religionem si tum 78
in imperio propter cupiditatem atque audaciam non pertime-
scebas: ne nunc quidem in tanto tuo liberorumque tuorum
periculo perhorrescis? Quem tibi aut hominem, invitis diis
immortalibus, aut vero deum, tantis eorum religionibus
violatis, auxilio futurum putas? Tibi illa Diana in pace
atque in otio religionem nullam attulit? quae cum duas
urbes, in quibus locata fuerat, captas incensasque vidisset,
bis ex duorum bellorum flamma ferroque servata est; quae
Carthaginiensium victoria, loco mutato, religionem tamen
non amisit, P. Africani virtute religionem simul cum loco
recuperavit. Quo quidem scelere suscepto, cum inanis
esset basis, et in ea P. Africani nomen incisum, res indigna
atque intoleranda videbatur omnibus non solum religiones
esse violatas, verum etiam P. Africani, viri fortissimi,
rerum gestarum gloriam, memoriam virtutis, monumenta
victoriae, C. Verrem sustulisse. Quod cum isti renuntiare- 79
tur de basi ac litteris, existimavit homines in oblivionem
totius negotii esse venturos, si etiam basim, tamquam in-

§ 79. *P. Scipio*] Nasica idemque Metellus Pius adoptatus a Numidici Pio filio; postea socer Cn. Pompeii et Cos. a. u. c. 702. Mortem voluntariam sibi conscivit post cladem apud Thapsum acceptam. — *honoremque familiae vestrae*] Firmat hanc Ern. lectionem Reg. *vestrae* „Scipionum omnium, quorum tu unus es;" recte igitur *vestrae*, etsi unum dumtaxat alloquitur, atque ita § 81. *de vestris monumentis.* Cfr. etiam Madvig. Diss. Verr. II. p. 19. Qui in hoc ipso haerebant, interpolarunt *honoremque tuum familiaeque tuae.* (Leid. Z.) — *aliorum*] Reg. Leid. id quod constantiae causa recipiendum videbatur pro *alieno.* Vide ne fuerit *alienorum.* Nec haereo in plurali num., cum saepe duorum, inprimis censorum, nomina publico alicui operi inscriberentur. — *obstruxit - - monumento*], ut dicitur *obstruere luminibus* dubitanterque proposuit Zumptius, re vera habet Reg. a pr. m. A sec. m., ut Leid. Z., *monumentum.* Ern. *monumenta.*

dicem sui sceleris, sustulisset. Itaque tollendam istius imperio locaverunt: quae vobis locatio ex publicis litteris Segestanorum priore actione recitata est.

XXXVI. Te nunc, P. Scipio, te, inquam, lectissimum ornatissimumque adolescentem appello: abs te officium tuum debitum generi et nomini requiro et flagito. Cur pro isto, qui laudem honoremque familiae vestrae depeculatus est, pugnas? cur eum defensum esse vis? cur ego tuas partes suscipio? cur tuum munus sustineo? Cur M. Tullius P. Africani monumenta requirit: P. Scipio eum, qui illa sustulit, defendit? Cum mos a maioribus traditus sit, ut monumenta maiorum ita suorum quisque defendat, ut ne ornari quidem nomine aliorum sinat: tu isti aderis, qui non obstruxit aliqua ex parte monumento P. Scipionis, sed id funditus
80 delevit ac sustulit? Quisnam igitur, per deos immortales! tuebitur P. Scipionis memoriam mortui? quis monumenta atque indicia virtutis, si tu ea relinques aut deseres? nec solum spoliata illa patiere, sed eorum etiam spoliatorem vexatoremque defendes? Adsunt Segestani, clientes tui, socii populi Romani atque amici: certiorem te faciunt, P. Africanum, Carthagine deleta, simulacrum Dianae maioribus suis restituisse; idque apud Segestanos eius imperatoris nomine positum ac dedicatum fuisse; hoc Verrem demoliendum et asportandum nomenque omnino P. Scipionis delendum tollendumque curasse: orant te atque obsecrant, ut sibi religionem, generi tuo laudem gloriamque restituas, ut, quod per P. Africanum ex urbe hostium recuperarint, id per te ex praetoris domo conservare possint.

XXXVII. Quid aut tu his respondere honeste potes, aut illi facere, nisi ut te ac fidem tuam implorent? Adsunt et implorant. Potes domesticae laudis amplitudinem, Scipio, tueri: potes: omnia sunt in te, quae aut fortuna hominibus aut natura largitur: non praecerpo fructum officii tui: non alienam mihi laudem appeto: non est pudoris mei, P. Scipione, florentissimo adolescente, vivo et incolumi, me pro-

---

§ 80. *sed eorum etiam*] Reg. *sed etiam eorum* Leid. Z. Mox Reg. Leid. *defendis*. Languide olim ex interpol. legebatur: *propugnatorem monumentorum P. Scipionis*. Ut nos, Reg. Leid. Z.

pugnatorem P. Scipionis defensoremque profiteri. Quamobrem si suscipis domesticae laudis patrocinium, me non solum silere de vestris monumentis oportebit, sed etiam laetari, P. Africani eiusmodi fortunam esse mortui, ut eius honos ab eis, qui ex eadem familia sunt, defendatur neque ullum adventicium auxilium requiratur. Sin istius amicitia te *impedit*, si hoc, quod ego abs te postulo, minus ad officium tuum pertinere arbitrabere, succedam ego vicarius tuo muneri; suscipiam partes, quas alienas esse arbitrabar. *Tandem* ista praeclara nobilitas desinat queri, populum Romanum hominibus novis industriis libenter honores mandare semperque mandasse. Non est querendum in hac civitate, quae propter virtutem omnibus nationibus imperat, virtutem plurimum posse. Sit apud alios imago P. Africani; ornentur alii mortui virtute ac nomine: talis ille vir fuit, ita de populo Romano meritus est, ut non uni familiae, sed universae civitati commendatus esse debeat. Est aliqua mea pars virilis, quod eius civitatis sum, quam ille claram, amplam illustremque reddidit; praecipue quod in his rebus pro mea parte versor, quarum ille princeps fuit aequitate industria temperantia, defensione miserorum, odio improborum: quae cognatio studiorum et artium propemodum non minus est coniuncta, quam ista, qua vos delectamini, generis et nominis. 81

XXXVIII. Repeto abs te, Verres, monumentum P. Afri- 82

---

§ 81. *impedit*] Reg. Leid. pro *impediet* Z. *Impedit* re vera, nunc: si fortasse *arbitrabere*. In temporum variatione non offendo. — *Tandem ista*] In corruptelis Codd. etiam Reg. (qui habet *LN. de* cum lin.) et Leid., nihil melius adhuc repertum est pro volg. *nae ista* (Lagomars. 29.) quam quod proposuit Madvig. Diss. Verr. II. p. 20. Contra Z. *deinde;* quod etsi minus placet mihi quoque, conferri tamen possit Gr. *ἔπειτα*, *πρὸς ταῦτα*, indignabundorum; cfr. etiam Act. 3, 16, 41. *Codicis lituras tui contemplare in Sthenii nomine: deinde aude te dicere diligentem.* — *ornentur alii mortui virtute ac nomine*] Exemplari Lamb. Bernensi Cuiacius adscripsit: „*Ἴσως* del. *virtute ac.* R. *virtut.*“ Sed est: „vindicent sibi, fortasse immerito, alii Scipiones illius mortui nomen ac virtutis memoriam.“ — *in his rebus*] Reg. Leid. Ern. Cum hoc interpolatori nimie infinitum videretur, substituit *artibus* Z. Verum consulto modestius locutus est: hinc etiam *versor*, quod, quin h. l. aptissimum sit pro *incumbo in* cet., dubitari nequit. *(sich damit abgeben.)*

§ 82. Cum Ern. haesisset in vv. *suarum rerum gestarum*, Zumptius attulit

cani: causam Siculorum, quam suscepi, relinquo; iudicium de pecuniis repetundis ne sit hoc tempore; Segestanorum iniuriae negligantur: basis P. Scipionis restituatur; nomen invicti imperatoris incidatur, signum pulcherrimum Carthagine captum reponatur. Haec abs te non Siculorum defensor, non tuus accusator, non Segestani postulant: sed is, qui laudem gloriamque P. Africani tuendam conservandamque suscepit. Non vereor, ne hoc officium meum P. Servilio iudici non probem; qui, cum res maximas gesserit, monumentaque suarum rerum gestarum cummaxime constituat atque in iis elaboret, profecto volet haec non solum suis posteris, verum etiam omnibus viris fortibus et bonis civibus defendenda, non spolianda improbis tradere. Non vereor, ne tibi, Q. Catule, displiceat, cuius amplissimum in orbe terrarum clarissimumque monumentum est, quam plurimos esse custodes monumentorum et putare omnes bonos alienae gloriae defensionem ad officium suum pertinere.
83 Equidem ceteris istius furtis atque flagitiis ita moveor, ut ea reprehendenda tantum putem: hic vero tanto dolore afficior, ut nihil mihi indignius, nihil minus ferendum esse videatur. Verres Africani monumentis domum suam, plenam stupri, plenam flagitii, plenam dedecoris, ornabit? Verres temperantissimi sanctissimique viri monumentum, Dianae simulacrum virginis, in ea domo collocabit, in qua semper meretricum lenonumque flagitia versantur?

84 XXXIX. At hoc solum Africani monumentum violasti. Quid? a Tyndaritanis non eiusdem Scipionis beneficio positum simulacrum Mercurii, pulcherrime factum, sustulisti? At quemadmodum, dii immortales! quam audacter! quam libidinose! quam impudenter! Audistis nuper dicere legatos

---

pro Deiot. 4. *tuae res gestae;* Brut. 35. *de rebus gestis suis.* — *cummaxime*] Hoc quoque olim minus intelligebant, adeo ut substitueretur *quam cum maxime* Leid., *quam maxime* Guelff. Lamb., *nunc maxime* Ursin. „*Cummaxime (gerade jetzt)* ubi adverbialiter ponitur, praesentis temporis aut infiniti est, ut ubi praesentis expressa significatione opus est, adiungat sibi *nunc*. Sed de praeterito dicendum *tummaxime.*" Z. (Cfr. *etiamnunc* et *etiamtunc.*) — *elaboret*] Reg. *laboret* Leid. „*Elaborare* est studio et labore aliquam rem efficere conari; *laborare*, ob aliquam rem laborem (interdum etiam molestiam) habere." Z. § 83. *temperantissimi*] Havn. *temperatissimi* Z. Cfr. Madvig. Diss. Verr. II. p. 20.

Tyndaritanos, homines honestissimos ac principes civitatis,
Mercurium, qui sacris anniversariis apud eos ac summa
religione coleretur, quem P. Africanus, Carthagine capta,
Tyndaritanis non solum suae victoriae, sed etiam illorum
fidei societatisque monumentum atque indicium dedisset,
huius *vi*, scelere imperioque esse sublatum. Qui, ut pri-
mum in illud oppidum venit, statim, tamquam ita fieri non
solum oporteret, sed etiam necesse esset, tamquam hoc
senatus mandasset, populus Romanus iussisset; ita continuo,
signum ut demolirentur et Messanam deportarent, impera-
vit. Quod cum illis, qui aderant, indignum, qui audiebant, 85
incredibile videretur, non est ab isto, primo illo adventu,
perseveratum. Discedens mandat proagoro Sopatro, cuius
verba audistis, ut demoliatur: cum recusaret, vehementer
minatur: et statim ex illo oppido proficiscitur. Refert rem
ille ad senatum: vehementer undique reclamatur. Ne multa:
iterum iste ad illos aliquanto post venit, quaerit continuo
de signo. Respondetur ei, senatum non permittere; poenam
capitis constitutam, si iniussu senatus quisquam attigisset:
simul religio commemoratur. Tum iste: Quam mihi reli-
gionem narras? quam poenam? quem senatum? vivum te
non relinquam: moriere virgis, nisi mihi signum traditur.
Sopater iterum flens ad senatum rem defert, istius cupidi-
tatem minasque demonstrat. Senatus Sopatro responsum
nullum dat, sed commotus perturbatusque discedit. Ille
praetoris arcessitus nuntio, rem demonstrat: negat ullo
modo fieri posse.

XL. Atque haec (nihil enim praetermittendum de istius 86
impudentia videtur) agebantur in conventu, palam, de sella
ac de loco superiore. Erat hiems summa, tempestas, ut
ipsum Sopatrum dicere audistis, perfrigida, imber maximus:
cum iste imperat lictoribus, ut Sopatrum de porticu, in
qua ipse sedebat, praecipitem in forum deiiciant nudumque
constituant. Vix erat hoc plane imperatum, cum illum spo-

---

§ 86. *fefellit hic*] Reg. Sangall. id est, hoc loco, hac in re. Volgo et Z. *haec.* — *sicut fere* cet.] „De Siculis Marcellorum clientibus cfr. Livium 26, 32.“ Z. „C. Marcellus post importunam Lepidi dominationem Siculos recreavit.“ Id. p. 291.

liatum stipatumque lictoribus videres. Omnes id fore putabant, ut miser atque innocens virgis caederetur: fefellit hic homines opinio. Virgis iste caederet sine causa socium populi Romani atque amicum? Non usque eo est improbus: non omnia sunt in uno vitia; nunquam fuit crudelis. Leniter hominem clementerque accepit. Equestres sunt medio in foro Marcellorum statuae, sicuti fere ceteris in oppidis Siciliae: ex quibus iste C. Marcelli statuam delegit, cuius officia in illam civitatem totamque provinciam recentissima erant et maxima. In ea Sopatrum, hominem cum domi nobilem, tum summo magistratu praeditum, divaricari ac
87 deligari iubet. Quo cruciatu sit affectus, venire in mentem necesse est omnibus, cum esset vinctus nudus in aere, in imbri, in frigore. Neque tamen finis huic iniuriae crudelitatique fiebat, donec populus atque universa multitudo atrocitate rei misericordiaque commota senatum clamore coëgit, ut isti simulacrum illud Mercurii polliceretur. Clamabant fore, ut ipsi se dii immortales ulciscerentur: hominem interea perire innocentem non oportere. Tum frequens senatus ad istum venit: pollicetur signum. Ita Sopater de statua C. Marcelli, cum iam paene obriguisset, vix vivus aufertur.

Non possum disposite istum accusare, si cupiam: opus est non solum ingenio, verum etiam artificio quodam singulari.

88 XLI. Unum hoc crimen videtur esse, et a me pro uno ponitur, de Mercurio Tyndaritano: plura sunt; sed ea quo pacto distinguere ac separare possim, nescio. Est pecuniarum captarum, quod signum ab sociis pecuniae magnae sustulit. Est peculatus, quod publicum populi Romani signum, de praeda hostium captum, positum imperatoris nostri nomine, non dubitavit auferre. Est maiestatis, quod imperii nostri gloriae rerumque gestarum monumenta evertere atque asportare ausus est. Est sceleris, quod religiones maximas violavit. Est crudelitatis, quod in hominem innocentem, in socium nostrum atque amicum, novum ac

§ 87. *in aere*] in aerea statua, non ut alii volebant, in aëre, sub divo.

singulare supplicii genus excogitavit. Illud vero quid sit, 89
iam non queo dicere; quo nomine appellem, nescio: quod in C. Marcelli statua. Quid est hoc? Patronusne quod erat? Quid tum? quo id spectat? Utrum ea res ad opem, an ad calamitatem clientium atque hospitum valere debebat? an ut hoc ostenderes, contra vim tuam in patronis praesidii nihil esse? Quis non hoc intelligeret, in improbi praesentis imperio maiorem esse vim, quam in bonorum absentium patrocinio? An vero ex hoc illa tua singularis significatur insolentia, superbia, contumacia? Detrahere videlicet aliquid te de amplitudine Marcellorum putasti. Itaque nunc Siculorum Marcelli non sunt patroni: Verres in eorum locum substitutus est. Quam in te tantam vir- 90
tutem esse aut dignitatem arbitratus es, ut conarere clientelam tam splendidae, tam illustris provinciae traducere ad te, auferre a certissimis antiquissimisque patronis? Tu ista nequitia, stultitia, inertia non modo totius Siciliae, sed unius tenuissimi Siculi clientelam tueri potes? Tibi Marcelli statua pro patibulo in clientes Marcellorum fuit? tu ex illius honore in eos ipsos, qui honorem habuerant, supplicia quaerebas? Quid postea? quid tandem tuis statuis fore arbitrabare? An vero quod accidit? Nam Tyndaritani statuam istius, quam sibi propter Marcellos, altiore etiam basi, poni iusserat, deturbarunt, simulac successum isti audierunt

XLII. Dedit igitur tibi nunc fortuna Siculorum C. Marcellum iudicem, ut, cuius ad statuam Siculi, te praetore, alligabantur, eius religione te iisdem devinctum adstrictumque dedamus. Ac primo, iudices, hoc signum Mercurii 91
dicebat iste Tyndaritanos M. Marcello huic Aesernino vendidisse: atque hoc sua causa etiam M. Marcellum ipsum

---

§ 89. *quis non hoc*] Reg. Leid. *quis hoc non* Ern. Z.

§ 90. *qui honorem habuerant*] Leid. Z. *qui honorem illi habuerant* Reg. Ern. *habuerant*, id est, tribuerant. — *iisdem devinctum*] Sic composui lect. Reg. Leid. *isti devinctum* et Codd. deteriorum (Sgall.) *eundem vinctum*. Videlicet in illa mansit *is*, in hac *dem*. Corruptioni occasionem praebuit sequens *de*. Quod Z. coni. dedit *istis*, de Siculis, quorum causam ipse agebat, minus aptum.

§ 91. *M. Marcello Aesernino*] „Consuli viginti annis post, a. u. c. 703." Z.

sperabat esse dicturum: quod mihi nunquam veri simile visum est, adolescentem illo loco natum, patronum Siciliae, nomen suum isti ad translationem criminis commodaturum. Verumtamen ita mihi res tota provisa atque praecauta est, ut, si maxime esset inventus, qui in se suscipere istius culpam crimenque cuperet, tamen is proficere nihil posset. Eos enim deduxi testes, et eas litteras deportavi, ut de
92 istius facto dubium esse nemini posset. Publicae litterae sunt, deportatum Mercurium esse Messanam sumptu publico. Dicent, quanti. Praefuisse huic negotio publice legatum Poleam. Quid? is ubi est? Praesto est: testis est. Propagore Sopatri iussu. Quis est hic? Qui ad statuam adstrictus est. Quid? is ubi est? Vidistis hominem, et verba eius audistis. Demoliendum curavit Demetrius gymnasiarchus, quod is ei loco praeerat. Quid? hoc nos dicimus? Immo vero ipse praesens: Romae nuper istum ipsum esse pollicitum, sese id signum legatis redditurum, si eius rei testificatio tolleretur cautumque esset, eos testimonium non esse dicturos. Dixit hoc apud vos Zosippus et Ismenias, homines nobilissimi et principes Tyndaritanae civitatis.

93 XLIII. Quid? Agrigento nonne eiusdem P. Scipionis monumentum, signum Apollinis pulcherrimum, cuius in femore litteris minutis argenteis nomen Myronis erat inscriptum, ex Aesculapii religiosissimo fano sustulisti? Quod quidem, iudices, cum iste clam fecisset, cum ad suum scelus illud furtumque nefarium quosdam homines improbos duces atque adiutores adhibuisset, vehementer commota civitas est. Uno enim tempore Agrigentini beneficium Africani, religionem domesticam, ornamentum urbis, indicium victoriae, testimonium societatis, requirebant. Itaque ab iis, qui principes in ea civitate erant, praecipitur et negotium datur quaestoribus et aedilibus, ut noctu vigilias agerent ad

---

§ 92. *istum ipsum*] *ipsum istum* Reg. Leid. contra Cic. consuetudinem. Cfr. Moser ad Cic. Legg. p. 405. — *legatis redditurum*] Reg. Leid. *legatis esse redditurum* Z.

§ 93. *Agrigento*] Reg. Leid. Sgall. Z. pro quo Ern. *Agrigenti*. Comparat Z. Caesar. B. C. 3, 105. *T. Ampium conatum esse tollere pecunias Epheso ex fano Dianae.* — *in femore litteris*] Reg. Leid. Z. *in femine litterulis* Sgall. Ern.

aedes sacras. Etenim iste Agrigenti (credo propter multitudinem illorum hominum atque virtutem et quod cives Romani, viri fortes atque honesti, permulti in illo oppido coniunctissimo animo cum ipsis Agrigentinis vivunt ac negotiantur) non audebat palam poscere aut tollere, quae placebant. Herculis templum est apud Agrigentinos, non longe 94
a foro, sane sanctum apud illos et religiosum. Ibi est ex aere simulacrum ipsius Herculis, quo non facile dixerim quicquam me vidisse pulchrius, (tametsi non tam multum in istis rebus intelligo, quam multa vidi), usque eo, iudices, ut rictum eius ac mentum paulo sit attritius, quod in precibus et gratulationibus non solum id venerari, verum etiam osculari solent. Ad hoc templum, cum esset iste Agrigenti, duce Timarchide, repente, nocte intempesta, servorum armatorum fit concursus atque impetus. Clamor a vigilibus fanique custodibus tollitur: qui primo cum obsistere ac defendere conarentur, male mulcati clavis ac fustibus repelluntur. Postea convolsis repagulis effractisque valvis demoliri signum ac vectibus labefactare conantur. Interea ex clamore fama tota urbe percrebruit expugnari deos patrios, non hostium adventu necopinato neque repentino praedonum impetu, sed ex domo atque ex cohorte praetoria manum fugitivorum instructam armatamque venisse. Nemo Agri- 95
genti neque aetate tam affecta neque viribus tam infirmis fuit, qui non illa nocte eo nuntio excitatus surrexerit telumque, quod cuique fors offerebat, arripuerit. Itaque brevi tempore ad fanum ex urbe tota concurritur. Horam amplius

§ 94. *rictum*] Antiquiorem hanc formam, ut sunt huius generis nonnulla in Verrinis, pro *rictus* Sgall. h. l. agnoscit etiam Nonius. — „*Mentum* attingitur in supplicationibus; Homerus Iliad. 1, 501. δεξιτερῇ δ' ἄρ' ὑπ' ἀνθερεῶνος ἑλοῦσα λισσομένη προσέειπεν, et Plinius 11, 45. docet in vetere Graecia moris fuisse; oscula feruntur in gratiarum actionibus, quae sunt *gratulationes* proprie adversus deos; nam ubi alicui homini gratulamur, diis gratias agimus illius nomine, unde demum nova significatio existit, *Glückwunsch, τοῦ συγχαίροντος τινί.* Moneo propter Lipsium, qui hoc loco scribi aliquando *gratationibus* maluit, Ciceronis prorsus oblitus.“ Z. — *fugitivorum*] servorum tam nequam quam solent esse fugitivi.

§ 95. *infirmis*] Etsi Reg. (non Leid.) habet *infirmus*, qua lect. variari constructio videtur, retinui tamen *infirmis*, ut in Milon. § 94. *quorum vires erant debiles.* — *horam*] Reg. Leid. *hora* Sgall. Z.

iam in demoliendo signo permulti homines moliebantur: illud interea nulla lababat ex parte; cum alii vectibus subiectis conarentur commovere, alii deligatum omnibus membris rapere ad se funibus. Ac repente Agrigentini concurrunt: fit magna lapidatio: dant sese in fugam istius praeclari imperatoris nocturni milites: duo tamen sigilla perparvula tollunt, ne omnino inanes ad istum praedonem religionum revertantur. Nunquam tam male est Siculis, quin aliquid facete et commode dicant: velut in hac re aiebant in labores Herculis non minus hunc immanissimum Verrem quam illum aprum Erymanthium referri oportere.

96 XLIV. Hanc virtutem Agrigentinorum imitati sunt Assorini postea, viri fortes et fideles, sed nequaquam ex tam ampla neque tam ex nobili civitate. Chrysas est amnis, qui per Assorinorum agros fluit. Is apud illos habetur deus et religione maxima colitur. Fanum eius est in agro propter ipsam viam, qua Assoro itur Ennam. In eo Chrysae simulacrum est, praeclare factum e marmore. Id iste poscere Assorinos propter singularem eius fani religionem non ausus est: Tlepolemo dat et Hieroni negotium. Illi noctu, facta manu armataque, veniunt: fores aedis effringunt: aeditui custodesque mature sentiunt: signum, quod erat notum vicinitati, bucina datur: homines ex agris concurrunt: eiicitur fugaturque Tlepolemus: neque quicquam ex fano Chrysae praeter unum perparvulum signum ex aere desideratum est.

97 Matris magnae fanum apud Enguinos est. (Iam enim non modo breviter mihi de unoquoque dicendum, sed etiam

---

§ 96. *facta manu*] „*facere manum* nihil aliud est quam colligere, comparare hominum multitudinem." Z. (sic *facere*, conficere, *exercitum*.) — *aeditui*] Sic Codd. noti. Gellius 12, 10. in fidelissimis exemplaribus a se inventum dicit *aeditumi*. Varro de R. R. 1, 2. *rogatus ab aeditimo, ut dicere didicimus a patribus nostris, ut corrigimur a recentibus urbanis, ab aedituo*. Z. Facile tamen adducor, ut hoc quoque Gellii temporibus remanserit in his Oratt. antiquitatis vestigium.

§ 97. *Matris* deûm *magnae* Idaeae] σφάλμα μνημονικόν Ciceronis; nam „fuisse Θεῶν μητέρων discimus a Diodoro Sic. 4, 79. et ex narratione Posidonii apud Plutarchum in Marcello c. 20. Religio e Creta insula originem duxit et tradebantur illae fuisse Iovis nutrices. De vetustis armis militaribus in eo fano sacratis mentio fit apud Plutarchum, eaque causa videtur fuisse, cur Scipio

praetereunda videntur esse permulta, ut ad maiora istius et illustriora in hoc genere furta et scelera veniamus.) In hoc fano loricas galeasque aeneas, caelatas opere Corinthio, hydriasque grandes, simili in genere atque eadem arte perfectas, idem ille Scipio, vir omnibus rebus praecellentissimus, posuerat, et suum nomen inscripserat. Quid iam de isto plura dicam aut querar? omnia illa, iudices, abstulit: nihil in religiosissimo fano, praeter vestigia violatae religionis nomenque P. Scipionis, reliquit: hostium spolia, monumenta imperatorum, decora atque ornamenta fanorum posthac, his praeclaris nominibus amissis, in instrumento atque in
supellectile C. Verris nominabuntur. Tu videlicet solus va- 98
sis Corinthiis delectaris: tu illius aeris temperationem, tu operum lineamenta sollertissime perspicis. Haec Scipio ille non intelligebat, homo doctissimus atque humanissimus: tu sine ulla bona arte, sine humanitate, sine ingenio, sine litteris, intelligis et iudicas. Vide, ne ille non solum temperantia, sed etiam intelligentia te atque istos, qui se elegantes dici volunt, vicerit. Nam quia, quam pulchra essent, intelligebat, idcirco existimabat, ea non ad hominum luxuriem, sed ornatum fanorum atque oppidorum esse facta, ut posteris nostris monumenta religiosa esse videantur.

XLV. Audite etiam singularem eius, iudices, cupidita- 99
tem, audaciam, amentiam in iis praesertim sacris polluendis, quae non modo manibus attingi, sed ne cogitatione quidem violari fas fuit. Sacrarium Cereris est apud Catinenses, eadem religione, qua Romae, qua in ceteris locis, qua prope in toto orbe terrarum. In eo sacrario intimo signum fuit Cereris perantiquum, quod viri non modo cuiusmodi esset, sed ne esse quidem sciebant: aditus enim in id sacrarium non est viris; sacra per mulieres ac virgines confici solent. Hoc signum noctu clam istius servi ex illo reli-

---

armamenta ex eodem genere consecraret." Z. Inserviebant ea saltationibus et choreis eorum, qui Corybantes referebant crepitumque armorum ciebant. — *inscripserat*] Sgall. Z. *scripserat* Reg. Leid. omnesque meliores: et sic § 103. *in his scriptum* iidem pro volg. *in iis inscriptum.* Hoc tamen loco cum Zumptio in Add. censeo syll. *in* absorptam esse a praecedd. litt. *en.* In extrema § praenomen *C.* retinendum esse ex Regii auctoritate recte demonstrat Madvig. Diss. Verr. II. p. 20.

giosissimo atque antiquissimo loco sustulerunt. Postridie sacerdotes Cereris atque illius fani antistitae, maiores natu, probatae ac nobiles mulieres, rem ad magistratus suos deferunt. Omnibus acerbum, indignum, luctuosum denique vi-
100 debatur. Tum iste permotus illa atrocitate negotii, ut ab se sceleris illius suspicio demoveretur, dat hospiti suo cuidam negotium, ut aliquem reperiret, quem illud fecisse insimularet, daretque operam, ut is eo crimine damnaretur, ne ipse esset in crimine. Res non procrastinatur. Nam cum iste Catina profectus esset, servi cuiusdam nomen defertur. Is accusatur: ficti testes in eum dantur. Rem cunctus senatus Catinensium legibus iudicabat. Sacerdotes vocantur: ex iis quaeritur secreto in curia, quid esse factum arbitrarentur, quemadmodum signum esset ablatum. Respondent illae, praetoris in eo loco servos esse visos. Res, quae esset iam antea non obscura, sacerdotum testimonio perspicua esse coepit. Itur in consilium: servus ille innocens omnibus sententiis absolvitur, quo facilius vos hunc omnibus sententiis
101 condemnare possitis. Quid enim postulas, Verres? quid speras? quid expectas? quem tibi aut deum aut hominem auxilio futurum putas? Eone tu servos ad spoliandum fanum immittere ausus es, quo liberos adire ne orandi quidem causa fas erat? Hisne rebus manus afferre non dubitasti, a quibus etiam oculos cohibere te religionum iura cogebant? Tametsi ne oculis quidem captus in hanc fraudem tam sceleratam ac tam nefariam decidisti: nam id concupisti, quod nunquam videras; id, inquam, adamasti, quod antea non aspexeras. Auribus tu tantam cupiditatem concepisti, ut eam non metus, non religio, non deorum vis,
102 non hominum existimatio contineret. At ex bono viro credo

---

§ 100. *iudicabat*] Reg. Leid. pro *iudicat* Ern. Recte se habet imperf.: senatores enim iudices sedebant, dum illa, quae fiunt, aguntur. Z. Accedit haec quoque sententia: „senatus, ut semper in talibus fieri solebat, iudicabat. — *ex iis*] Reg. *ex his* Z,

§ 101. *quid expectas*] Erf. Lagom. 29. *quid spectas* Reg. Le id. Verum illud: „nam *spectare* ad occasionem alicuius negotii suscipiendi, *expectare* ad auxilium, quod nobis alicunde venturum speramus, pertinet." Z.

§ 102. *nec vidisse*] Reg. Leid. *neque v.* Ern. Z. — *an minime*] Reg. Leid. Z. pro *at m.*; ita ut interrogatio excipiatur interrogatione, ex Tullii usu. — *viro-*

audieras et bono auctore. Qui id potes, qui ne ex viro quidem audire potueris? Audisti igitur ex muliere; quoniam id viri nec vidisse neque nosse poterant. Qualem porro illam feminam fuisse putatis, iudices? quam pudicam, quae cum Verre loqueretur? quam religiosam, quae sacrarii spoliandi rationem ostenderet? An minime mirum, quae sacra per summam castimoniam virorum ac mulierum fiant, eadem per istius stuprum ac flagitium esse violata?

XLVI. Quid ergo? hoc solum auditione expetere coepit, cum id ipse non vidisset? Immo vero alia complura: ex quibus eligam spoliationem nobilissimi atque antiquissimi fani, de qua priore actione testes dicere audistis: nunc eadem illa, quaeso, audite et diligenter, sicut adhuc fecistis, attendite. Insula est Melita, iudices, satis lato a Sicilia mari 103
periculosoque diiuncta: in qua est eodem nomine oppidum, quo iste nunquam accessit: quod tamen isti textrinum per triennium ad muliebrem vestem conficiendam fuit. Ab eo oppido non longe in promontorio fanum est Iunonis antiquum, quod tanta religione semper fuit, ut non modo illis Punicis bellis, quae in his fere locis navali copia gesta atque versata sunt, sed etiam in hac praedonum multitudine semper inviolatum sanctumque fuerit. Quin etiam hoc memoriae proditum est, classe quondam Masinissae regis ad eum locum appulsa, praefectum regium dentes eburneos incredibili magnitudine e fano sustulisse et eos in Africam portasse Masinissaeque donasse. Regem primo delectatum esse munere: post, ubi audisset, unde essent, statim certos homines in quinqueremi misisse, qui eos dentes reponerent. Itaque in iis scriptum litteris Punicis fuit, *regem Masinissam imprudentem accepisse, re cognita reportandos curasse.* Erat praeterea magna vis eboris, multa ornamenta, in quibus eburneae Victoriae, antiquo opere ac summa arte

---

rum Codd. omnes. „quod scil. a consuetudine mulierum abstinent, quibus sacra facienda sunt.“ Z. Hotomanus coni. *virginum.*

§ 103. *navali copia*] Sgall. cum deterioribus: *navali proelio.* Scil. haerebant in militari atque antiquiore consuetudine singularis huius pro plurali; quam consuetudinem notante Zumptio quater retinuit Pompeius in duabus Epp. (ad Att. 8, 12.) — *in iis*] Reg. *in his* Leid. Z.

104 perfectae. Haec iste omnia, ne multis morer, uno impetu atque uno nuntio per servos Venerios, quos eius rei causa miserat, tollenda atque asportanda curavit.

XLVII. Pro dii immortales! quem ego hominem accuso? quem legibus aut iudiciali iure persequor? de quo vos sententiam per tabellam feretis? Dicunt legati Melitenses publice, spoliatum templum esse Iunonis; nihil istum in religiosissimo fano reliquisse, quem in locum classes hostium saepe accesserint, ubi piratae fere quotannis hiemare soleant; quod neque praedo violaverit ante, neque unquam hostis attigerit, id ab uno isto sic spoliatum esse, ut nihil omnino sit relictum. Hic nunc iste reus, aut ego accusator aut hoc iudicium appellabitur? Criminibus enim coarguitur aut suspicionibus in iudicium vocatur! Dii ablati, fana vexata, nudatae urbes reperiuntur: earum autem rerum nullam sibi iste neque infitiandi rationem neque defendendi facultatem reliquit: omnibus in rebus coarguitur a me, convincitur a testibus, urgetur confessione sua, manifestis in maleficiis tenetur, et manet etiam, ac tacitus facta mecum sua recognoscit.

105 Nimium mihi diu videor in uno genere versari criminum. Sentio, iudices, occurrendum esse satietati aurium animorumque vestrorum. Quamobrem multa praetermittam. Ad ea autem, quae dicturus sum, reficite vos, quaeso, iudices, per deos immortales! eos ipsos, de quorum religione iamdiu dicimus, dum id eius facinus commemoro et profero, quo provincia tota commota est. De quo si paulo altius ordiri ac repetere memoriam religionis videbor, ignoscite: rei magnitudo me breviter perstringere atrocitatem criminis non sinit.

---

§ 104. *iudiciali iure*] Hoc adeo suspectum Ernestio et Madvigio, ut ille *iudicio ac iure*, hic *iudicio* „alii *iure*" in eo latere arbitrarentur, recte vindicat Zumptius: Verum, inquit, tueor. (scil. alibi apud Ciceronem est *iudicialis oratio*, *iudicialis annus* cet.) Est enim etiam aliud *ius*, quo Cicero eiusmodi praedonem persequendum censet, *ius belli*, cui opponitur illud *iudiciale*, quod iudiciis exerceatur." — *nunc iste*] Reg. Leid. Sgall. cum cett. Codd. notis. *nunc aut iste* Z. — *criminibus* cet.] Haec *κατ' εἰρωνείαν* accipienda. „Nimirum *crimina* opponuntur *manifestis maleficiis*, in quibus Verres teneri dicitur: ubi autem ne criminatione

XLVIII. Vetus est haec opinio, iudices, quae constat 106
ex antiquissimis Graecorum litteris ac monumentis, insulam Siciliam totam esse Cereri et Liberae consecratam. Hoc cum ceterae gentes sic arbitrantur, tum ipsis Siculis ita persuasum est, ut in animis eorum insitum atque innatum esse videatur. Nam et natas esse has in iis locis deas, et fruges in ea terra primum repertas esse arbitrantur, et raptam esse Liberam, quam eandem Proserpinam vocant, ex Hennensium nemore; qui locus, quod in media est insula situs, umbilicus Siciliae nominatur. Quam cum investigare et conquirere Ceres vellet, dicitur inflammasse taedas iis ignibus, qui ex Aetnae vertice erumpunt: quas sibi cum ipsa praeferret, orbem omnium peragrasse terrarum. Henna 107
autem, ubi ea, quae dico, gesta esse memorantur, est loco perexcelso atque edito, quo in summo est aequata agri planities et aquae perennes; tota vero ab omni aditu circumcisa, atque directa est: quam circa lacus lucique sunt plurimi atque laetissimi flores omni tempore anni, locus ut ipse raptum illum virginis, quem iam a pueris accepimus, declarare videatur. Etenim prope est spelunca quaedam, conversa ad aquilonem, infinita altitudine, qua Ditem patrem ferunt repente cum curru extitisse abreptamque ex eo loco virginem secum asportasse, et subito non longe a Syracusis penetrasse sub terras lacumque in eo loco repente extitisse; ubi usque ad hoc tempus Syracusani festos dies anniversarios agunt celeberrimo virorum mulierumque conventu.

XLIX. Propter huius opinionis vetustatem, quod horum in iis locis vestigia ac prope incunabula reperiuntur deorum, mira quaedam tota Sicilia privatim ac publice religio est

---

quidem opus est, quid agat accusator? Iudex sufficit.“ Z. (Graev. e Cod. Franc. *haud susp.*)

§ 106. *omnem*] Reg. Leid. Z. Minus concinne olim: *omnium*.

§ 107. *perexcelso*] Reg. Z. (*praeexcelso* Leid.) *praecelso* Ern. „quod alibi apud Cic. non invenitur et omnino poëtarum videtur.“ Z. Cfr. Madvig. Ep. p. 77. — *directa*] Reg. Leid. Sgall. Z. *steil.* Caesar. B. C. 1, 41. *praeruptus locus erat, omni ex parte directus. dirempta* Ern. — *prope*] Reg. Leid. Z. *propter* Ern. *Prope* et praepositio et adverbium est; *propter* praepositio tantum et casum adiectum postulat. Z.

Cereris Hennensis. Etenim multa saepe prodigia vim eius numenque declarant: multis saepe in difficillimis rebus praesens auxilium eius oblatum est, ut haec insula ab ea non
108 solum diligi, sed etiam incoli custodirique videatur. Nec solum Siculi, verum etiam ceterae gentes nationesque Hennensem Cererem maxime colunt. Etenim, si Atheniensium sacra summa cupiditate expetuntur, ad quos Ceres in illo errore venisse dicitur frugesque attulisse, quantam esse religionem convenit eorum, apud quos eam natam esse et fruges invenisse constat? Itaque apud patres nostros, atroci ac difficili rei publicae tempore, cum Ti. Graccho occiso magnorum periculorum metus ex ostentis portenderetur, P. Mucio L. Calpurnio consulibus, aditum est ad libros Sibyllinos: ex quibus inventum est Cererem antiquissimam placari oportere. Tum ex amplissimo collegio decemvirali sacerdotes populi Romani, cum esset in urbe nostra Cereris pulcherrimum et magnificentissimum templum, tamen usque Hennam profecti sunt. Tanta erat enim auctoritas et vetustas illius religionis, ut, cum illuc irent, non ad aedem Ce-
109 reris, sed ad ipsam Cererem proficisci viderentur. Non obtundam diutius. Etenim iamdudum vereor, ne oratio mea, aliena ab iudiciorum ratione et a cotidiana dicendi consuetudine esse videatur. Hoc dico, hanc ipsam Cererem, antiquissimam, religiosissimam, principem omnium sacrorum, quae apud omnes gentes nationesque fiunt, a C. Verre ex suis templis ac sedibus esse sublatam. Qui accessistis Hennam, vidistis simulacrum Cereris e marmore et in altero templo Liberae. Sunt ea perampla atque praeclara, sed non ita antiqua. Ex aere fuit quoddam modica amplitudine ac singulari opere, cum facibus, perantiquum, omnium illorum,

---

§ 108. *P. Mucio* cet.] a. u. c. 621. — *collegio decemvirali*] Sunt Decemviri (post Sullam Quindecimviri) sacris faciundis, quibus custodia librorum Sibyllinorum mandata erat. — *Tanta erat enim*] Reg. *Tanta enim erat* Leid. Z.

§ 109. *non obtundam diutius*] Reg. Leid. Z. Codd. volgg. *non obtundam diutius aures vestras.* „Sane *obtundere* alibi apud Ciceronem non est sine accusativo suo. Verum Terentius non semel absolute dicit de iis, qui auditores inaniter loquendo fatigant." Z. Etiam hoc loco antiquius sermonis genus secutus videtur; quamquam Livius quoque (2, 15. et 26, 38.) idem non respuit.

quae sunt in eo fano, multo antiquissimum. Id sustulit;
ac tamen eo contentus non fuit. Ante aedem Cereris in 110
aperto ac propatulo loco signa duo sunt, Cereris unum,
alterum Triptolemi, pulcherrima ac perampla. Pulchritudo
periculo, amplitudo saluti fuit, quod eorum demolitio atque
asportatio perdifficilis videbatur. Insistebat in manu Cereris
dextra grande simulacrum pulcherrime factum Victoriae.
Hoc iste e signo Cereris avellendum asportandumque curavit.

L. Qui tandem istius animus est nunc in recordatione
scelerum suorum, cum ego ipse in commemoratione eorum
non solum animo commovear, verum etiam corpore per-
horrescam? Venit enim mihi fani, loci, religionis illius in
mentem: versantur ante oculos omnia: dies ille, quo ego
Hennam cum venissem, praesto mihi sacerdotes Cereris cum
infulis ac verbenis fuerunt: contio conventusque civium: in
quo ego cum loquerer, tanti gemitus fletusque fiebant, ut
acerbissimus tota urbe luctus versari videretur. Non illi 111
decumarum imperia, non bonorum direptiones, non iniqua
iudicia, non importunas istius libidines, non vim, non con-
tumelias, quibus vexati oppressique erant, conquerebantur:
Cereris numen, sacrorum vetustatem, fani religionem, istius
sceleratissimi atque audacissimi supplicio expiari volebant:
omnia se cetera pati ac negligere dicebant. Hic dolor erat
tantus, ut Verres alter Orcus venisse Hennam, et non Pro-
serpinam asportasse, sed ipsam abripuisse Cererem videre-
tur. Etenim urbs illa non urbs videtur, sed fanum Cereris
esse: habitare apud sese Cererem Hennenses arbitrantur: ut
mihi non cives illius civitatis, sed omnes sacerdotes, omnes
accolae atque antistites Cereris esse videantur. Henna tu 112

---

§ 110. *Pulchritudo*] Reg. Leid. *his pulchritudo* Ern. Z. Facile autem pronomine caremus in huiusmodi narratione, praesertim cum sequatur *eorum*. — *grande simulacrum*] Reg. Leid. Z. Significat, ut opinor, propter hoc ipsum Verris cupiditatem illectam esse, quod *grande* erat, maius igitur quam pleraque Victoriae simulacra, Minervae praesertim signis in palma dextra collocari solita. Volgo om. *grande*.

§ 111. *vexati oppressique*] Reg. Leid. Z. *operti oppressique* Sgall. Ern. „*Opertus* apud Cic. semper adiectivum est; nunquam hoc significatu v. *operire* translate dicitur.“ Z. Mirus error videtur natus ex geminatione s. *διττογραφίᾳ* v. *oppressi*.

§ 112. *Henna tu de manu*] Reg. Leid. Z. pro Ern. *Ennae*. Nec est cur in

simulacrum Cereris tollere audebas? Henna tu de manu Cereris Victoriam deripere et deam deae detrahere conatus es? quorum nihil violare, nihil attingere ausi sunt, in quibus erant omnia, quae sceleri propiora sunt, quam religioni. Tenuerunt enim, P. Popillio P. Rupilio consulibus, illum locum servi, fugitivi, barbari, hostes. Sed neque tam servi illi dominorum, quam tu libidinum: neque tam fugitivi illi a dominis, quam tu ab iure et ab legibus: neque tam barbari lingua et natione illi, quam tu natura et moribus: neque tam illi hostes hominibus, quam tu diis immortalibus. Quae deprecatio est igitur ei reliqua, qui indignitate servos, temeritate fugitivos, scelere barbaros, crudelitate hostes vicerit?

113 LI. Audistis Theodorum et Numenium et Nicasionem, legatos Hennenses, publice dicere sese a suis civibus haec habere mandata, ut Verrem adirent et eum simulacrum Cereris et Victoriae reposcerent: id si impetrassent, tum ut morem veterem Hennensium conservarent, publice in eum, tametsi vexasset Siciliam, tamen, quoniam haec a maioribus instituta accepissent, testimonium ne quod dicerent: sin autem ea non reddidisset, tum ut in iudicio adessent, tum ut de eius iniuriis iudices docerent, sed maxime de religione quererentur. Quas illorum querimonias nolite, per deos immortales! aspernari; nolite contemnere ac negligere, iudices. Aguntur iniuriae sociorum: agitur vis legum: agitur

---

ablativo haereamus, cum diversa sit relatio: *ex Henna de manu.* — *P. Popillio*] „a. u. c. 622. quod primum servorum bellum fuit; alterum a M'. Aquillio confectum a. 655." Z.

§ 113. *in iudicio adessent*] Reg. Leid. Z. pro Ern. *iudicio adessent.* Illud simpliciter significat *praesentes essent*, hoc, auxilium laturi, patrocinium suscepturi, quod huic loco non convenit. — *vis legum*] Firmat hanc lect. Reg. Contra Leid. *ius legum.* — *veritasque iudiciorum*] Quae et singulorum iudicum et iudiciorum est *religio*, eiusdem complementum est iudiciorum *veritas*, id est, ut pro iudicum religione nonnisi quae vera et iusta sunt, statuant. Sic Act. 1, 1, 3. *iudiciorum religionem veritatemque* Act. 3, 69, 162. *veritate iudiciorum constituta*; nec vero probabile est his tribus locis notissimum voc. *severitas*, ut nonnulli opinati sunt, cum illo commutatum esse. — *propter eam causam sceleris istius*] Reg. Leid. Z. Affert Z. Phil. 1, 11. *nec erit iustior in senatum non veniendi causa morbi quam mortis.* Offic. 2, 5, 16. *collectis ceteris causis eluvionis pestilentiae vastitatis.* Qui hunc usum ignorabant, scripserunt: *propter eam causam scelere istius.* Ern.

existimatio veritasque iudiciorum. Quae sunt omnia permagna, verum illud maximum: tanta religione obstricta tota provincia est, tanta superstitio ex istius facto mentes omnium Siculorum occupavit, ut quaecunque accidant publice privatimque incommoda, propter eam causam sceleris istius evenire videantur. Audistis Centuripinos, Agyrinen- 114
ses, Catinenses, Aetnenses, Herbitenses compluresque alios publice dicere, quae solitudo in agris esset, quae vastitas, quae fuga aratorum, quam deserta, quam inculta, quam relicta omnia. Ea tametsi multis istius et variis iniuriis acciderunt, tamen haec una causa in opinione Siculorum plurimum valet, quod, Cerere violata, omnes cultus fructusque Cereris in iis locis interisse arbitrantur. Medemini religioni sociorum, iudices: conservate vestram. Neque enim haec externa vobis est religio neque aliena. Quodsi esset, si suscipere eam nolletis: tamen in eo, qui violasset, sancire vos velle oporteret. Nunc vero in communi omnium gen- 115
tium religione, inque iis sacris, quae maiores nostri ab exteris nationibus ascita atque arcessita coluerunt, quae sacra, ut erant re vera, sic appellari Graeca voluerunt, negligentes ac dissoluti, si cupiamus esse, qui possumus?

LII. Unius etiam urbis, omnium pulcherrimae atque ornatissimae, Syracusarum direptionem commemorabo et in medium proferam, iudices, ut aliquando totam huius generis orationem concludam atque definiam. Nemo fere vestrum est, quin, quemadmodum captae sint a M. Marcello Syracusae, saepe audierit, nonnunquam etiam in annalibus legerit. Conferte hanc pacem cum illo bello, huius praetoris adventum cum illius imperatoris victoria, huius cohortem impuram cum illius exercitu invicto, huius libidines cum illius continentia: ab illo, qui cepit, conditas, ab hoc, qui constitutas accepit, captas dicetis Syracusas. Ac iam 116
illa omitto, quae disperse a me multis in locis dicentur ac dicta sunt, forum Syracusanorum, quod introitu Marcelli

§ 114. *in iis*] Reg. *in his* Ern. Z. — *vobis*] Reg. Leid. rectius utique inter vv. *conservate - - nolletis*. *nobis* Ern. Z.

§ 115. *inque iis*] Reg. *in hiisque* Leid. *inque his* Ern. Z.

purum caede servatum est, id adventu Verris Siculorum innocentium sanguine redundasse; portum Syracusanorum, qui tum et nostris classibus et Carthaginiensium clausus fuisset, eum, isto praetore, Cilicum myoparoni praedonibusque patuisse: mitto adhibitam vim ingenuis, matresfamilias violatas, quae tum in urbe capta commissa non sunt, neque odio hostili, neque licentia militari, neque more belli, neque iure victoriae: mitto, inquam, haec omnia, quae ab isto per triennium perfecta sunt: ea, quae coniuncta cum
117 illis rebus sunt, de quibus antea dixi, cognoscite. Urbem Syracusas maximam esse Graecarum, pulcherrimam omnium, saepe audistis. Est, iudices, ita, ut dicitur. Nam et situ est cum munito, tum ex omni aditu, vel terra, vel mari, praeclaro ad aspectum: et portus habet prope in aedificatione aspectuque urbis inclusos: qui cum diversos inter se aditus habeant, in exitu coniunguntur et confluunt. Eorum coniunctione pars oppidi, quae appellatur Insula, mari diiuncta angusto, ponte rursus adiungitur et continetur.

118 LIII. Ea tanta est urbs, ut ex quattuor urbibus maximis constare dicatur: quarum una est ea, quam dixi, Insula: quae duobus portubus cincta, in utriusque portus ostium aditumque proiecta est: in qua domus est, quae regis Hieronis fuit, qua praetores uti solent. In ea sunt aedes sacrae complures, sed duae, quae longe ceteris antecellant, Dianae, et altera, quae fuit ante istius adventum ornatissima, Minervae. In hac insula extrema est fons aquae dulcis, cui nomen Arethusa est, incredibili magnitudine, plenissimus piscium; qui fluctu totus operiretur, nisi muni-
119 tione ac mole lapidum diiunctus esset a mari. Altera autem

---

§ 117. *urbem Syracusas maximam esse Graecarum, pulcherrimam omnium* (per totum orbem terrarum.)] Reg. Leid. Z. Cfr. de Rep. 3, p. 262. *Urbs illa praeclara, quam ait Timaeus Graecarum maximam, omnium autem esse pulcherrimam.* Volgo *pulcherrimamque omnium* (Graecarum.) — *in exitu*] „i. e. interiore et remotiore a mari parte sita. Iam eorum portuum coniunctione fit, ut maris angustum brachium urbis partem, quae insula et est et vocatur, a cetera urbe et terra continenti separet, sed ea rursus adiungitur ponte." Z.

§ 118. *Dianae*] Reg. (Leid. hic omittit etiam vv. *et altera:*) Sgall. cfr. Madvig. p. 33. *una Dianae* Z. Cfr. § 110.

§ 119. *ceteraeque urbis partes*] „Horum vv. sensus ita constitui debet, ut e

est urbs Syracusis, cui nomen Achradina est: in qua forum maximum, pulcherrimae porticus, ornatissimum prytanium, amplissima est curia, templumque egregium Iovis Olympii ceteraeque urbis partes, quae una via lata perpetua multisque transversis divisae privatis aedificiis continentur. Tertia est urbs, quae, quod in ea parte Fortunae fanum antiquum fuit, Tycha nominata est, in qua gymnasium amplissimum est, et complures aedes sacrae: coliturque ea pars et habitatur frequentissime. Quarta autem est, quae, quia postrema coaedificata est, Neapolis nominatur: quam ad summam theatrum maximum, praeterea duo templa sunt egregia, Cereris unum, alterum Liberae, signumque Apollinis, qui Temenites vocatur, pulcherrimum et maximum, quod iste si portare potuisset, non dubitasset auferre.

LIV. Nunc ad Marcellum revertar, ne haec a me sine 120
causa commemorata esse videantur. Qui cum tam praeclaram urbem vi copiisque cepisset, non putavit ad laudem populi Romani hoc pertinere, hanc pulchritudinem, ex qua praesertim periculi nihil ostenderetur, delere et extinguere. Itaque aedificiis omnibus, publicis privatis, sacris profanis, sic pepercit, quasi ad ea defendenda cum exercitu, non oppugnanda venisset. In ornatu urbis habuit victoriae rationem, habuit humanitatis. Victoriae putabat esse multa Romam deportare, quae ornamento urbi esse possent, humanitatis, non plane expoliare urbem, praesertim quam conservare voluisset. In hac partitione ornatus non plus victo- 121
ria Marcelli populo Romano appetivit, quam humanitas Sy-

---

praegressis aliquanto plus suppleatur: *ceteraeque urbis* partes ad eandem rationem sunt." Z. — *via lata perpetua*] Sic Reg. Leid. *via lata*, semitae opposita unam constituit notionem, cui adiungitur *ἐπίθετον perpetua*, ut § 81. *hominibus novis industriis*. Quod qui non intelligebant, inverterunt *lata via perpetua* Sgall. Z. — *theatrum maximum*] Reg. Leid. *theatrum est max.* Z. Sed v. substant. inest in seq. *sunt* etiam ad v. *theatrum*. — *Τέμενος τόπος Σικελίας ὑπὸ τὰς Ἐπιπολὰς πρὸς ταῖς Συρακούσαις, οὗ οἰκήτωρ Τεμενίτης*. Steph. Byz.

§ 120. *oppugnanda*] Leid. *expugnanda* Z. — *exoppugnanda* Reg. (utraque lectione coniuncta.) Cum exitus obsidionis semper incertus sit, sane rectius dicimus ad *oppugnandam* quam ad *expugnandam* urbem venisse Marcellum.

§ 121. *apportata*] (Reg. Z.) *deportata* Leid., ut Lambinus. *asportata* Ern. — *Honoris et Virtutis*] Reg. Leid. Z. ex consuetudine Latina. Inscriptt. m. Lat.

racusanis reservavit. Romam quae apportata sunt, ad aedem Honoris et Virtutis itemque aliis in locis videmus. Nihil in aedibus, nihil in hortis posuit, nihil in suburbano: putavit, si urbis ornamenta domum suam non contulisset, domum suam ornamento urbi futuram. Syracusis autem permulta atque egregia reliquit: deum vero nullum violavit, nullum attigit. Conferte Verrem: non ut hominem cum homine comparetis, ne qua tali viro mortuo fiat iniuria; sed ut pacem cum bello, leges cum vi, forum et iurisdictionem cum ferro et armis, adventum et comitatum cum exercitu et victoria conferatis.

122 LV. Aedis Minervae est in Insula, de qua ante dixi: quam Marcellus non attigit, quam plenam atque ornatam reliquit, quae ab isto sic spoliata atque direpta est, non ut ab hoste aliquo, qui tamen in bello religionum et consuetudinis iura contineret, sed ut a barbaris praedonibus vexata esse videatur. Pugna erat equestris Agathocli regis in tabulis picta: his autem tabulis interiores templi parietes vestiebantur. Nihil erat ea pictura nobilius, nihil Syracusis, quod magis visendum putaretur. Has tabulas M. Marcellus, cum omnia victoria illa sua profana fecisset, tamen religione impeditus non attigit: iste, cum illa iam propter diuturnam pacem fidelitatemque populi Syracusani sacra religiosaque accepisset, omnes eas tabulas abstulit: parietes,

---

N. 543. *C. Marius - - de manub is Cimbricis et Teutonicis aedem Honori et Virtuti victor fecit.* (Hic, ut per se intelligitur, sermo est de templis a Marcello exstructis cfr. § 123. *Honoris atque Virtutis.* Ern.)

§ 122. *aedis* ex melioribus Codd. Z. pro *aedes.* — *religionum*] *religionem* Reg. Leid. Sed praestat *religionum iura.* — *contineret*] Reg. Leid. id est *conservaret*, pr. *zusammenhalten, festhalten.* de Offic. 2, 24. *nulla res vehementius remp. continet quam fides.* (Quem v. significatum cum ignorarent, interpolarunt *retineret* Sgall. Z.) — *picta : his*] Reg. Z. Ex hoc factum vel *pictis hiis* Leid. vel *praeclaris* Sgall. Hoc rursus a Naug. emendatum: *picta praeclare : his* Ern. — *profana fecisset*] *Constat omnes urbes in alicuius dei esse tutela moremque Romanorum arcanum et multis ignotum fuisse, ut, cum obsiderent urbem hostium eamque iam capi posse confiderent, certo carmine evocarent tutelares deos; quod aut aliter urbem capi posse non crederent, aut, si posset, nefas existimarent deos habere captivos.* Macrob. Sat. 3, 9. In urbe igitur capta a Romanis nihil iam sacri, profana omnia erant.

quorum ornatus tot saecula manserat, tot bella effugerat,
nudos ac deformatos reliquit. Et Marcellus, qui, si Syra- 123
cusas cepisset, duo templa se Romae dedicaturum voverat,
is id, quod erat aedificaturus, iis rebus ornare, quas ceperat, noluit: Verres, qui non Honori neque Virtuti, quemadmodum ille, sed Veneri et Cupidini vota deberet, is Minervae templum spoliare conatus est. Ille deos deorum spoliis ornare noluit: hic ornamenta Minervae virginis in meretriciam domum transtulit. Septem et viginti praeterea tabulas pulcherrime pictas ex eadem aede sustulit: in quibus erant imagines Siciliae regum ac tyrannorum, quae non solum pictorum artificio delectabant, sed etiam commemoratione hominum et cognitione formarum. Ac videte, quanto taetrior hic tyrannus Syracusanus fuerit, quam quisquam superiorum: cum illi tamen ornarint templa deorum immortalium, hic etiam illorum monumenta atque ornamenta sustulit.

LVI. Iam vero quid ego de valvis illius templi comme- 124
morem? Vereor, ne, haec qui non viderint, omnia me nimis augere atque ornare arbitrentur: quod tamen nemo suspicari debet, tam esse me cupidum, ut tot viros primarios velim, praesertim ex iudicum numero, qui Syracusis fuerint, qui haec viderint, esse temeritati et mendacio meo conscios.

---

§ 123. *si Syracusas cepisset*] „Livius haud dubie certior in eiusmodi rebus auctor lib. 27, 25. vovisse templa Marcellum a. u. c. 532. bello Gallico ad Clastidium tradit.“ Z. — *is id*] Reg. Leid. *id* Z. — *iis*] Reg. *his* Z. — *cum illi tamen ornarint*] Satius h. l. videbatur retinere lect. volg. Sgall. Ern., cum *ornarint* firmet Reg. (qui habet: *quam illi tamen ornarint*) quam edere cum Z.: *quia* (e Guelff.) *illi tamen ornarunt*, ex Leid. et Guelf. 2. *ornaverunt*. Sententia est: „cum illi, si nihil aliud boni fecerunt, saltem templa ornarint, Verres etiam tyrannorum illorum monumenta sustulit.“ Quamquam, *quam* illud Regii aliorumque iunctum cum litteris postremis voc. praecedentis hanc dabit lectionem: *quam quisquam superiorum umquam; illi tamen ornarunt* cet. Frequenter autem apud Cic. iunguntur vv. *quisquamumquam*. Cet. *Syracusanus* Rep. Lamb. Z. Codd. *Syracusanis*.

§ 124. „*argumentum* est fundamentum aut verum aut veritati adsimilatum, quod aut verbis scriptor aut figuris artifex exponat. h. l. *Scenen*, *Darstellungen*.“ Z. Retinet semper *arguendi*, τοῦ ἐλέγχειν, veritatis vindicandae significatum. Hoc significatu Graeci ἱστόρημα. — *cinctum*] Reg. Sgall. Z. Iam cum erratum esset in Leid. *iratum*, factum est *crinitum* in Ascens. 1531 seq. transiitque etiam in Lexica voc. poëticum tamquam solutae orationis Tullianum. — *ex iis*] Reg. *ex his* Z.

Confirmare hoc liquido, iudices, possum, valvas magnificentiores, ex auro atque ebore perfectiores, nullas unquam ullo templo fuisse. Incredibile dictu est, quam multi Graeci de harum valvarum pulchritudine scriptum reliquerint. Nimium forsitan haec illi mirentur atque efferant: esto; verumtamen honestius est rei publicae nostrae, iudices, ea, quae illis pulchra esse videantur, imperatorem nostrum in bello reliquisse, quam praetorem in pace abstulisse. Ex ebore diligentissime perfecta argumenta erant in valvis: ea detrahenda curavit omnia. Gorgonis os pulcherrimum, cinctum anguibus, revellit atque abstulit: et tamen indicavit, se non solum artificio, sed etiam pretio quaestuque duci. Nam bullas aureas omnes ex iis valvis, quae erant multae et graves, non dubitavit auferre; quarum iste non opere delectabatur, sed pondere. Itaque eiusmodi valvas reliquit, ut, quae olim ad ornandum templum erant maxime, nunc
125 tantum ad claudendum factae esse videantur. Etiamne gramineas hastas — Vidi enim vos in hoc nomine, cum testis diceret, commoveri, quod erant eiusmodi, ut semel vidisse satis esset: in quibus neque manu factum quicquam, neque pulchritudo erat ulla, sed tantum magnitudo incredibilis, de qua vel audire satis esset, nimium videre plus quam semel — etiam id concupisti?

LVII. Nam Sappho, quae sublata de prytanio est, dat tibi iustam excusationem, prope ut concedendum atque
126 ignoscendum esse videatur. Silanionis opus tam perfectum,

---

§ 125. *gramineas hastas*] V. Garatonium ad Planc. p. 267. Ed. nostrae. Intelliguntur arundines Indicae, *Bambusrohr*, a negotiatoribus ex Oriente deportatae et propter insolitam speciem in templis dedicatae. — *vos in hoc nomine*] Recte Zumptius non ad mirum utique nomen hastarum graminearum (*Grasschafte*) refert iudicum commotionem, sed *nomen* interpretatur *accusationis locum*. Ita locum habet *quod* cet. Commovebantur iudices hoc crimen eiusque testem audientes, quod eo cupiditatis processisset Verres, ut rem miram quidem, sed nullius plane usus e sacrario abstulisset.

§ 126. „*Silanio* Atheniensis fuit, Lysippi aequalis circa exitum Alexandri M." Z. — *ad aedem Felicitatis*] „monumentum L. Mummii, ad quam Praxitelis ex aere pulcherrima signa fuisse tradit Plinius 34, 18." Z. *monumentum Catuli* „est Fortunae huiusce diei, quam vovit Q. Catulus bello Cimbrico. Plutarch. in Mario c. 26." Z. De *porticu Metelli* Macedonici in regione IX. cfr. Plin. 34,

tam elegans, tam elaboratum, quisquam non modo privatus,
sed populus potius haberet, quam homo elegantissimus atque
eruditissimus Verres? Nimirum contra dici nihil potest.
Nostrum enim unusquisque, qui tam beati, quam iste est,
non sumus, tam delicati esse non possumus, si quando ali-
quid istiusmodi videre volet, eat ad aedem Felicitatis, ad
monumentum Catuli, in porticum Metelli; det operam, ut
admittatur in alicuius istorum Tusculanum; spectet forum
ornatum, si quid iste suorum aedilibus commodarit: Verres
haec habeat domi; Verres ornamentis fanorum atque oppi-
dorum habeat plenam domum, villas refertas. Etiamne huius
operarii studia ac delicias, iudices, perferetis? qui ita natus,
ita educatus est, ita factus et animo et corpore, ut multo
appositior ad ferenda, quam ad auferenda signa esse videa-
tur. Atque haec Sappho sublata quantum desiderium sui 127
reliquerit, dici vix potest. Nam cum ipsa fuit egregie facta,
tum epigramma Graecum pernobile incisum est in basi, quod
iste eruditus homo et Graeculus, qui haec subtiliter iudicat,
qui solus intelligit, si unam litteram Graecam scisset, † certe
non sustulisset. Nunc enim, quod scriptum est inani in
basi, declarat, quid fuerit, et id ablatum indicat.

Quid? signum Paeanis ex aede Aesculapii praeclare
factum, sacrum ac religiosum, non sustulisti? quod omnes
propter pulchritudinem visere, propter religionem colere
solebant. Quid? ex aede Liberi simulacrum Aristaei non 128
tuo imperio palam ablatum est? Quid? ex aede Iovis reli-

---

14. — *ornamentis*] Reg. Leid., omnes Codd. meliores *ornamentum*. Estne hoc quoque antiquioris sermonis pro *ornamentorum?*

§ 127. *epigramma*] „Nihil impedire videtur, quin sit quod Platonis nomen gerit Anal. Brunckii T. I. p. 171. *Ἐννέα τὰς Μούσας φασίν τινες· ὡς ὀλιγώρως! ἠνίδε καὶ Σαπφὼ Λεσβόθεν ἡ δεκάτη.*" Z. — *certe non*] Sic corrupte Reg. Leid. Zumptius cum Herelio: *certe una*, sententia utique apta. — *Paeanis*] „Paeanem Latini malunt quam *Paeonem*." Z.

§ 128. *Ζεὺς Οὔριος*, dator *εὐπλοίας*, ab *οὖρος*, *ventus secundus*. „Coniicio Iovem *Imperatorem* more antiquitus tradito a Romanis vocatum esse eum, qui itineris sive expeditionis faustae dux esset." Z. — *parvum*] Guelf. I. Cratand. Z. *parium* Leid. *parinum* Reg. Sgall. Sed, ut concedam Zumptio *parium* h. l. non quadrare, *parvum* tamen satis infinitum est adeoque de vera lectione ampliandum videtur cum Madvigio Diss. Verr. II. p. 21. — *num dubitasti*] Ascens. 1531, Z.

giosissimum simulacrum Iovis Imperatoris, quem Graeci Urion nominant, pulcherrime factum, nonne abstulisti? Quid? ex aede Liberae † parvum caput illud pulcherrimum, quod visere solebamus, num dubitasti tollere? Atque ille Paean sacrificiis anniversariis simul cum Aesculapio apud illos colebatur: Aristaeus, qui, [ut Graeci ferunt, Liberi filius], inventor olei esse dicitur, una cum Libero patre apud illos eodem erat in templo consecratus:

129 LVIII. Iovem autem Imperatorem quanto honore in suo templo fuisse arbitramini? Coniicere potestis, si recordari volueritis, quanta religione fuerit eadem specie ac forma signum illud, quod ex Macedonia captum in Capitolio posuerat Flamininus. Etenim tria ferebantur in orbe terrarum signa Iovis Imperatoris uno in genere pulcherrime facta: unum illud Macedonicum, quod in Capitolio vidimus: alterum in Ponti ore et angustiis: tertium, quod Syracusis ante Verrem praetorem fuit. Illud Flamininus ita ex aede sua sustulit, ut in Capitolio, hoc est, in terrestri domicilio Iovis,

130 poneret. Quod autem est ad introitum Ponti, id, cum tam multa ex illo mari bella emerserint, tam multa porro in Pontum invecta sint, usque ad hanc diem integrum inviolatumque servatum est. Hoc tertium, quod erat Syra-

---

Codd. meliores *non dub.* Cod. Sgall., ut Beckius, *dubitasti tollere?* — [*ut Graeci ferunt, Liberi filius*] Maxime haec propter v. *dicitur*, quod minime congruit cum vv. *ut Gr. ferunt*, Ernestio et Zumptio subditicia visa sunt. Contra σφάλμα μνημονικὸν esse putat Broendstaedt *Reise* 1, p. 44., eo magis quod ipse Cicero *Nat. Deor.* 3, 18. recte eundem Apollinis filium appellet. Similes errores alibi sane commisit, ut in hac ipsa oratione § 123 et ad Fam. 1, 10. *illo si veneris, tamquam Ulixes cognosces tuorum neminem.* Ibid. 5, 12. *Themistocli fuga redituque.* Tuscul. 4, 22. *Hectorem, quemadmodum est apud Homerum, toto pectore trementem.* Immo hoc ipso loco *T. Quintium Flamininum*, qui Philippum regem apud Cynoscephalas in Thessalia vicit a. u. c. 557. confudisse videtur cum *T. Quintio Cincinnato*, quem Livius 6, 29. a. u. c. 375. signum Iovis Imperatoris Praeneste capto devectum in Capitolium tulisse atque inter cellam Iovis et Minervae dedicasse tradit. cfr. Zumptium. — *vidimus*] Ed. Mediol. 1498, quia deflagraverat Capitolium annis ante XIV. Z. *videmus* Reg. Leid. Sgall. — *in Ponti ore*] „in agro Chalcedonico.“ Z.

§ 130. *viderat*] adeoque auferre poterat, nec tamen ea cupiditate tactus est. Moneo propter Herelium coniicientem *reliquerat.* Equidem malim *viserat.* — *Marcellum*] Reg. *M. Marcellum* Z.

cusis, quod M. Marcellus armatus et victor viderat, quod religioni concesserat, quod cives atque incolae Syracusani colere, advenae non solum visere, verum etiam venerari solebant, id Verres ex templo Iovis sustulit. Ut saepius ad 131
Marcellum revertar, iudices, sic habetote: plures esse a Syracusanis istius adventu deos, quam victoria Marcelli homines desideratos. Etenim ille requisisse etiam dicitur Archimedem illum, summo ingenio hominem ac disciplina, quem cum audisset interfectum, permoleste tulisse: iste omnia, quae requisivit, non ut conservaret, verum ut asportaret, requisivit.

LIX. Iam illa, quae leviora videbuntur, ideo praeteribo: quod mensas Delphicas e marmore, crateras ex aere pulcherrimas, vim maximam vasorum Corinthiorum ex omnibus aedibus sacris abstulit Syracusis. Itaque, iudices, ii, 132
qui hospites ad ea, quae visenda sunt, solent ducere et unumquidque ostendere, quos illi mystagogos vocant, conversam iam habent demonstrationem suam. Nam, ut ante demonstrabant, quid ubique esset, item nunc, quid undique ablatum *sit*, ostendunt.

Quid tum? mediocrine tandem dolore eos affectos esse arbitramini? Non ita est, iudices: primum, quod omnes religione moventur et deos patrios, quos a maioribus acceperunt, colendos sibi diligenter et retinendos esse arbitrantur: deinde hic ornatus, haec opera atque artificia, signa, tabulae pictae, Graecos homines nimio opere delectant. Itaque ex illorum querimoniis intelligere possumus, haec illis acerbissima videri, quae forsitan nobis levia et contemnenda esse videantur. Mihi credite, iudices, (tametsi vosmet ipsos haec eadem audire certo scio,) cum multas acceperint per hosce annos socii atque exterae nationes calamitates et iniurias, nullas Graeci homines gravius ferunt ac tulerunt, quam huiuscemodi spoliationes fanorum atque oppidorum. Licet iste dicat emisse se, sicuti solet dicere: credite hoc 133

---

§ 131. *mensas Delphicas*] „appellatas a similitudine eius, cui insidens sacerdos Pythia oracula fundebat, Romanis pro abacis fuisse ostendit Martialis 12, 67. *Argentum atque aurum non simplex Delphica portat.*“ *Z.*

§ 132. *ii*] Reg. *hi* Leid. *Z.*

mihi, iudices: nulla unquam civitas tota Asia et Graecia signum ullum, tabulam pictam, ullum denique ornamentum urbis, sua voluntate cuiquam vendidit. Nisi forte existimatis, posteaquam iudicia severa Romae fieri desierunt, Graecos homines haec venditare coepisse, quae tum non modo non venditabant, cum iudicia fiebant, verum etiam coëmebant: aut nisi arbitramini, L. Crasso, Q. Scaevolae, C. Claudio, potentissimis hominibus, quorum aedilitates ornatissimas vidimus, commercium istarum rerum cum Graecis hominibus non fuisse; iis, qui post iudiciorum dissolutionem aediles facti sunt, fuisse.

134 LX. Acerbiorem etiam scitote esse civitatibus falsam istam et simulatam emptionem, quam si quis clam surripiat aut eripiat palam atque auferat. Nam turpitudinem summam esse arbitrantur referri in tabulas publicas pretio adductam civitatem, et pretio parvo, ea, quae accepisset a maioribus, vendidisse atque abalienasse. Etenim mirandum in modum Graeci rebus istis, quas nos contemnimus, delectantur. Itaque maiores nostri facile patiebantur haec esse apud illos quam plurima; apud socios, ut imperio nostro quam ornatissimi florentissimique essent: apud eos autem, quos vectigales aut stipendiarios fecerant, tamen haec relinquebant, ut illi, quibus haec iucunda sunt, quae nobis levia videntur, haberent haec oblectamenta et solatia
135 servitutis. Quid arbitramini Rheginos, qui iam cives Romani

---

§ 134. *in tabulas publicas*] Reg. *in tabulas* Leid. *Z.* — *quas nos contemnimus*] Quamquam *nos* abest a Reg. Leid. (*Z.*) absorptum potius videtur a litt. *uas* quam consulto a Cic. omissum. — *haec esse apud illos quam plurima; apud socios, ut*] Reg., cuius lectionis veritatem agnovit Madvig. v. *illos* significat Graecos omnes; hi in tria genera dividuntur, *socios*, quales erant Atheñienses, Rhodii, reliquae, quas vocabant, liberae civitates; et *vectigales* aut *stipendiarios*, quales Siculorum plerique. — *haec esse apud illos quam plurima, ut* Z. coni. *haec esse quam plurima apud socios, ut* Sgall. Ern. Cfr. Madvig. Diss. Verr. II. p. 20.

§ 135. *merere*] „pretii ac mercedis loco accipere. de Nat. D. 1, 24. *quid enim mereas, ut Epicureus esse desinas?* de Fin. 2, 22. *quid merearis igitur, ut te dicas - - omnia voluptatis causa facturum esse?*" *Z.* — *Satyrum*] „heroa indigetem, unde Tarentum *Satyrium* vel *Saturium* vocatur apud Virg. Ge. 2, 197; quod nunc fere *saturum Tarentum* pro pingui explicant." *Z.* — *Cnidios*] Plin. H. N. 36, 4. *Opera Praxitelis sunt Athenis in Ceramico; sed ante omnia, et non solum Praxitelis,*

sunt, merere velle, ut ab iis marmorea Venus illa auferatur? quid Tarentinos, ut Europam in tauro amittant? ut Satyrum, qui apud illos in aede Vestae est? ut cetera? quid Thespienses, ut Cupidinis signum, propter quod unum visuntur Thespiae? quid Cnidios, ut Venerem marmoream? quid, ut pictam, Coos? quid Ephesios, ut Alexandrum? quid Cyzicenos, ut Aiacem, aut Medeam? quid Rhodios, ut Ialysum? quid Athenienses, ut ex marmore Iacchum aut Paralum pictum aut ex aere Myronis buculam? Longum est et non necessarium commemorare, quae apud quosque visenda sunt tota Asia et Graecia: verum illud est, quamobrem haec commemorem, quod existimare vos hoc volo, mirum quendam dolorem accipere eos, ex quorum urbibus haec auferantur.

LXI. Atque, ut ceteros omittamus, de ipsis Syracu- 136
sanis cognoscite. Ad quos ego cum venissem, sic primum existimabam, ut Romae ex istius amicis acceperam, civitatem Syracusanam propter Heraclii hereditatem non minus esse isti amicam, quam Mamertinam propter praedarum ac furtorum omnium societatem: simul et verebar, ne mulierum nobilium et formosarum gratia, quarum iste arbitrio per triennium praeturam gesserat, virorumque, quibuscum illae nuptae erant, nimia istum non modo lenitudine, sed etiam liberalitate oppugnarer, si quid ex litteris Syracusanorum conquirerem. Itaque Syracusis cum civibus Romanis 137

---

verum et in toto orbe terrarum, Venus, quam ut viderent, multi navigaverunt Cnidum. — *pictum*] „civis sui Apellis, τὴν Ἀναδυομένην. cfr. Plin. 35, 10. Ibidem de Alexandri τοῦ κεραυνοφόρου in templo Dianae Ephesiae imagine.“ *Z.* — *Aiacem aut Medeam*] Z. Timomachi pictoris fuisse putat, qui vixerit circa a. u. c. 655. — *Ialysum*] „heroem indigetem. Plin. H. N. 35, 10, 36. *Protogenis tabularum palmam habet Ialysus; qui est Romae dicatus in templo Pacis.* Eiusdem est Athenis *Paralus*, heros, *qui traditur a nonnullis longas naves invenisse, unde ab eo dicta* ἡ πάραλος *Atheniensium.*“ *Z.*

§ 136. Heraclio, nobili Syracusano, hereditas facile ad HS. triciens venerat testamento propinqui sui Heraclii; quam Verres iniquo iudicio cum maximo suo lucro adiudicandam curavit palaestritis Syracusanis. Act. 2, 14. — *virorum*] Cleomenis et Aeschrionis. v. ibid.

§ 137. *exquirebam*] Reg. Leid. Ascens. 1531. *Z.* i. e. perscrutabar, examinabam. *exscribebam* Manut. Ern. — L. Carpinatius in scriptura Siciliae pro ma-

eram: eorum tabulas exquirebam, iniurias cognoscebam: cum diutius in negotio curaque fueram, ut requiescerem curamque animi remitterem, ad Carpinatii praeclaras tabulas revertebar; ubi cum equitibus Romanis, hominibus ex illo conventu honestissimis, illius Verrucios, de quibus ante dixi, explicabam: a Syracusanis prorsus nihil adiumenti neque publice neque privatim expectabam: neque erat in animo postulare. Cum haec agerem, repente ad me venit Heraclius, is qui tum magistratum Syracusis habebat, homo nobilis, qui sacerdos Iovis fuisset, qui honos est apud Syracusanos amplissimus. Agit mecum et cum fratre meo, ut, si nobis videretur, adiremus ad eorum senatum: frequentes esse in curia: se iussu senatus a nobis petere, ut veniremus.
138 Primo nobis fuit dubium, quid ageremus: deinde cito venit in mentem, non esse vitandum illum nobis conventum et locum.

LXII. Itaque in curiam venimus. Honorifice sane consurgitur: nos rogatu magistratus assedimus. Incipit is loqui, qui et auctoritate et aetate et, ut mihi visum est, usu rerum antecedebat, Diodorus Timarchidi; cuius omnis oratio hanc habuit primo sententiam: senatum et populum Syracusanum moleste graviterque ferre, quod ego, cum in ceteris Siciliae civitatibus senatum populumque docuissem, quid iis utilitatis, quid salutis afferrem, et cum ab omnibus mandata, legatos, litteras testimoniaque sumpsissem, in illa civitate nihil eiusmodi facerem. Respondi, neque Romae in conventu Siculorum, cum a me auxilium communi omnium

---

gistro, improbus Verris assecla. Act. 2, 70. In tabulis autem falsis C. Verrucii, qui nunquam in vivis fuerat, fictum nomen Verris nomini substituerat, ibid. 76. Ceterum Reg. Leid. *ad Carpinatium praeclaras tabulas*, quod sane per appositionem explicari nequit. Fuitne *Carpinati* (genit. antiq.) *iam pr. t.*? — *illius Verrucios*] i. e. a Carpinatio fictos. Sic egregie Reg. Leid. ceterique meliores. *illos Verr.* Sgall. *Z.* — *magistratum*] proagorum vocabant. Cfr. c. 23. *Syracusis lex est de religione, quae in annos singulos Iovis sacerdotem* (ἀμφίπολον) *sortito capi iubeat, quod apud illos amplissimum sacerdotium putatur.* Act. 2, 51. — *fratre*] patrueli, Lucio.

§ 138. *Diodorus Timarchidi*] filius. Sic Reg. Leid. *Z. Diod. Timarchides* Ern. Sed inaudito modo duo nomina Graeca sic iungerentur; alia ratio est *Cornelii Apollodori*, *Pompeii Basilisci* cet.

legationum consilio petebatur, causaque totius provinciae ad me deferebatur, legatos Syracusanorum affuisse: neque me postulare, ut quicquam contra C. Verrem decerneretur in ea curia, in qua inauratam C. Verris statuam viderem.
Quod posteaquam dixi, tantus est gemitus factus aspectu 139
statuae et commemoratione, ut illud in curia positum monumentum scelerum, non beneficiorum videretur. Tum pro se quisque, quantum dicendo assequi poterat, docere me coepit ea, quae paulo ante commemoravi: spoliatam urbem, fana direpta: de Heraclii hereditate, quam palaestritis concessisset, multo maximam partem ipsum abstulisse: neque postulandum fuisse, ut ille palaestritas diligeret, qui etiam inventorem olei deum sustulisset: neque illam statuam esse ex pecunia publica neque publice datam, sed eos, qui hereditatis diripiendae participes fuissent, faciendam statuendamque curasse: eosdem Romae fuisse legatos, illius adiutores improbitatis, socios furtorum, conscios flagitiorum: eo minus mirari me oportere, si illi communi legatorum voluntati et saluti Siciliae defuissent.

LXIII. Ubi eorum dolorem ex istius iniuriis non modo 140
non minorem, sed prope maiorem, quam Siculorum ceterorum esse cognovi, tum meum animum in illos, tum mei consilii negotiique totius suscepti causam rationemque proposui, tum eos hortatus sum, ut causae communi salutique ne deessent; ut illam laudationem, quam se vi ac metu coactos paucis illis diebus decresse dicebant, tollerent. Itaque, iudices, Syracusani haec faciunt, istius clientes atque amici. Primum mihi litteras publicas, quas in aerario sanctiore conditas habebant, proferunt: in quibus ostendunt omnia, quae dixi ablata esse, perscripta, et plura etiam, quam ego potui dicere: perscripta autem hoc modo, *quod ex aede Minervae hoc et illud abesset, quod ex aede Iovis, quod ex aede Liberi*: ut quisque iis rebus tuendis conservandisque praefuerat, ita perscriptum erat, cum ratio-

§ 140. *Siculorum ceterorum*] Reg. Leid. *cet. Sic.* Ern. *Z.* *tuendis conservandisque*] Retinui hanc lectionem familiae deterioris, quia Reg. *tuendisque*, ut § 23., arguit excidisse alterum verbum formulae usitatae. *tuendis* e suis Codd. *Z.* — *e lege*] i. e. quem ICti nunc dicunt *contractum*. *Z.*

nem e lege redderent et quae acceperant, tradere deberent, petisse, ut sibi, quod eae res abessent, ignosceretur: itaque omnes liberatos discessisse et esse ignotum omnibus: quas ego litteras obsignandas publico signo deportandasque curavi.

141 De laudatione autem ratio sic mihi reddita est. Primum cum a C. Verre litterae aliquanto ante adventum meum de laudatione venissent, nihil esse decretum: deinde, cum quidam ex illius amicis commonerent oportere decerni, maximo clamore esse et convicio repudiatos: posteaquam meus adventus appropinquaret, imperasse eum, qui summam potestatem haberet, ut decernerent: decretum ita esse, ut multo plus illi laudatio mali quam boni posset afferre. Id adeo, iudices, ut mihi ab illis demonstratum est, sic vos ex me cognoscite.

142 LXIV. Mos est Syracusis, ut, si qua de re ad senatum referatur, dicat sententiam, qui velit: nominatim nemo rogatur; et tamen, ut quisque aetate et honore antecedit, ita primus solet sua sponte dicere, itaque a ceteris ei conceditur: sin aliquando tacent omnes, tum sortito coguntur dicere. Cum hic mos esset, refertur ad senatum de laudatione Verris. In quo primum, ut aliquid esset morae, multi interpellant: de Sex. Peducaeo, qui de illa civitate totaque provincia optime meritus esset, sese antea, cum audissent, ei negotium facessitum, cumque eum publice pro plurimis eius et maximis meritis laudare cuperent, a C. Verre prohibitos esse: iniquum esse, tametsi Peducaeus eorum lauda-

---

§ 141. *appropinquaret*] Reg. Leid. *Z.* „Puta in directa oratione esse *postquam appropinquabat*, i. e. cum cotidie adventus meus expectaretur. Ern. *appropinquarit.*“ *Z.* — *potestatem haberet*] praetorem, L. Metellum. — *posset*] *possit* Grut., id quod etiam nuper suum defensorem nactum est. Sed *posset* significat, illud iam tum, cum decernerent, Syracusanorum fuisse consilium, ut laudatio ista, sicubi in iudicio aliquando proferretur, Verri noceret potius, quam defensioni esset.

§ 142. *itaque*] Reg. Leid. *idque* Sgall. *Z.* Multa huius Cic. consuetudinis exempla collegit Madvig. Ep. p. 85. v. c. Tusc. 1, 30, 72. *ita enim censebat itaque disseruit.* — *Sex. Peducaeo*] Sic scriptum vidi etiam in Inscriptt. Aliae tamen, ut Codd. multi, *Peduceo.* „Pro praetore eum fuisse constat in Sicilia annis u. c. 678 et 679, quorum annorum priore Cicerone usus est quaestore.“ *Z.* — *tum*] Reg. *tunc Z.*

tione iam non uteretur, tamen non id prius decernere, quod aliquando voluissent, quam quod tum cogerentur. Concla- 143
mant omnes et approbant, ita fieri oportere. Refertur de Peducaeo. Ut quisque aetate et honore antecedebat, ita sententiam dixit ex ordine. Id adeo ex ipso senatus consulto cognoscite: nam principum sententiae perscribi solent. Recita. *Quod verba facta sunt de Sex. Peducaeo.* Dicit, qui primi suaserint. Decernitur. Refertur deinde de Verre. Dic, quaeso, quomodo. *Quod verba facta sunt de C. Verre.* Quid postea scriptum est? *Cum surgeret nemo neque sententiam diceret* — Quid est hoc? *sors ducitur.* Quamobrem? nemo erat voluntarius laudator praeturae tuae, defensor periculorum, praesertim cum inire a praetore gratiam posset? Nemo. Illi ipsi tui convivae, consiliarii, conscii, socii verbum facere non audent. In qua curia statua tua stabat et nuda filii, in ea nemo fuit, ne quem nudus quidem filius nudata provincia commoveret. Atque etiam 144
hoc me docent, † eiusmodi fecisse senatus consultum laudationis, ut omnes intelligere possent non laudationem, sed potius irrisionem esse illam, quae commonefaceret istius

---

§ 143. *ne quem*] Reg. Leid. Sgall. „*ne - quidem* post *nemo* in eadem sententia non novam habet negationem, sed eam, quae in v. *nemo* inest, acuit. Madvig. *quem ne* Naug. *Z.* — *nudata provincia*] Reg. casu scil. sexto. *et nudata provincia* Guelf. 1. *Z.* *in nuda provincia* Ern. De ioco ipso cfr. Editionem meam maiorem.

§ 144. *eiusmodi senatus consultum fecisse laudationis*] Sic corrupte Reg. Leid.; in quo Zumptius correxit *fuisse.* Sed cum eo ipso tempore laudatio recitaretur Ciceroni, senatores dicere minime poterant eiusmodi *fuisse* laudationem, sed *factam esse*, ut statim bis *scriptum esse*, vel simpliciter *esse.* Defendi quidem potest, difficulter tamen, *senatus consultum laudationis*, utpote quod abhorreat a Cic. consuetudine. *Senatusconsulto sese fuisse laudationem* Ascens., in quo puto latere: *eiusmodi senatum consulto* (prudenter) *fecisse laudationem.* Vv. *senatum consulto* quam facile in *senatusconsulto* et *senatusconsultum* transire potuerint, neminem fugit. Mox Schuetzius, ut alibi solet Cic., *commonefaceret istius turpis calamitosaeque praeturae.* Nimis utique violenter. Contra Madvig. Ep. p. 86. excidisse nonnulla arbitratus, adscitis vv. Reg. Leid. *cuiusmodi constat*, sic fere leg. censet: *quae commonefaceret istius turpem calamitosamque praeturam* fuisse, *cuiusmodi fuisse constat. Etenim* cet. — *constat esse consumptas; cuiusmodi, constat*] Reg. Leid. Omnes Codd. meliores; volgo (etiam a *Z.*) omittuntur v. *cuiusmodi constat.* Sed, nisi forte probamus Madvigii rationem, est: „cuiusmodi stupris, scil. quam maxime pudendis, id quoque constat.“

turpem calamitosamque praeturam. Etenim scriptum esse ita, *quod is virgis neminem cecidisset:* a quo cognostis nobilissimos homines atque innocentissimos securi esse percussos: *quod vigilanter provinciam administrasset:* cuius omnes vigilias in stupris constat esse consumptas; cuiusmodi, constat. Hoc vero scriptum esse, quod proferre non auderet reus, accusator recitare non desineret, *quod praedones procul ab insula Sicilia prohibuisset Verres:* quos etiam intra Syracusanam insulam recepisset.

145 Haec posteaquam ex illis cognovi, discessi cum fratre e curia, ut, nobis absentibus, si quid vellent, decernerent.

LXV. Decernunt statim primum, *ut cum fratre L. hospitium publice fieret*, quod is eandem voluntatem erga Syracusanos suscepisset, quam ego semper habuissem. Id non modo tum scripserunt, verum etiam in aere incisum nobis tradiderunt. Valde hercule te Syracusani tui, quos crebro commemorare soles, diligunt: qui cum accusatore tuo satis iustam causam coniungendae necessitudinis putant, quod te accusaturus sit et quod inquisitum in te venerit. Postea decernitur; ac non varie, sed prope cunctis sententiis, *ut laudatio, quae C. Verri decreta esset, tolleretur.*

146 In eo, cum iam non solum discessio facta esset, sed etiam perscriptum atque in tabulas relatum, praetor appellatur. At quis appellat? Magistratus aliquis? Nemo. Senator? Ne id quidem. Syracusanorum aliquis? Minime. Quis igitur praetorem appellat? Qui quaestor istius fuerat, P. Caesetius.

---

§ 146. *In eo, cum*] Reg. Leid. Z. pro volgato *At vero; cum;* quod ex eo ortum est, quod parum intelligebant, quid esset *in aliquo aliquem appellare. über etwas an einen appelliren.* Sic plane § 149. *negare illud esse S. C., in quo praetor appellatus esset.* — *praetor appellatur*] Qui aderat, L. Metellus. Appellatur autem, ne laudationem illam tolli sinat. MAN. — *P. Caesetius*] Cum Reg. exhibeat *C. Caesetius*, Leid. *S. Caesetius*, manifestum est h. l. praenomen a Cicerone omissum non esse: verum autem *P.* extat Act. 5, 25., unde reposui. — Madvigius Ep. p. 88. et Diss. Verr. II. p. 22. ita, ut iam est in Ascens. 1531 et Ed. Aldi nepotis interpungendum intellexit: *.relictum. A magistratu Siculo - - praetorem appellat.* Sic esse etiam pro Quintio c. 20. *a praetore tribunos appellare: a magistratu* autem *Siculo* esse, ab eo, qui senatum habuerit (quem volgo *praesidem senatus* appellant.) Volgo, etiam Z. *relictum a magistratu Siculo! Ne senatus consultum* cet.

O rem ridiculam! o desertum hominem, desperatum, relictum! A magistratu Siculo, ne senatus consultum Siculi homines facere possent, ne suum ius suis moribus, suis legibus obtinere possent, non amicus istius, non hospes, non denique aliquis Siculus, sed quaestor populi Rom. praetorem appellat. Quis hoc vidit? quis audivit? Praetor aequus et sapiens dimitti iubet senatum. Concurrit ad me maxima multitudo. Primum senatores clamare, sibi eripi ius, eripi libertatem: populus senatum laudare, gratias agere: cives Romani a me nusquam discedere. Quo quidem die nihil aegrius factum est, multo labore meo, quam ut manus ab illo appellatore abstinerentur. Cum ad praetorem in ius 147
adissemus, excogitat sane acute quid decernat. Nam antequam verbum facerem, de sella surrexit atque abiit. Itaque tum de foro, cum iam advesperasceret, discessimus.

LXVI. Postridie mane ab eo postulo, ut Syracusanis liceret senatus consultum, quod pridie fecissent, mihi reddere. Ille enimvero negat: et ait, indignum facinus esse, quod ego in senatu Graeco verba fecissem: quod quidem apud Graecos Graece locutus essem, id ferri nullo modo posse. Respondi homini, ut potui, ut debui, ut volui. Tum multa, tum etiam hoc me memini dicere, facile esse perspicuum, quantum inter hunc et illum Numidicum, verum ac germanum Metellum, interesset: illum noluisse sua laudatione iuvare L. Lucullum, sororis virum, quicum optime convenisset; hunc homini alienissimo a civitatibus laudationes per vim et metum comparare. Quodubi intellexi, mul- 148
tum apud illum recentes nuntios, multum tabellas non com-

---

§ 147. *L. Lucullum*] „Pontici patrem, a Servilio augure, *κλοπῆς* (peculatus), ut Plutarchus ait in Luculli Pontici vita init., et accusatum et damnatum.“ Z.

§ 148. *tributarias*] quae Metello tributum i. e. munera promitterent. Act. 2, 26. *Letitius quidam -- epistolas complures attulerat* Metello; *in his unam domo* (a Q. et M. Metellis Lucii fratribus) *quae totum immutarat hominem.* — *perscripserant*] Syracusani senatus consultum perscribendum curaverant. Sic Reg. Leid. *perscripta erant* Sgall. Z. cfr. Madvig. Diss. Verr. II. p. 22. — *Theomnastus quidam*] „Non *quidam*, sed homo nobilis haud dubie, utpote qui sacerdos Iovis fuisset; verum quomodo factus sit, vide lib. 2, 51. Eum frigido ioco, quapropter Syracusanis tribuitur, Theoractum, *Θεόῤῥηκτον*, a deo furore perculsum, appellat.“ Z.

mendaticias, sed tributarias valuisse, admonitu Syracusanorum ipsorum impetum in eas tabulas facio, in quibus S. C. perscripserant. Ecce autem nova turba atque rixa, ne tamen istum omnino Syracusis sine amicis, sine hospitibus, plane nudum esse ac desertum putetis. Retinere incipit tabulas Theomnastus quidam, homo ridicule insanus, quem Syracusani Theoractum vocant; qui illic eiusmodi est, ut eum pueri sectentur, ut omnes, cum loqui coepit, irrideant. Huius tamen insania, quae ridicula est aliis, mihi tum molesta sane fuit: nam cum spumas ageret in ore, oculis arderet, voce maxima vim me sibi afferre clamaret, copu-
149 lati in ius pervenimus. Hic ego postulare coepi, ut mihi tabulas obsignare ac deportare liceret. Ille contra dicere; negare, esse illud S. C., in quo praetor appellatus esset; negare, id mihi tradi oportere. Ego legem recitare, omnium mihi tabularum et litterarum fieri potestatem. Ille furiosus urgere, nihil ad se nostras leges pertinere. Praetor intelligens negare sibi placere, quod senatus consultum ratum esse non deberet, id me Romam deportare. Quid multa? nisi vehementius homini minatus essem, nisi legis sanctionem poenamque recitassem, tabularum mihi potestas facta non esset. Ille autem insanus, qui pro isto vehementissime contra me declamasset, postquam non impetravit, credo, ut in gratiam mecum rediret, libellum mihi dat, in quo istius furta Syracusana perscripta erant: quae ego antea iam ab illis cognoram et acceperam.

150 LXVII. Laudent te iam sane Mamertini, quoniam ex

---

§ 149. *contra dicere*] Apud Cic. divise scribendum. *contradicere* Z. — *negare* cet.] negare illud pro vero ac rato S. C. habendum esse, in quo, (propter quod factum) praetor appellatus esset. — *legis*] Reg. Leid. Z. „illius ipsius, quam sese antea eiusdem rei causa recitasse dixerat." Z. *legum* Ern. *Legum eas partes, quibus poenas constituimus adversus eos, qui contra leges fecerint, sanctiones vocamus.* Iustinian. lib. Institutt. 2, t. 1. § 8. Hot. Huius generis sanctiones inveniuntur etiam in sepulchrorum inscriptionibus: Inscr. mear. Lat. N. 4425. *Quod si quis id monimentum partemve eius vendere quis volet vel donationis causa cui mancipare voluerit aliove quo nomine eius monimenti partem alienare temptaverit, dare damnas esto aerario populi Romani S-H. XV. M. N. et collegio Pontificum S-H. XV. M. N. et emptor et venditor.* Diversi generis sanctiones sunt eae, de quibus disseruit Klenze in Fragm. legis Serviliae p. 94., his fere verbis conceptae: *Si quid sacri sanctique est, quod ius non sit rogarier, eius hac lege nihilum rogatur* cet.

§ 150. *ab iis*] Sic Reg. Leid. *ab his* Z.

tota provincia soli sunt, qui te salvum velint: ita tamen laudent, ut Heius, qui princeps legationis est, adsit: ita laudent, ut ad ea, quae rogati erunt, mihi parati sint respondere. Ac ne subito a me opprimantur, haec sum rogaturus: *Navem populo Romano debeantne?* fatebuntur: *praebuerintne, praetore C. Verre?* negabunt: *aedificarintne navem onerariam maximam publice, quam Verri ded runt?* negare non poterunt: *frumentum ab iis sumpseritne C. Verres, quod populo Romano mitteret, sicuti superiores?* negabunt: *quid militum aut nautarum per triennium dederint?* nullum datum dicent. Fuisse Messanam omnium istius furtorum ac praedarum receptricem, negare non poterunt: permulta multis navibus illinc exportata: hanc navem denique maximam a Mamertinis datam, onustam cum isto profectam fatebuntur. Quamobrem tibi habe sane istam 151
laudationem Mamertinorum: Syracusanam quidem civitatem, ut abs te affecta est, ita in te esse animatam videmus: apud quos etiam Verria illa flagitiosa sublata sunt. Etenim minime conveniebat, ei deorum honores haberi, qui simulacra deorum abstulisset. Etiam hercule illud in Syracusanis merito reprehenderetur, si, cum diem festum ludorum de fastis suis sustulissent celeberrimum et sanctissimum, quod eo ipso die Syracusae a Marcello captae esse dicuntur, iidem diem festum Verris nomine agerent, cum iste a Syracusanis, quae ille calamitosus dies reliquerat, ademisset. At videte hominis inpudentiam atque arrogantiam, iudices, qui non solum Verria haec turpia ac ridicula ex Heraclii pecunia constituerit, verum etiam Marcellia tolli imperarit, ut ei sacra facerent quotannis, cuius opera omnium annorum sacra deosque patrios amiserant; eius autem familiae dies festos tollerent, per quam ceteros quoque festos dies recuperarant.

M. TULLII CICERONIS
ORATIO
PRO A. CAECINA.

MONITUM.

In hac oratione, quae interdum in nostra Academia in usum adolescentium iuris prudentiae operam dantium ab antecessoribus nostris explicatur, id mihi proposui, ut e Palimpsesto Taurinensi, Cod. Erfurtensi, Klotzii Emendatt. Tullianis. Lipsiae 1832., et Iordani Specimine. Halberstadii 1834. inspectis etiam Pantagathi lectionibus in fine Ed. meae Orationum maioris priorem meam recognitionem denuo emendarem.

ARGUMENTUM.

M. Fulcinius Tarquiniensis Caesenniae uxori moriens usumfructum bonorum suorum legaverat, ut frueretur una cum filio herede instituto. Filio mortuo et auctione bonorum instituta fundum emere ex illis bonis de amicorum sententia constituit. Negotium dat Sex. Aebutio, cui fundus emptus Caesenniae pecunia fuit addictus. Caesennia post nupsit A. Caecinae, et moriens eum heredem fecit. Quo facto Aebutius hunc fundum suum esse dixit; sua se sibi pecunia emisse: quod ex argentarii tabulis demonstrabat, qui auctioni interfuerat. Adiiciebat praeterea, Caecinam ut Volaterranum non posse heredem esse Caesenniae, quia Volaterranis a Sulla civitas adempta esset. Con-

stituunt igitur, qua die in rem praesentem venirent, ut Caecina moribus, vi de fundo deductus interdictum a praetore postularet. Sed Aebutius Caecinam fundum ingredi conantem armatis hominibus aditu prohibuit. Hinc Caecina interdictum a praetore Dolabella impetravit de vi, armatis hominibus, *ut, unde deiectus esset, eo restitueretur. Aebutius* restituisse *se dixit, h. e., non vi deiecisse, ut restitutione opus non esset. Ostendit igitur Cicero, Caecinam vere de fundo esse deiectum et vim vere illi esse factam, pariterque illud de Sullana lege convellit.*

I. Si, quantum in agro locisque desertis audacia potest, 1
tantum in foro atque in iudiciis impudentia valeret, non
minus nunc in causa cederet A. Caecina Sex. Aebutii impudentiae, quam tum in vi facienda cessit audaciae. Verum et illud considerati hominis esse putavit, qua de re iure decertari oporteret, armis non contendere, et hoc constantis, quicum vi et armis certare noluisset, eum iure iudicioque superare. Ac mihi quidem cum audax praecipue fuisse 2
videtur Aebutius in convocandis hominibus et armandis, tum impudens in iudicio: non solum quod in iudicium venire ausus est (nam id quidem, tametsi improbe fit in aperta re, tamen malitia est iam usitatum), sed quod non dubitavit id ipsum, quod arguitur, confiteri; nisi forte hoc rationis habuit, quoniam, si facta vis esset moribus, superior in possessione retinenda non fuisset: quia contra ius moremque

---

§ 1. *decertari*] Wunderus non repperit in Erf. lect. Graevio memoratam *deceptari*, ex qua hic scrib. coniecit *disceptari*.

§ 2. *perterritum*] „Propria verbi *proterrere* sedes est in actione pro Caecina, ubi *proterrere* Cic. saepius dixit, *perterrere* verbum notius librarii et editores substituerunt. Sentire rem coeperat Lambinus, sed eam aliorum obruit levitas." Heinrich ad l. l. de Rep. p. 163. *metu perterriti* etiam § 22 et 26. — *a consuetudine*] Erf. Edd. vett.: *e cons.*, cuius constructionis aliud exemplum apud Cic. vix reperitur, cum semper habeat *recedere* aut *ab* aut *de aliqua re.* — *idem possit in iudicio*] Erf. *in iudicio possit idem* O. (i. e. Editio mea maior.)

facta sit, A. Caecinam cum amicis metu perterritum profugisse; nunc quoque in iudicio, si causa more institutoque omnium defendatur, nos inferiores in agendo non futuros: sin a consuetudine recedatur, se, quo impudentius egerit, hoc superiorem discessurum. Quasi vero aut in iudicio possit idem improbitas, quod in vi confidentia; aut nos non eo libentius tum audaciae cesserimus, quo nunc impudentiae
3 facilius obsisteremus. Itaque longe alia ratione, recuperatores, ad agendam causam hac actione venio, atque initio veneram. Tum enim nostrae causae spes erat posita in defensione mea, nunc in confessione adversarii: tum in nostris, nunc vero in illorum testibus: de quibus ego antea laborabam, ne, si improbi essent, falsi aliquid dicerent; si probi existimarentur, quod dixissent, probarent: nunc sum animo aequissimo. Si enim sunt viri boni, me adiuvant, cum id iurati dicunt, quod ego iniuratus insimulo: sin autem minus idonei, me non laedunt: cum, iis sive creditur, creditur hoc ipsum, quod nos arguimus, sive fides non habetur, de adversarii testium fide derogatur.

4 II. Verumtamen cum illorum actionem causae considero, non video, quid impudentius dici possit: cum autem vestram in iudicando dubitationem, vereor, ne id, quod videntur impudenter fecisse, astute et callide fecerint. Nam si negassent, vim hominibus armatis esse factam, facile honestissimis testibus in re perspicua tenerentur: sin confessi essent et id, quod nullo tempore iure fieri potest, tum ab se iure factum esse defenderent, sperarunt, id quod assecuti sunt, se iniecturos vobis causam deliberandi et iudicandi iustam moram ac religionem. Simul illud, quod indignissimum est, futurum arbitrati sunt, ut in hac causa non de improbitate Sex. Aebutii, sed de iure civili iudicium
5 fieri videretur. Qua in re, si mihi esset unius A. Caecinae causa agenda, profiterer satis idoneum esse me defensorem, propterea quod fidem meam diligentiamque praestarem: quae cum sunt in actore causae, nihil est, in re praesertim aperta

---

§ 3. *sin probi* Pantag.
§ 4. *actionem causae*] Erf. *causae actionem* O. — *tum ab*] *tamen ab* Erf.
§ 5. *mihi iure*] Erf. *iure mihi* O.

ac simplici, quod excellens ingenium requiratur. Sed cum de eo mihi iure dicendum sit, quod pertineat ad omnes, quod constitutum sit a maioribus, conservatum usque ad hoc tempus; quo sublato non solum pars aliqua iuris deminuta, sed etiam vis ea, quae iuri maxime est adversaria, iudicio confirmata esse videatur; video summi ingenii causam esse; non, uti demonstretur, quod ante oculos est, sed ne, si quis vobis error in tanta re sit obiectus, omnes potius me arbitrentur causae, quam vos religioni vestrae defuisse.
6 Quamquam ego mihi sic persuadeo, recuperatores, non vos tam propter iuris obscuram dubiamque rationem bis iam de eadem causa dubitasse, quam, quod videtur ad summam illius existimationem hoc iudicium pertinere, moram ad condemnandum anquisisse, simul et illi spatium ad sese colligendum dedisse. Quod quoniam iam in consuetudinem venit, et id viri boni vestri similes in iudicando faciunt, reprehendendum fortasse minus, querendum vero magis etiam videtur; ideo quod omnia iudicia aut distrahendarum controversiarum aut puniendorum maleficiorum causa reperta sunt: quorum alterum levius est, propterea quod et minus laedit et persaepe disceptatore domestico diiudicatur: alterum est vehementissimum, quod et ad graviores res pertinet et non honorariam operam amici, sed severitatem iudicis ac vim
7 requirit. Quod est gravius et cuius rei causa maxime iudicia constituta sunt, id iam mala consuetudine dissolutum est; nam, ut quaeque res est turpissima, sic maxime et maturissime vindicanda est: at eadem, quia existimationis periculum est, tardissime iudicatur.

III. Qui igitur convenit, quae causa fuerit ad constituendum iudicium, eandem moram esse ad iudicandum? Si quis, quod spopondit, qua in re verbo se obligavit uno,

---

§ 6. *anquisisse*] Gulielmius. — *aquisisse* Erf. — *acquisisse* O.

§ 7. *at eadem, quia*] Klotzius e Palimps. *adde eadem haec quin ex stimationis* cum punctis delendi super litt. *de* et *hac* et Erf. *at eadem quae ex.* — *at ea, in qua* O. — *se obligavit uno*] Palimps. *se uno obligavit* O. Quod Palimps. habet: *se obligavit uno si*, id non erat approbandum. Scil. cum orator per *verbum unum* aut *si* aut *ni* intellexisset, quibus in sponsionum formulis utebantur, glossator *si* adscripsit.

id non facit, maturo iudicio sine ulla religione iudicis condemnatur: qui per tutelam aut societatem aut rem mandatam aut fiduciae rationem fraudavit quempiam, in eo quo
8 delictum maius est, eo poena est tardior. „Est enim turpe iudicium.“ Et ex facto quidem turpi. Videte igitur, quam inique accidat, quia res indigna sit, ideo turpem existimationem sequi; quia turpis existimatio sequatur, ideo rem indignam non vindicari. Ac si quis mihi hoc iudex recuperatorve dicat: *Potuisti enim leniore actione confligere: potuisti ad tuum ius faciliore et commodiore iudicio pervenire: quare aut muta actionem, aut noli mihi instare, ut iudicem:* tamen is aut timidior videatur, quam fortem, aut cupidior, quam sapientem iudicem esse aequum est, si aut mihi praescribat, quemadmodum meum ius persequar, aut ipse id, quod ad se delatum sit, non audeat iudicare. Etenim si praetor is, qui iudicia dat, nunquam petitori praestituit, qua actione illum uti velit, videte, quam iniquum sit constituta iam re iudicem, quid agi potuerit aut quid
9 possit, non quid actum sit, quaerere. Verumtamen nimiae vestrae benignitati pareremus, si alia ratione ius nostrum recuperare possemus. Nunc vero quis est, qui aut vim hominibus armatis factam relinqui putet oportere aut eius rei leniorem actionem nobis aliquam demonstrare possit? Ex quo genere peccati, ut illi clamitant, vel iniuriarum vel capitis iudicia constituta sunt, in eo potestis atrocitatem nostram reprehendere, cum videatis nihil aliud actum, nisi possessionem per interdictum esse repetitam?

IV. Verum sive vos existimationis illius periculum sive iuris dubitatio tardiores fecit adhuc ad iudicandum, alterius rei causam vosmet ipsi iam vobis saepius prolato iudicio sustulistis; alterius ego vobis hodierno die causam profecto auferam, ne diutius de controversia nostra ac de communi

---

§ 8. *et ex facto quidem turpi*] Sic Rau Var. lectt. Cic. p. 65. item Iordan. *ex facto quidem turpi* Palimps. O. *et facto quidem turpe* Erf. — *leniore* pro *leviore* recte praetulit Iordan, cum § 9. Palimps. et Erf. habeant *leniorem*.

§ 9. *hominibus armatis*] Palimps. Erf. *armatis hom.* O. — *leniorem*] Palimps. Erf. *leviorem* O.

iure dubitetis. Et, si forte videbor altius initium rei demon- 10
strandae petisse, quam me ratio iuris et ius, de quo iudicium est, et natura causae coëgerit, quaeso ut ignoscatis. Non enim minus laborat A. Caecina, ne summo iure egisse, quam ne certum ius non obtinuisse videatur.

M. Fulcinius fuit, recuperatores, e municipio Tarquiniensi, qui et domi suae cum primis honestus existimatus est et Romae argentariam non ignobilem fecit. Is habuit in matrimonio Caesenniam eodem e municipio summo loco natam et probatissimam feminam, sicut et vivus ipse multis
rebus ostendit et in morte sua testamento declaravit. Huic 11
Caesenniae fundum in agro Tarquiniensi vendidit temporibus illis difficillimae solutionis. Cum uteretur uxoris dote numerata, quo mulieri esset res cautior, curavit, ut in eo fundo dos collocaretur. Aliquanto post iam argentaria dissoluta, Fulcinius huic fundo uxoris continentia quaedam praedia atque adiuncta mercatur. Moritur Fulcinius: (multa enim, quae sunt in re, quia remota sunt a causa, praetermittam;) testamento facit heredem, quem habebat e Caesennia filium: usum et fructum omnium bonorum suorum
Caesenniae legat, ut frueretur una cum filio. Magnus honos 12
viri iucundus mulieri fuisset, si diuturnum esse licuisset; frueretur enim bonis cum eo, quem suis bonis heredem esse cupiebat et ex quo maximum fructum ipsa capiebat. Sed hunc fructum mature fortuna ademit. Nam brevi tempore M. Fulcinius adolescens mortuus est; heredem P. Caesennium fecit; uxori grande pondus argenti matrique partem maiorem bonorum legavit. Itaque in partem mulieres vocatae sunt.

V. Cum esset haec auctio hereditaria constituta, Aebu- 13

---

§ 10. *ratio iuris et ius, de quo*] Erf. Ern. Sic per *et - et* iunguntur tria membra etiam de Fin. 2, 21, 69. *si te ipse et tuas cogitationes et studia perspexeris.* — *ratio iuris eius, de quo* de P. Fabri coni. O. — *ipse multis*] Erf. *multis ipse* O.

§ 11. *difficillimae solutionis*] Oxx., ut volebat Lamb. *solutionis* de gloss. suspectum Manutio. Volgo *difficillimis.* — *uxoris dote*] Erf. *dote uxoris* O. — *usum et fructum*] Erf. Cfr. § 19. *usum fructum* O. ut Topic. § 15 et 17. — *maiorem bonorum*] Erf. *bon. mai.* O.

§ 13. *intro dabat*] Palimps. Erf. *intrudebat* O. Cum utrumque sit ἅπαξ λεγόμενον, Codd. sequendi erant. Videtur e Comico petitum.

tius iste, qui iamdiu Caesenniae viduitate ac solitudine aleretur ac se in eius familiaritatem insinuasset hac ratione, ut cum aliquo suo compendio negotia mulieris, si qua acciderent, controversiasque susciperet, versabatur eo quoque tempore in his rationibus auctionis et partitionis, atque etiam se ipse inferebat et intro dabat et in eam opinionem Caesenniam adducebat, ut mulier imperita nihil putaret agi cal-
14 lide posse, ubi non adesset Aebutius. Quam personam iam e quotidiana vita cognoscitis, recuperatores, mulierum assentatoris, cognitoris viduarum, defensoris nimium litigiosi, contriti ad Regiam, inepti ac stulti inter viros, inter mulieres periti iuris et callidi, hanc personam imponite Aebutio. Is enim Caesenniae fuit Aebutius. Ne forte quaeratis, num propinquus? Nihil alienius. Amicus [aut] a patre aut a viro traditus? Nihil minus. Quis igitur? Ille, ille, quem supra deformavi: voluntarius amicus mulieris, non necessitudine aliqua, sed ficto officio simulataque sedulitate coniunctus, magis opportuna opera nonnumquam quam aliquando fideli.
15 Cum esset, ut dicere institueram, constituta auctio Romae, suadebant amici cognatique Caesenniae, id quod ipsi quoque mulieri veniebat in mentem: quoniam potestas esset emendi fundum illum Fulcinianum, qui fundo eius antiquo continens esset, nullam esse rationem, amittere eiusmodi occasionem; cum ei praesertim pecunia ex partitione deberetur, nusquam posse eam melius collocari. Itaque hoc mulier facere constituit; mandat, ut fundum sibi emat. Cui tandem? cui putatis? an non in mentem vobis venit omnibus, illius hoc munus esse, ad omnia mulieris negotia parati, sine quo nihil satis caute, nihil satis callide posset agi? Recte attenditis.

---

§ 14. *cognovistis* Weiske. *a patre* om. *aut* Palimps. — *contriti ad Regiam*] Palimps. Erf. id est, qui levioribus causis agendis, controversiis suscipiendis, negotiis gerendis implicatus semper versatur ad Regiam in Via sacra; ut recte Iordan explicat. de Orat. 1. § 249. *cum in causis et negotiis et in foro conterimur. conciti ad rixam* O. *Quis igitur? Ille, ille quem*] Palimps. *quis igitur? Ille, quem* O.

§ 15. *veniebat in mentem*] Palimps. Erf. *in mentem veniebat* O. — *cum ei praesertim*] Erf. *cum praes.* O. — *posse eam*] Palimps. Erf. *eam posse* O. — *itaque hoc*] Palimps. *itaque* O. — *vobis venit*] Palimps. *venit* O. — *posset agi*] Palimps. (Erf.) *agi posset* O.

VI. Aebutio negotium datur. Adest ad tabulam. Licetur Aebutius, deterrentur emptores multi, partim gratia Caesenniae, partim etiam pretio; fundus addicitur Aebutio; pecuniam argentario promittit Aebutius; quo testimonio nunc vir optimus utitur, sibi emptum esse; quasi vero aut nos ei negemus addictum, aut tum quisquam fuerit, qui dubitaret, quin emeretur Caesenniae, cum id plerique scirent, omnes fere audissent, hi coniectura assequi possent, cum pecunia Caesenniae ex illa hereditate deberetur, eam porro in praediis collocari maxime expediret, essent autem praedia, quae mulieri maxime convenirent, ea venirent, liceretur is, quem Caesenniae dare operam nemo miraretur, sibi emere nemo 16
posset suspicari. Hac emptione facta pecunia solvitur a 17
Caesennia: cuius rei putat iste rationem reddi non posse, quod ipse tabulas averterit; se autem habere argentarii tabulas, in quibus sibi expensa pecunia lata sit, acceptaque relata; quasi id aliter fieri oportuerit. Cum omnia ita facta essent, quemadmodum nos defendimus, Caesennia fundum possedit locavitque: neque ita multo post A. Caecinae nupsit. Ut in pauca conferam, testamento facto mulier moritur; facit heredem ex deunce et semuncia Caecinam; ex duabus sextulis M. Fulcinium, libertum superioris viri; Aebutio sextulam adspergit. Hanc sextulam illa mercedem isti esse voluit assiduitatis et molestiae, si quam ceperat. Iste autem hac sextula se ansam retinere omnium controversiarum putat.

VII. Iam principio ausus est dicere non posse here- 18
dem esse Caesenniae Caecinam, quod is deteriore iure esset quam ceteri cives propter incommodum Volaterranorum calamitatemque civilem. Itaque homo timidus imperitusque, qui neque animi neque consilii satis haberet, non putavit esse tanti hereditatem, ut de civitate in dubium veniret: concessit, credo, Aebutio, quantum vellet, de Caesenniae bonis ut haberet? Immo, ut viro forti ac sapienti dignum

§ 16. *dubitaret*] Erf. *dubitarit* O. — *hi coniectura*] Quinam isti? Sed cum Erf. habeat *his* c., aliud latet; ut puto *heredes*.

§ 17. *ceperat*] Erf. *susceperat* O.

§ 18. *eius obtrivit*] Erf. *obtrivit* O.

fuit, ita calumniam stultitiamque eius obtrivit ac contudit.
19 In possessione bonorum cum esset et cum ipse sextulam
suam nimium exaggeraret, nomine heredis arbitrum familiae
erciscundae postulavit. Atque illis paucis diebus, postea-
quam videt, nihil se ab A. Caecina posse litium terrore
abradere, homini Romae in foro denuntiat fundum illum,
de quo ante dixi, cuius istum emptorem demonstravi fuisse
mandatu Caesenniae, suum esse seseque sibi emisse. Quid
ais? istius ille fundus est, quem sine ulla controversia qua-
driennium, hoc est, ex quo tempore fundus veniit, quoad
vixit, possedit Caesennia? Usus enim, inquit, fundi et
20 fructus testamento viri fuerat Caesenniae. Cum hoc no-
vae litis genus tam malitiose intenderet, placuit Caecinae
de amicorum sententia, constituere, quo die in rem prae-
sentem veniretur et de fundo Caecina moribus deduceretur.
Colloquuntur: dies ex utriusque commodo sumitur. Cae-
cina cum amicis ad diem venit in castellum Axiam: ex quo
loco fundus is, de quo agitur, non longe abest. Ibi certior
fit a pluribus homines permultos liberos atque servos coë-
gisse et armasse Aebutium. Cum id partim mirarentur,
partim non crederent, ecce ipse Aebutius in castellum venit;
denuntiat Caecinae se armatos habere; abiturum eum non
esse, si accessisset. Caecinae placuit et amicis, quoad vide-
21 retur salvo capite fieri posse, experiri. Tum de castello
descendunt; in fundum proficiscuntur. Videtur temere com-
missum; verum, ut opinor, hoc fuit causae: tam temere
istum re commissurum, quam verbis minitabatur, nemo
putavit.

VIII. Atque iste ad omnes introitus, qua adiri poterat
non modo in eum fundum, de quo erat controversia, sed
etiam in illum proximum, de quo nihil ambigebatur, arma-
tos homines opponit. Itaque primo cum in antiquum fun-
dum ingredi vellet, quod ea proxime accedi poterat, fre-
22 quentes armati obstiterunt. Quo loco depulsus Caecina,
tamen, qua potuit, ad eum fundum profectus est, in quo

---

§ 19. *et cum iste* Schuetzius. — *seseque*] Erf. *seque* O. — *istius ille*] Erf. — *huius ille* Pantag. Ern. *fundi et fructus*] Erf. *eius et fructus fundi* O.

§ 22. *in quo*] Erf. *ex quo* O. — *voce clara*] Erf. *clara voce* O.

ex conventu vim fieri oportebat: eius autem fundi extremam partem oleae directo ordine definiunt; ad eas cum accederetur, iste cum omnibus copiis praesto fuit servumque suum nomine Antiochum ad se vocavit et voce clara imperavit, ut eum, qui illum olearum ordinem intrasset, occideret. Homo mea sententia prudentissimus Caecina tamen in hac re plus mihi animi quam consilii videtur habuisse. Nam cum et armatorum multitudinem videret et eam vocem Aebutii, quam commemoravi, audisset, tamen accessit propius et iam ingrediens intra finem eius loci, quem oleae terminabant, impetum armati Antiochi ceterorumque tela atque incursus refugit. Eodem tempore se in fugam conferunt una amici advocatique eius metu perterriti, quemadmodum illorum testem dicere audistis. His rebus ita gestis, 23
P. Dolabella praetor interdixit, ut est consuetudo, DE VI HOMINIBUS ARMATIS, sine ulla exceptione, tantum, ut, unde deiecisset, restitueret. Restituisse se dixit. Sponsio facta est. Hac de sponsione vobis iudicandum est.

IX. Maxime fuit optandum Caecinae, recuperatores, ut controversiae nihil haberet; secundo loco, ut ne cum tam improbo homine; tertio, ut cum tam stulto haberet. Etenim non minus nos stultitia illius sublevat, quam laedit improbitas. Improbus fuit, quod homines coëgit, armavit, coactis armatisque vim fecit. Laesit in eo Caecinam. Sublevat ibidem; nam in eas ipsas res, quas improbissime fecit, testimonia sumpsit et eis in causa testimoniis utitur. Itaque 24
mihi certum est, recuperatores, antequam ad meam defensionem meosque testes venio, illius uti confessione et testimoniis. Quid confitetur, atque ita libenter confitetur, ut non solum fateri, sed etiam profiteri videatur, recuperatores? „Convocavi homines, coëgi, armavi: terrore mortis ac periculo capitis, ne accederes, obstiti; ferro, inquit, ferro“ (et hoc dicit in iudicio) „te reieci atque perterrui.“ Quid? testes quid aiunt? P. Vetilius, propinquus Aebutii, se Aebutio cum armatis servis venisse advocatum; quid praeterea? fuisse complures armatos; quid aliud? minatum esse Aebu-

§ 23. *sublevat ibidem*] Erf. *sublevavit ibidem* O. — § 24. *perterrui*] *proterrui* Lambini susp.

tium Caecinae. Quid ego de hoc teste dicam, nisi hoc, recuperatores, ut ne idcirco minus ei credatis, quod homo minus idoneus habetur, sed ideo credatis, quod ex illa parte
25 id dicit, quod illi causae maxime est alienum? A. Terentius, alter testis, non modo Aebutium, sed etiam se pessimi facinoris arguit. In Aebutium hoc dicit, armatos homines fuisse: de se autem hoc praedicat, Antiocho Aebutii servo imperasse, ut in Caecinam advenientem ferro invaderet. Quid loquar amplius de hoc homine? in quem ego hoc dicere cum rogarer a Caecina, numquam volui, ne arguere illum rei capitalis viderer, de eo dubito nunc, quomodo aut loquar aut taceam, cum ipse hoc de se iuratus
26 praedicet. Deinde L. Caelius non solum Aebutium cum armatis dixit fuisse compluribus, verum etiam cum advocatis perpaucis eo venisse Caecinam. De hoc ego teste detraham, cui aeque ac meo testi ut credatis postulo?

X. P. Memmius secutus est, qui suum non parvum beneficium commemoravit in amicos Caecinae, quibus sese viam per fratris sui fundum dedisse dixit, qua effugere possent, cum essent omnes metu perterriti. Huic ego testi gratias agam, quod et in re misericordem se praebuerit et
27 in testimonio religiosum. A. Atilius et eius filius L. Atilius et armatos ibi fuisse et se suos armatos adduxisse dixerunt; etiam hoc amplius, cum Aebutius Caecinae malum minaretur, ibi tum Caecinam postulasse, ut moribus deductio fieret. Hoc idem P. Rutilius dixit, et eo libentius dixit, ut aliquo in iudicio eius testimonio creditum putaretur. Duo praeterea testes nihil de vi, sed de re ipsa atque emptione fundi dixerunt: P. Caesennius auctor fundi, non tam auctoritate gravi quam corpore, et argentarius Sex. Clodius, cui nomen est Phormio, nec minus niger nec minus confidens quam ille Terentianus est Phormio, nihil de vi dixerunt,

---

§ 25. *se pessimi facinoris*] Garatonius. *saepissimi facinoris arguit* Erf. *se ipsum arguit* O. — *de hoc*] Erf. *hoc de* O. — *ego hoc dicere*] Erf. *ego dicere* O.

§ 26. *acque ac*] Erf. *aeque atque* O. — *omnes metu*] Erf. *metu omnes* O. — *pracbuerit*] Erf. *praebuit* O.

§ 27. *se servos armatos* Graevius.

nihil praeterea, quod ad vestrum iudicium pertineret. Decimo 28
vero loco testis exspectatus et ad extremum reservatus dixit, senator populi Romani, splendor ordinis, decus atque ornamentum iudiciorum, exemplar antiquae religionis, Fidiculanius Falcula. Qui cum ita vehemens acerque venisset, ut non modo Caecinam periurio suo laederet, sed etiam mihi videretur irasci, ita eum placidum mollemque reddidi, ut non auderet, sicut meministis, iterum dicere, quot milia fundus suus abesset ab urbe. Nam cum dixisset minus abesse LIII., populus cum risu acclamavit, ipsa esse; meminerant enim omnes, quantum in Albiano iudicio accepisset.
In eum quid dicam, nisi id, quod negare non possit, venisse 29
in consilium publicae quaestionis, cum eius consilii iudex non esset, et in eo consilio, cum causam non audisset et potestas esset ampliandi, dixisse SIBI LIQUERE? cum de incognita re iudicare voluisset, maluisse condemnare quam absolvere? cum, si uno minus damnarent, condemnari reus non posset, non ad cognoscendam causam, sed ad explendam damnationem praesto fuisse? Utrum gravius aliquid in quempiam dici potest, quam ad hominem condemnandum, quem numquam vidisset neque audisset, adductum esse pretio? An certius quidquam obiici potest, quam quod is,
cui obiicitur, ne nutu quidem infirmare conatur? Verumta- 30
men is testis (ut facile intelligeretis, eum non adfuisse animo, cum causa ab illis ageretur testesque dicerent, sed tantisper de aliquo reo cogitasse) cum omnes ante eum dixissent testes, armatos cum Aebutio fuisse complures, solus dixit, non fuisse. Visus est mihi primo veterator intelligere praeclare, quid causa optaret, et tantummodo errare, quod omnes testes infirmaret, qui ante eum dixissent: cum subito (ecce idem, qui solet), suos solos servos armatos fuisse dixit.

XI. Quid huic tu homini facias? nonne concedas inter- 31

§ 28. *minus habere LIII.* Erf. (Fortasse cum P. Fabro: *minus abesse L. M.* (mill. pass.) tum in fine: *ipsa esse XL.* cfr. pro Cluentio c. 27.)

§ 29. *cum de incognita*] *cum dein cognita* Erf. *cum incognita* O. — *esse pretio*] Erf. *pretio* O.

§ 30. *causa ab illis*] Erf. *ab illis causa* O.

§ 31. *fuit, inesse*] Erf. *fuit, an esse* O. (Locus, quem ad hanc lect. tuendam

dum, ut excusatione summae stultitiae, summae improbitatis odium deprecetur? Utrum, recuperatores, his testibus non credidistis, cum, quid liqueret, non habuistis? At controversia non erat, quin verum dicerent. An in coacta multitudine, in armis, in telis, in praesenti metu mortis perspicuoque periculo caedis dubium vobis fuit inesse vis aliqua videretur necne? quibus igitur in rebus vis intelligi potest, si in his non intelligetur? An vero illa defensio vobis praeclara visa est? „Non deieci, sed obstiti; non enim te sum passus in fundum ingredi: sed armatos homines opposui, ut intelligeres, si in fundo pedem posuisses, statim tibi esse pereundum." Quid ais? is qui armis perterritus, fugatus, pulsus est, non videtur esse deiectus?
32 Posterius de verbo videbimus: nunc rem ipsam ponamus, quam illi non negant; et eius rei ius actionemque quaeramus.

Est haec res posita, quae ab adversario non negatur. Caecinam, cum ad constitutam diem tempusque venisset, ut vis ac deductio moribus fieret, pulsum prohibitumque esse vi, coactis hominibus et armatis. Cum hoc constet, ego homo imperitus iuris, ignarus negotiorum ac litium, hanc puto me habere actionem, ut per interdictum meum ius teneam atque iniuriam tuam persequar. Fac in hoc errare me, nec ullo modo posse per hoc interdictum id asse-
33 qui, quod velim, te uti in hac re magistro volo. Quaero, sitne aliqua huius rei actio, an nulla? Convocari homines propter possessionis controversiam non oportet; armari multitudinem iuris retinendi causa non convenit; nec iuri quidquam tam inimicum quam vis nec aequitati quidquam tam infestum est quam convocati homines et armati.

XII. Quod cum ita sit, resque eiusmodi sit, ut in primis a magistratibus animadvertenda esse videatur, iterum quaero, sitne eius rei aliqua actio, an nulla? Nullam esse dices? Audire cupio. Qui in pace et otio, cum manum fecerit, copias pararit, multitudinem hominum coëgerit, armarit, instruxerit, homines inermos, qui ad constitutum

---

attuleram Catil. 2, § 13., nunc correctus est.) — *perterritus*] Hoc loco, ubi *metu* non adiicitur, praestare videtur *proterritus*, ut § 37.

experiundi iuris gratia venissent, armis viris, terrore peri-
culoque mortis reppulerit, fugarit, averterit, hoc dicat:
„Feci equidem, quae dicis, omnia, et ea sunt et turbulenta
et temeraria et periculosa; quid ergo est? impune feci; nam
quid agas mecum ex iure civili ac praetorio non habes.
Itane vero, recuperatores? hoc vos audietis? et apud vos 34
dici patiemini saepius? cum maiores nostri tanta diligentia
prudentiaque fuerint, ut omnia omnium non modo tanta-
rum rerum, sed etiam tenuissimarum iura statuerint per-
secutique sint, hoc genus unum vel maximum praetermit-
terent, ut, si qui me exire domo mea coëgisset armis,
haberem actionem: si qui introire prohibuisset, non habe-
rem? Nondum de Caecinae causa disputo, nondum de iure
possessionis nostrae loquor: tantum de tua defensione,
C. Piso, quaero. Quoniam ita dicis et ita constituis: „Si 35
Caecina cum in fundo esset, inde deiectus esset, tum per
hoc interdictum eum restitui oportuisse; nunc vero deie-
ctum nullo modo esse inde, ubi non fuerit; hoc interdicto
nihil nos assecutos esse:“ quaero, si te hodie domum tuam
redeuntem coacti homines et armati non modo limine tecto-
que aedium tuarum, sed primo aditu vestibuloque prohi-
buerint, quid acturus sis? Monet amicus meus te L. Cal-
purnius, ut idem dicas, quod ipse antea dixit, iniuriarum.
Quid id ad causam possessionis? quid ad restituendum
eum, quem oportet restitui? quid denique ad ius civile?
At ad auctoris notionem atque animadversionem ages iniu-
riarum. Plus tibi ego largiar: non solum egeris, verum
etiam condemnaris licet; numquid magis possidebis? Actio
enim iniuriarum non ius possessionis assequitur, sed dolo-
rem imminutae libertatis iudicio poenaque mitigat.

XIII. Praetor interea, Piso, tanta de re tacebit? quem- 36
admodum te restituat in aedes tuas non habebit? Qui dies

---

§ 34. *hoc*] Lamb. *ut hoc* Codd. (Scil. recentiorum plerique sic scripsissent: *hocine-praetermisissent?*) — *coëgisset - - prohibuisset*] Erf. *coëgissent - - prohibuissent* O. (Fefellit librarios antiquior nomin. singul. *qui*.) — *quaero*] Erf. ut in seqq. *queror* O.

§ 35. *Quoniam*] Erf. *Quando* O. — *quid id ad*] Ern. *quid ad* Libri, etiam Erf. — *atque animadv.*] Erf. (proprie habet *adque*.) *et* [*ad*] *an*. O.

§ 36. *armatos se tibi obstitisse*] Erf. — om. *se* Cod. Francii. Ern. O.

totos aut vim fieri vetat aut restitui factam iubet; qui de fossis, de cloacis, de minimis aquarum itinerumque controversiis interdicit, is repente obmutescet? in atrocissima re quid faciat, non habebit? et C. Pisone domo tectisque suis prohibito, prohibito, inquam, per homines coactos et armatos, praetor quemadmodum more et exemplo opitulari possit non habebit? Quid enim dicet? aut quid tu tam insigni accepta iniuria postulabis? „Unde vi prohibitus sis," nemo umquam interdixit; novum est, non dico inusitatum, verum omnino inauditum. „Unde deiectus?" quid proficies, cum illi hoc respondebunt tibi, quod tu nunc mihi: armatos se tibi obstitisse, ne in aedes accederes: deiici porro nullo modo potuisse, qui non accesserit?
37 Deiicior ego, inquis, si quis meorum deiicitur omnino. Iam bene agis; a verbis enim recedis, et aequitate uteris; nam verba quidem ipsa si sequi volumus, quomodo tu deiiceris, cum servus tuus deiicitur? Verum ita est, uti dicis: te deiectum debeo intelligere, etiam si tactus non fueris, nonne? Age nunc, si ne tuorum quidem quisquam loco motus erit, atque omnes in aedibus asservati ac retenti, tu solus prohibitus et a tuis aedibus vi atque armis proterritus: utrum hanc actionem habebis, qua nos usi sumus, an aliam quampiam, an omnino nullam? Nullam esse actionem dicere in re tam insigni tamque atroci neque prudentiae neque auctoritatis tuae est; alia si quae forte est, quae
38 nos fugerit, dic, quae sit: cupio discere. Haec si est, qua nos usi sumus, te iudice vincamus necesse est; non enim vereor, ne hoc dicas, in eadem causa eodem interdicto te oportere restitui, Caecinam non oportere. Etenim cui non perspicuum est ad incertum revocari bona, fortunas, possessiones omnium, si ulla ex parte sententia huius interdicti deminuta aut infirmata sit? si auctoritate virorum talium vis armatorum hominum iudicio approbata videatur: in quo iudicio non de armis dubitatum, sed de verbis quaesitum esse dicatur? Isne apud vos obtinebit causam suam,

---

§ 37. *verba quidem ipsa*] Erf. *verba ipsa* O. — *proterritus*] Erf. *perterritus* O. — *si quae*] Erf. *si qua* O.

§ 38. *non perspicuum*] Palimps. Erf. *perspicuum non* O. — *est*] Palimps. *sit* O.

qui se ita defenderit: „Eieci ego te armatis hominibus, non deieci:“ ut tantum facinus non in aequitate defensionis, sed in una littera latuisse videatur? Huiusce rei vos statuetis 39
nullam esse actionem, nullum experiundi ius constitutum, qui obstiterit armatis hominibus, qui multitudine coacta non introitu, sed omnino aditu quempiam prohibuerit?

XIV. Quid ergo? hoc quam habet vim, ut id distare aliquid aut ex aliqua parte differre videatur? utrum, pedem cum intulero atque in possessione vestigium fecero, tum expellar ac deiiciar: an eadem vi et iisdem armis mihi ante occurratur, ne non modo intrare, verum etiam aspicere aut aspirare possim? quid hoc ab illo differt? ut ille cogatur restituere, qui ingressum expulerit; ille, qui ingredientem reppulerit, non cogatur? Videte, per deos immortales! quod ius nobis, quam 40
condicionem vobismet ipsis, quam denique civitati legem constituere velitis. Huiusce generis una est actio per hoc interdictum, quo nos usi sumus, constituta; ea si nihil valet aut si ad hanc rem non pertinet, quid negligentius aut quid stultius maioribus nostris dici potest, qui aut tantae rei praetermiserint actionem aut eam constituerint, quae nequaquam satis verbis causam et rationem iuris amplecteretur? Periculosum est dissolvi hoc interdictum: est captiosum omnibus, rem ullam constitui eiusmodi, quae, cum armis gesta sit, rescindi iure non possit. Verumtamen turpissimum est illud, tantae stultitiae prudentissimos homines condemnari, ut vos iudicetis, huius rei ius atque actionem in mentem maioribus nostris non venisse.

Queramur, inquit, licet: tamen hoc interdicto Aebutius 41

---

§ 39. *nullum*] Erf. *nulli* Palimps., ut videtur. Lamb. *nullum ei* Rau Var. Lectt. Cic. p. 67. — *qui obstiterit*] Sic etiam Palimps. Erf. pro *quod obst.* Edd. ante Graev. *cui* (= *quoi*) Rau l. l. Malim: *quin*, *wie nicht, ob nicht der sich mit bewaffneten Leuten entgegengesetzt habe, der* u. s. w. — *hominibus is, qui* Rau l. l. — *ut id distare aliquid, aut ex aliqua parte differre videatur*] Peyron e vestigiis Palimps. et Erf. *ut illa res aliqua ex parte d. v.* O. — *possessione*] Palimps. *possessionem* Erf. O. — *ac*] Palimps. Erf. *atque* O.

§ 40. *turpissimum est illud*] Erf. *est turpissimum illud* O. — *rei ius atque actionem*] Erf. *rei atque actionis* O. Utrum Palimps. habeat, ut Olivetus et Ed. Ven. 1480.: *rei interdictum atque actionem*, necne habeat, dubium est.

§ 41. *factum*] Erf. *esse factum* O.

non tenetur. Quid ita? Quod vis Caecinae facta non est. Dici in hac causa potest, ubi arma fuerint, ubi coacta hominum multitudo, ubi instructi et certis locis cum ferro homines collocati, ubi minae, pericula terroresque mortis, ibi vim non fuisse? Nemo, inquit, occisus est neque sauciatus. Quid ais? cum de possessionis controversia et de privatorum hominum contentione iuris loquamur, tu vim negabis factam, si caedes et occisio facta non erit? Ego exercitus maximos saepe pulsos et fugatos esse dico terrore ipso impetuque hostium, sine cuiusquam non modo morte, verum etiam volnere.

42 XV. Etenim, recuperatores, non ea sola vis est, quae ad corpus nostrum vitamque pervenit, sed etiam multo maior ea, quae periculo mortis iniecto formidine animum perterritum loco saepe et certo de statu demovet. Itaque saucii saepe homines, cum corpore debilitantur, animo tamen non cedunt, neque eum relinquunt locum, quem statuerunt defendere; at alii pelluntur integri; ut non dubium sit, quin maior adhibita vis ei sit, cuius animus sit perterritus quam
43 illi, cuius corpus volneratum sit. Quod si vi pulsos dicimus exercitus esse eos, qui metu ac tenui saepe suspicione periculi fugerunt, et si non solum impulsu scutorum neque conflictu corporum neque ictu comminus neque coniectione telorum, sed saepe clamore ipso militum aut instructione adspectuque signorum magnas copias pulsas esse et vidimus et audivimus: quae vis in bello appellatur, ea in otio non appellabitur? et, quod vehemens in re militari putatur, id leve in iure civili iudicabitur? et, quod exercitus armatos movet, id advocationem togatorum non videbitur movisse? et volnus corporis magis istam vim quam terror animi declarabit? et sauciatio quaeretur, cum fugam factam esse con-
44 stabit? Tuus enim testis hoc dixit, metu perterritis nostris advocatis locum se, qua effugerent, demonstrasse. Qui non modo ut fugerent, sed etiam ipsius fugae tutam viam quaesierunt, his vis adhibita non videbitur? Quid igitur fugiebant? Propter metum. Quid metuebant? Vim videlicet. Potestis igitur principia negare, cum extrema conceditis?

§ 42. *statuerunt*] Erf. *statuerint* O.

Fugisse perterritos confitemini: causam fugae dicitis eandem,
quam omnes intelligimus, arma, multitudinem hominum,
incursionem atque impetum armatorum: haec ubi conce-
duntur esse facta, ibi vis facta negabitur?

XVI. At vero hoc quidem iam vetus est et maiorum ex- 45
emplo multis in rebus usitatum: cum ad vim faciundam veni-
retur, si quos armatos quamvis procul conspexissent, ut sta-
tim testificati discederent, optime sponsionem facere possent,
NI ADVERSUS EDICTUM PRAETORIS VIS FACTA ESSET. Itane
vero? scire esse armatos satis est, ut vim factam probes:
in manus eorum incidere non est satis? adspectus arma-
torum ad vim probandam valebit: incursus et impetus non
valebit? qui abierit, facilius sibi vim factam probabit, quam
qui effugerit? At ego hoc dico: si, ut primo in castello 46
Caecinae dixit Aebutius se homines coëgisse et armasse,
neque eum, si illo accessisset, abiturum, statim Caecina
discessisset, dubitare vos non debuisse, quin Caecinae facta
vis esset: si vero, simulac procul conspexit armatos, reces-
sisset, eo minus dubitaretis; omnis enim vis est, quae peri-
culo aut decedere nos alicunde cogit aut prohibet accedere.
Quod si aliter statuetis, videte, ne hoc vos statuatis, qui
vivus discesserit, ei vim non esse factam: ne hoc omnibus
in possessionum controversiis praescribatis, ut confligendum
sibi et armis decertandum putent; ne, quemadmodum in
bello poena ignavis ab imperatoribus constituitur, sic in
iudiciis deterior causa sit eorum, qui fugerint, quam qui
ad extremum usque contenderint. Cum de iure et legitimis 47
hominum controversiis loquimur et in his rebus vim nomi-
namus, pertenuis vis intelligi debet. Vidi armatos, quamvis
paucos: magna vis est; decessi unius hominis telo perter-
ritus: deiectus detrususque sum. Hoc si ita statuetis, non
modo non erit, cur depugnare quisquam posthac possessio-
nis causa velit, sed ne illud quidem, cur repugnare; sin
autem vim sine caede, sine volneratione, sine sanguine nul-
lam intelligitis, statuitis homines possessionis cupidiores
quam vitae esse oportere.

---

§ 45. *optime*] Sic etiam Erf. *et optime* Beier Mss.

§ 46. *eum, si illo*] Erf. *illum, si eo* O.

§ 47. *intelligitis - - statuitis*] Palimps. *intelligetis - - statuetis* O.

48 XVII. Age vero, de vi te ipsum habebo iudicem, Aebuti; responde, si tibi videtur. In fundum Caecina utrum tandem noluit, an non potuit accedere? cum te obstitisse et reppulisse dicis, certe hunc voluisse concedis. Potes igitur dicere non ei vim fuisse impedimento, cui, cum cuperet eoque consilio venisset, per homines coactos licitum non sit accedere? Si enim id, quod maxime voluit, nullo modo potuit, vis profecto quaedam obstiterit necesse est: aut tu dic, quamobrem, cum vellet accedere, non acces-
49 serit. Iam vim factam negare non potes: deiectus quemadmodum sit, qui non accesserit, id quaeritur; demoveri enim et depelli de loco necesse est eum, qui deiiciatur; id autem accidere ei qui potest, qui omnino in eo loco, unde se deiectum esse dicit, numquam fuit? Quid, si fuisset et ex eo loco metu permotus fugisset, cum armatos vidisset, diceresne esse deiectum? Opinor. An tu, qui tam diligenter et tam callide verbis controversias, non aequitate diiudicas et iura non utilitate communi, sed litteris exprimis, poterisne dicere deiectum esse eum, qui tactus non erit? Quid? detrusum dicesne? nam eo verbo antea praetores in hoc interdicto uti solebant. Quid ais? potestne detrudi quisquam, qui non attingitur? nonne: si verbum sequi volumus, hoc intelligamus necesse est, eum detrudi, cui manus afferantur? necesse est, inquam, si ad verbum rem volumus adiungere, neminem statui detrusum, qui non adhibita
50 vi manu demotus et actus praeceps intelligatur. Deiectus verbo qui potest esse quisquam, nisi in inferiorem locum de superiore motus? Potest pulsus, fugatus, eiectus denique: illud vero nullo modo potest, deiectus esse quisquam, non modo qui tactus non sit, sed ne in aequo quidem et plano loco. Quid ergo? hoc interdictum putamus eorum esse causa compositum, qui se praecipitatos ex locis superioribus dicerent? eos enim vere possumus dicere esse deiectos.

---

§ 48. *tandem noluit*] Palimps. Erf. *noluit tandem* O.

§ 49. *controversiam* Palimps. — *dicesne*] Palimps. *dices* O. — *adiungere*] Palimps. *attingere* Erf Ern. *adfingere*. *Neminem statuis* Rau p. 71.

§ 50. *Deiectus verbo*] Palimps. *deiectus vero* O. — *deiectus vere* Rau l. l. ut mox *eos enim vere*, cet. et § 54. *tam vere*. — *in aequo*] Palimps. *aequo* O.

XVIII. An non, cum voluntas et consilium et sententia 51
interdicti intelligatur, impudentiam summam aut stultitiam singularem putabimus, in verborum errore versari, rem et causam et utilitatem communem non relinquere solum, sed etiam prodere? An hoc dubium est, quin neque verborum tanta copia sit, non modo in nostra lingua, quae dicitur esse inops, sed ne in alia quidem ulla, res ut omnes suis certis ac propriis vocabulis nominentur? neque vero quidquam opus sit verbis, cum ea res, cuius causa verba quaesita sint, intelligatur? Quae lex, quod senatus consultum, quod magistratus edictum, quod foedus aut pactio, quod (ut ad privatas res redeam) testamentum, quae iudicia aut stipulationes aut pacti et conventi formula non infirmari ac convelli potest, si ad verba rem deflectere velimus, consilium autem eorum, qui scripserunt, et rationem et auctoritatem
relinquamus? Sermo mehercule et familiaris et quotidianus 52
non cohaerebit, si verba inter nos aucupabimur; denique imperium domesticum nullum erit, si servulis hoc nostris concesserimus, ut ad verba nobis obediant, non ad id, quod ex verbis intelligi possit, obtemperent. Exemplis nunc uti videlicet mihi necesse est harum rerum omnium? non occurrit unicuique vestrum aliud alii in omni genere exemplum, quod testimonio sit, non ex verbis aptum pendere ius, sed verba servire hominum consiliis et auctoritatibus?
Ornate et copiose L. Crassus, homo longe eloquentissimus, 53
paullo ante, quam nos in forum venimus, iudicio centumvirali hanc sententiam defendit et facile, cum contra eum prudentissimus homo Q. Mucius diceret, probavit omnibus, M'. Curium, qui heres institutus esset ita, MORTUO POSTUMO FILIO, cum filius non modo non mortuus, sed ne natus quidem esset, heredem esse oportere. Quid? verbis hoc satis erat cautum? Minime. Quae res igitur valuit? Voluntas; quae si tacitis nobis intelligi posset, verbis omnino non uteremur; quia non potest, verba reperta sunt, non, quae impedirent, sed quae indicarent voluntatem.

XIX. Lex usum et auctoritatem fundi iubet esse bien- 54

§ 51. *An, cum voluntas* Erf.

§ 53. *hoc satis erat cautum*] Erf. *satis hoc cautum erat* O.

§ 54. Firmat Erf. nostram lect. *usum et auctoritatem* adversus Ern. *usum*

nium. At utimur eodem iure in aedibus, quae in lege non
appellantur. Si via sit immunita, iubet, qua velit, agere
iumentum. Potest hoc ex verbis intelligi, licere, si via sit
in Brutiis immunita, agere, si velit, iumentum per M. Scauri
Tusculanum. Actio est in auctorem praesentem his verbis,
QUANDO QUIDEM TE IN IURE CONSPICIO. Hac actione Appius
ille Caecus uti non posset, si tam vere homines verba con-
sectarentur, ut rem, cuius causa verba sunt, non conside-
rarent. Testamento si recitatus heres esset pupillus Corne-
lius, isque iam annos XX haberet, vobis interpretibus amit-
55 teret hereditatem. Veniunt in mentem mihi permulta, vobis
plura, certo scio; verum ne nimium multa complectamur
atque ab eo, quod propositum est, longius aberret oratio,
hoc ipsum interdictum, quo de agitur, consideremus: intel-
ligetis enim in eo ipso, si in verbis ius constituamus, omnem
utilitatem nos huius interdicti, dum versuti et callidi volu-
mus esse, amissuros, UNDE TU AUT FAMILIA AUT PROCURATOR
TUUS. Si me villicus tuus solus deiecisset; non familia deie-
cisset, ut opinor, sed aliquis de familia. Recte igitur dice-
res te restituisse? Quippe: quid enim facilius est quam pro-
bari iis, qui Latine sciant, in uno servulo familiae nomen
non valere? Si vero ne habeas quidem servum praeter eum,
qui me deiecerit, clames videlicet: „si habeo familiam, a
familia mea fateor te esse deiectum." Neque enim dubium
est, quin, si ad rem iudicandum verbo ducimur, non re,
familiam intelligamus, quae constet ex servis pluribus; quin
56 unus homo familia non sit. Verbum certe hoc non modo
postulat, sed etiam cogit. At vero ratio iuris interdictique
vis et praetorum voluntas et hominum prudentium consi-
lium et auctoritas respuat hanc defensionem et pro nihilo
putet.

---

auctoritatem. — *quando quidem* habet etiam Donatus ad Terent. Phorm. 5, 7, 43. Valerius Probus: *Quando ego te.* Erf.: *quandoque te.* — *annos XV.* P. Fabri coniectura.

§ 55. *quo de*] Erf. *de quo* O. — *velimus esse* Erf. — *restitisse*] Erf. Asc. 1531. Cfr. § 80. *quo modo se restituisse dixit.* — *neque enim dubium*] Erf. *neque dubium* O.

§ 56. *tu me*] Iordan ex scriptura Cod. Vindob. 13. *tumet (me tu* Erf. Ern.) Paullo ante vv. *me restituas* a Lambino „vet. Cod. ope" inserta nunc quoque necessaria videntur probavitque ea Iordan. Cfr. § 58.: *Iam restitues* cet. et § 63. *restitui - - voluerunt.* Absunt tamen etiam ab Erf.

XX. Quid ergo? Isti homines Latine non loquuntur? 57
Immo vero tantum loquuntur, quantum est satis ad intelligendam voluntatem; cum sibi hoc proposuerint, ut me restituas, sive tu me deieceris sive tuorum quispiam sive servorum sive amicorum, ut servos non numero distinguant, sed appellent uno familiae nomine: de liberis autem, quisquis est, procuratoris nomine appelletur: non quo omnes sint aut appellentur procuratores, qui negotii nostri aliquid gerant; sed in hac re cognita sententia interdicti verba subtiliter exquiri omnia noluerunt. Non enim alia causa est aequitatis in uno servo, et in pluribus: non alia ratio iuris in hoc genere dumtaxat, utrum me tuus procurator deiecerit, is, qui legitime procurator dicitur omnium rerum eius, qui in Italia non sit absitve rei publicae causa, quasi quidam paene dominus, hoc est, alieni iuris vicarius; an tuus colonus aut vicinus aut cliens aut libertus aut quivis,
qui illam vim deiectionemque tuo rogatu aut tuo nomine 58
fecerit. Quare si ad eum restituendum, qui vi deiectus est, eandem vim habet aequitatis ratio, ea intellecta certe nihil ad rem pertinet, quae verborum vis sit ac nominum. Tam restitues, si tuus me libertus deiecerit, nulli tuo praepositus negotio, quam si procurator deiecerit; non quo omnes sint procuratores, qui aliquid nostri negotii gerunt, sed quod in hac re quaeri nihil attinet. Tam restitues, si unus servulus, quam si familia fecerit universa; non quo idem sit servulus unus, quod familia: verum quia non, quibus verbis quidque dicatur, quaeritur, sed quae res agatur. Etiam, si, ut longius a verbo recedamus, ab aequitate ne tantulum quidem, si tuus servus nullus fuerit, et omnes alieni ac mercenarii, tamen et ipsi tuae familiae genere et nomine continebuntur.

XXI. Perge porro hoc idem interdictum sequi, HOMI- 59
NIBUS COACTIS. Neminem coëgeris, ipsi convenerint sua sponte; certe cogit is, qui congregat homines et convocat. Coacti sunt ii, qui ab aliquo sunt unum in locum congregati. Si non modo oonvocati non sunt, sed ne convenerunt qui-

§ 58. *fecerit*] Erf. *deiecerit* O. — *Etiam, si, ut longius*] Erf. *Etiam, ut iam longius* O. (post parenthesin repetitur *si*; v. Klotz.) — *et omnes*] Erf. *sed omnes* O.

§ 59. *consuerant*] Erf. *consueverant* O.

dem, sed ii modo fuerunt, qui etiam antea non, vis ut fieret, verum colendi aut pascendi causa esse in agro consuerant, defendes homines coactos non fuisse; et verbo quidem superabis me ipso iudice; re autem ne consistes quidem ullo iudice. Vim enim multitudinis restitui voluerunt, non solum convocatae multitudinis: sed, quia plerumque, ubi multitudine opus est, homines cogi solent, ideo de coactis compositum interdictum est: quod, etiam si verbo differre videbitur, re tamen erit unum, et omnibus in causis idem valebit, in quibus perspicitur una atque eadem causa aequitatis.

60 Armatisve. Quid dicemus? Armatos, si Latine loqui volumus, quos appellare vere possumus? opinor eos, qui scutis telisque parati ornatique sunt. Quid igitur? si glebis aut saxis aut fustibus aliquem de fundo praecipitem egeris iussusque sis, quem hominibus armatis deieceris, restituere, restituisse te dices? Verba si valent, si causae non ratione, sed vocibus ponderantur, me auctore dicito: vinces profecto, non fuisse armatos eos, qui saxa iacerent, quae de terra ipsi tollerent: non esse arma caespites neque glebas; non fuisse armatos eos, qui praetereuntes ramum defringerent arboris: arma esse suis nominibus, alia ad tegendum, alia ad nocendum; quae qui non habuerint, eos inermos fuisse

61 vinces. Verum si quidem erit armorum iudicium, tum ista dicito: iuris iudicium cum erit et aequitatis, cave in ista tam frigida, tam ieiuna calumnia delitescas; non enim reperies quenquam iudicem aut recuperatorem, qui, tamquam si arma militis inspiciunda sint, ita probet armatum: sed perinde valebit, quasi armatissimi fuerint, si reperientur ita parati fuisse, ut vim vitae aut corpori potuerint afferre.

62 XXII. Atque ut magis intelligas, quam verba nihil valeant: si tu solus aut quivis unus cum scuto et gladio impetum in me fecisset, atque ego ita deiectus essem, auderesne dicere interdictum esse de armatis hominibus, hic autem hominem armatum unum fuisse? non, opinor, tam impudens esses. Atqui vide, ne multo nunc sis impudentior: nam tum quidem omnes mortales implorare posses, quod

---

§ 60. *inermos*] Erf. *inermes* O.

§ 62. *et gladio*] Erf. *cum gladio* O.

homines in tuo negotio Latine obliviscerentur; quod inermi
armati iudicarentur; quod, cum interdictum esset de pluri-
bus, commissa res esset ab uno; unus homo plures esse
homines iudicaretur. Verum in his causis non verba veniunt 63
in iudicium, sed ea res, cuius causa verba haec ad inter-
dictum coniecta sunt. Vim, quae ad caput ac vitam per-
tinet, restitui sine ulla exceptione voluerunt; ea fit plerum-
que per homines coactos armatosque: si alio consilio, eodem
periculo facta sit, eodem iure esse voluerunt. Non enim
maior est iniuria, si tua familia quam si tuus villicus, non,
si tui servi quam si alieni ac mercenarii, non, si tuus pro-
curator quam si vicinus aut libertus tuus, non, si coactis
hominibus quam si voluntariis aut etiam assiduis ac dome-
sticis, non, si armatis quam si inermis, qui vim armatorum
haberent ad nocendum, non, si pluribus quam si uno armato.
Quibus enim rebus plerumque vis fit, eiusmodi eae res appel-
lantur interdicto. Si per alias res eadem facta vis est, ea,
tametsi verbis interdicti non concluditur, sententia tamen
iuris atque auctoritate retinetur.

XXIII. Venio nunc ad illud tuum, „Non deieci; non 64
enim sivi accedere.“ Puto, te ipsum, Piso, perspicere,
quanto ista sit angustior iniquiorque defensio, quam si illa
uterere: „Non fuerunt armati; cum fustibus et saxis fue-
runt.“ Si mehercule mihi non copioso homini ad dicendum
optio detur, utrum malim defendere, non esse deiectum
eum, cui vi et armis ingredienti sit occursum: an, armatos
non fuisse eos, qui sine scutis sineque ferro fuerint: omnino
ad probandum utramque rem videam infirmam nugatoriam-
que esse; ad dicendum autem in altera videar mihi aliquid
reperire posse, non fuisse armatos eos, qui neque ferri quid-
quam neque scutum ullum habuerint: hic vero haeream, si
mihi defendendum sit, eum, qui pulsus fugatusque sit, non

---

§ 63. *ad interdictum*] Palimps. *in interdictum* O. In Erf. a secunda demum manu suppletum *in.* — *ac vitam*] Palimps. Erf. *et ad vitam* O. — *inermis*] Oix. *inermibus* O. hoc loco cum ceteris Codd. notis. — *armatorum haberent*] Palimps. *haberent armatorum* O. — *sententia tamen*] Palimps. *tamen sententia* O.

§ 64. *non enim sivi*] Palimps. Erf. *si non sivi* O. — *sineque*] Palimps. *ac sine* O.

65 esse deiectum. Atque illud in tota defensione tua mihi ma-
xime mirum videbatur, te dicere, „Iuris consultorum
auctoritati obtemperari non oportere.“ Quod ego tam-
etsi non nunc primum neque in hac causa solum audio,
tamen admodum mirabar, abs te quam ob rem diceretur;
nam ceteri tum ad istam hortationem decurrunt, cum se in
causa putant habere aequum et bonum, quod defendant.
Si contra verbis et litteris et (ut dici solet) summo iure
contenditur, solent eiusmodi iniquitati aequi et boni nomen
dignitatemque opponere. Tum illud, quod dicitur, SIVE,
NIVE, irrident; tum aucupia verborum et litterarum tendi-
culas in invidiam vocant; tum vociferantur, ex aequo et
bono, non ex callido versutoque iure rem iudicari oportere:
scriptum sequi calumniatoris esse; boni iudicis, voluntatem
66 scriptoris auctoritatemque defendere. In ista vero causa,
cum tu sis is, qui te verbo litteraque defendas, cum tuae
sint eae partes, UNDE DEIECTUS ES? an inde, quo cohibitus
es accedere? eiectus es, non deiectus: cum tua sit haec
oratio, „Fateor me homines coëgisse, fateor armasse, fateor
tibi mortem esse minitatum, fateor haec interdicto praetoris
vindicari, si voluntas et aequitas valeat: sed ego invenio in
interdicto verbum unum, ubi delitescam: non deieci te ex
eo loco, quem in locum prohibui ne venires:“ — in ista de-
fensione accusas eos, qui consuluntur, quod aequitatis cen-
seant rationem, non verbi, haberi oportere?
67 XXIV. Et hoc loco Scaevolam dixisti causam apud cen-
tumviros non tenuisse; quem ego antea non commemoravi,
quod idem faceret, quod tu nunc, (tametsi ille in aliqua cau-
sa faciebat, tu in nulla facis) tamen probasse nemini quod de-

§ 65. Pro *hortationem* Lamb. Weiske *orationem*, — *aequi et boni*] Erf. *boni et aequi* O. — *bonique*] Erf. *boni* O.

§ 66. *eae partes*] Erf. Asc. 1531, *hae p.* O. Ceterum restitui Ernestii distinctionem: sic tamen ut significarem v. *unde deiectus es* formulae esse: sequentem interrogationem Aebutio a Caecina proponi. Hinc recte *eae partes* non *hae*: eae scil., contra quas tu te defendas necesse est. — *cohibitus*] Erf. *prohibitus* O. — *haec interd.*] Erf. *hoc interd.* O. — *non deieci te*] Fort. *non deieci, eieci te.*

§ 67. *antea non commemoravi - - videbatur?*] Erf. *antea commemoravi, cum idem* sine interrogatione, ex Hotomani coni. O. Demonstrat scilicet, quam perverse ac stulte hoc ipso loco exemplum sibimet ipsi contrarium attulerit.

fendit, quia verbis oppugnare aequitatem videbatur? Cum
id miror te hoc in hac re alieno tempore et contra quam
ista causa postulasset, defendisse, tum illud volgo in iudiciis,
et nonnumquam ab ingeniosis hominibus, defendi mihi mi-
rum videri solet, nec iuris consultis concedi nec ius civile
in causis semper valere oportere. Nam qui hoc disputant, 68
si id dicunt, non recte aliquid statuere eos, qui consulantur;
non hoc debent dicere, iuris consultis, sed hominibus stul-
tis obtemperari non oportere. Sin illos recte respondere
concedunt, et aliter iudicari dicunt oportere, male iudicari
oportere dicunt; neque enim fieri potest, ut aliud iudicari
de iure, aliud responderi oporteat: nec ut quisquam iuris
numeretur peritus, qui id statuat esse ius, quod non opor-
teat iudicari. „At est aliquando contra iudicatum:“ primum 69
utrum recte, an perperam? Si recte, id fuit ius, quod iudi-
catum est: sin aliter; non dubium est, utrum iudices, an
iuris consulti vituperandi sint; deinde si de iure vario quid-
piam iudicatum est, potius contra iuris consultos statuunt,
si aliter pronuntiatum est, ac Mucio placuit, quam ex eorum
auctoritate, si, ut Manilius statuebat, sic est iudicatum?
Etenim ipse Crassus non ita causam apud centumviros egit,
ut contra iuris consultos diceret: sed ut hoc doceret, illud,
quod Scaevola defendebat, non esse iuris, et in eam rem
non solum rationes afferret, sed etiam Q. Mucio, socero
suo, multisque peritissimis hominibus auctoribus uteretur.

XXV. Nam qui ius civile contemnendum putat, is 70
vincula revellit non modo iudiciorum, sed etiam utilitatis
vitaeque communis; qui autem interpretes iuris vituperat,
si imperitos iuris esse dicit, de hominibus, non de iure
civili detrahit: sin peritis non putat esse obtemperandum,
non homines laedit, sed leges ac iura labefactat. Quod vo-
bis venire in mentem profecto necesse est, nihil esse in civi-
tate tam diligenter quam ius civile retinendum; etenim hoc
sublato nihil est, quare exploratum cuiquam possit esse,

---

§ 68. *nec hoc* Erf. Cum Erf. mox pro *iuri civili, sed* habeat *iuris civilis, sed,* verior iam videtur lectio Ed. 1480. *iuris consultis, sed* cet. etiam propter vv. *sin illos* cet. eamque recepi.

§ 69. *potius - - statuunt?*] Erf. *non potius - - statuunt* sine interrogatione O.

quid suum aut quid alienum sit: nihil est, quod aequabile
71 inter omnes atque unum omnibus esse possit. Itaque in ceteris controversiis atque iudiciis, cum quaeritur, aliquid factum necne sit, verum, an falsum proferatur, et fictus testis subornari solet, et imponi falsae tabulae: nonnumquam honesto ac probabili nomine bono viro iudici error obiici, improbo facultas dari, ut, cum sciens perperam iudicarit, testem tamen aut tabulas secutus esse videatur. In iure nihil est eiusmodi, recuperatores, non tabulae falsae, non testis improbus: denique nimia ista, quae dominatur in civitate, potentia, in hoc solo genere quiescit; quid agat, quomodo aggrediatur iudicem, qua denique digitum
72 proferat, non habet. Illud enim potest dici iudici ab aliquo non tam verecundo homine, quam gratioso: „Iudica hoc factum esse, aut numquam esse factum vel cogitatum; crede huic testi; has comproba tabulas;“ hoc non potest: „cui filius agnatus sit, eius testamentum non esse ruptum iudica: quod mulier sine tutore auctore promiserit, deberi.“ Non est aditus ad huiuscemodi res neque potentiae cuiusquam neque gratiae. Denique quo maius hoc sanctiusque videatur, ne pretio quidem corrumpi iudex in eiusmodi causa
73 potest. Iste vester testis, qui ausus est dicere, Fecisse videri eum, de quo ne cuius rei argueretur quidem scire potuisset, ipse numquam auderet iudicare deberi viro dotem, quam mulier nullo auctore dixisset. O rem praeclaram vobisque ob hoc retinendam, recuperatores!

XXVI. Quod enim est ius civile? quod neque inflecti gratia neque perfringi potentia neque adulterari pecunia possit; quod si non modo oppressum, sed etiam desertum aut negligentius asservatum erit, nihil est, quod quisquam sese habere certum aut a patre accepturum aut relicturum libe-
74 ris arbitretur. Quid enim refert, aedes aut fundum relictum aut patre aut aliqua ratione habere bene partum, si incer-

---

§ 71. *imponi*] Erf. Codd. noti. *interponi* ex Hotom. coni. O.

§ 74. *quamquam omnia tua iure mancipii sint* Pantag. *quae communita iure mancipii sint* P. Fabri coni. — Fort. *incertumst - - parumst.* — *uni cuique nostrum venit*] Erf. *venit uni cuique vestrum* O. — *periculi litium* firmatur ab Erf. ac sanum videtur. (*periculorum litium* Waldarf.)

tum sit, † quae cum omnia tua iure mancipii sint, ea possisne retinere, si parum sit communitum ius, si civili ac publica lege contra alicuius gratiam teneri non potest? quid, inquam, prodest fundum habere, si, quae decentissime descripta a maioribus iura finium possessionum, aquarum itinerumque sunt, haec perturbari aliqua ratione commutarique possunt? Mihi credite, maior hereditas uni cuique nostrum venit in iisdem bonis a iure et a legibus quam ab iis, a quibus illa ipsa bona relicta sunt. Nam ut perveniat ad me fundus, testamento alicuius fieri potest: ut retineam, quod meum factum sit, sine iure civili non potest. Fundus a patre relinqui potest: at usucapio fundi, hoc est, finis sollicitudinis ac periculi litium, non a patre relinquitur, sed a legibus. Aquaeductus haustus, iter actus a patre, sed rata auctoritas harum rerum omnium a iure civili sumitur. Quapropter non minus diligenter ea, quae a maioribus 75
accepistis, publica patrimonia iuris quam privatae rei vestrae retinere debetis; non solum quod haec iure civili saepta sunt, verum etiam, quod patrimonium unius incommodo dimittitur, ius amitti non potest sine magno incommodo civitatis.

XXVII. In hac ipsa causa, recuperatores, si hoc nos non obtinebimus, vi, armatis hominibus deiectum esse eum, quem vi, armatis hominibus pulsum fugatumque esse constet, Caecina rem non amittet, quam ipsam animo forti, si tempus ita ferret, amitteret; in possessionem in praesentia non restituetur, nihil amplius: populi Romani causa, civi- 76
tatis ius, bona, fortunae possessionesque omnium in dubium incertumque revocabuntur; vestra auctoritate hoc constituetur, hoc praescribetur: quicum tu posthac de possessione

---

§ 75. *verum*] Erf. *sed* O.

§ 76 *possessionesque omnium*] Erf. *possessionesque* O. — *in praedium deieceris, restituas*] Ordo vv. ex Erf., qui habet: *in praedium delegeris restituas. deieceris, in praedium restituas* O. In seq. loco corruptissimo exhibui Erf. lectionem. Coniecturas VV. DD. vide in Ed. maiore. Ex Schuetziana etiamnunc placet: *iniuria eum dici deiectum esse.* Apud Ern. sic est: *non restitues. tum statueritis vim in caede solum, non etiam in animo: nisi cruor - - factam; iniuriarum delictum esse, qui prohibitus sit; nisi ex - - posse. Iuris igitur retineri sententiam - - oportere; an verbo - - recuperatores, utrum utilius esse videatur.*

contendes, eum si ingressum modo in praedium deieceris, restituas oportebit: sin autem ingredienti cum armata multitudine obvius fueris, et ita venientem reppuleris, fugaris, averteris, non restitues. † tu res. si equos. vestes. si vim non in caede solum, sed etiam in animo libidinis. Nisi cruor appareat, vim non esse factam: † iniuris delictum esse, qui prohibitus sit libidinis: nisi ex eo loco, ubi vestigium im-
77 presserit, deiici neminem posse. † Iuris retinet sententiam, et aequitatem plurimum valere oportere, libidinis verbo ac littera ius omne torqueri, vos statuite, recuperatores, et viliores esse videantur.

Hoc loco percommode accidit, quod non adest is, qui paullo ante adfuit et adesse nobis frequenter in hac causa solet, vir ornatissimus, C. Aquillius; (nam ipso praesente, de virtute eius et prudentia timidius dicerem, quod et ipse pudore quodam afficeretur ex sua laude et me similis ratio pudoris a praesentis laude tardaret:) cuius auctoritati dictum est ab illa causa concedi nimium non oportere. Vereor de tali viro ne plus dicam, quam vos aut sentiatis aut apud
78 vos commemorari velitis? Quapropter hoc dicam, numquam eius auctoritatem nimium valere, cuius prudentiam populus Romanus in cavendo, non in decipiendo perspexerit; qui iuris civilis rationem numquam ab aequitate seiunxerit; qui tot annos ingenium, laborem, fidem suam populo Romano promptam expositamque praebuerit; qui ita iustus est et bonus vir, ut natura, non disciplina consultus esse videatur; ita peritus ac prudens, ut ex iure civili non scientia solum quaedam, verum etiam bonitas nata esse videatur; cuius tantum est ingenium, ita prompta fides, ut quidquid
79 inde haurias, purum te liquidumque haurire sentias. Quare

---

§ 77. *Vereor*] Erf. Ern. *Non vereor* O. Mihi videtur interrogatio. Amicus quidam sine interrogatione ita explicat; „Veretur," ut astute dicit, ne nimia et prorsus incredibilia dicat, praesertim apud recuperatores ICtis minus faventes. Deinde fingit, se modeste de eo loqui, „*qua propter hoc* tantummodo *dicam*," sed in eo ipso laudes eius cumulatissime exaggerat.

§ 78. *est et bonus vir*] Erf. *et bonus vir est* O. — *te liquidumque*] Erf. *liquidumque te* O.

§ 79. *vester iste*] Erf. *iste vester* O. Loco hoc accuratius examinato perspexi vitium Cod. Erf. et Volgatae unice residere in v. *aliquid*, pro quo leg.

permagnam initis a nobis gratiam, cum eum auctorem nostrae defensionis esse dicitis. Illud autem miror, cur vos † aliquid contra me sentire dicatis, cum eum auctorem vos pro me appelletis, † vestrum nominetis. Verumtamen quid ait vester iste auctor? QUIBUS QUIDQUE VERBIS ACTUM PRONUNCIATUMQUE SIT.

XXVIII. ‚Conveni ego ex isto genere consultorum non neminem, ut opinor, istum ipsum, quo vos auctore rem istam agere et defensionem causae constituere vos dicitis; qui, cum istam disputationem mecum ingressus esset, non posse probari quemquam esse deiectum, nisi ex eo loco, in quo fuisset, rem et sententiam interdicti mecum facere fatebatur, verbo me excludi dicebat; a verbo autem posse recedi non arbitrabatur. Cum exemplis uterer multis, etiam 80
illa materia aequitatis, a verbo et ab scripto plurimis saepe in rebus ius et aequi bonique rationem esse seiunctam semperque id valuisse plurimum, quod in se auctoritatis habuisset aequitatisque plurimum: consolatus est me et ostendit in hac ipsa causa nihil esse, quod laborarem: nam verba ipsa sponsionis facere mecum, si vellem diligenter attendere. Quonam, inquam, modo? Quia certe, inquit, deiectus est Caecina vi, hominibus armatis, aliquo ex loco: si non ex eo loco, quem in locum venire voluit, at ex eo certe, unde fugit. Quid tum? Praetor, inquit, interdixit, ut, unde deiectus esset, eo restitueretur, hoc est, quicunque is locus esset, unde deiectus esset. Aebutius autem, qui fatetur, aliquo ex loco deiectum esse Caecinam, is, quo

---

aliquem vel quod malim *aliquid aliquem*. Sententia igitur haec est: „illud autem miror, cur vos aliquem aliquid contra me sentire dicatis, cum eum ipsum, quem vestrum nominatis auctorem, pro me, (cum ego ipse potius eum appellare possim) auctorem appelletis.“ Ante vv. *vestrum nominetis* supple cogitatione: *sed*. — *quibus quidque*] e § 81. *omnibus quidque* Erf. *omnibus quidquid* O. Fortasse: *omnibus quibus quidque*. — *non neminem*] Firmat hanc lect. Erf., unde stabilitur etiam *conveni*, pro *convenit* (Erf.). Scilicet Ernestius sic: *illud autem miror, cur vos aliquid contra me sentire dicatis, cum eum auctorem vos pro me appelletis, nostrum nominetis. Verumtamen quid ait iste noster auctor? Omnibus quidquid verbis actum pronuntiatumque sit, convenit. Ego ex isto genere consultorum non nominem, ut opinor istum ipsum, quo nos auctore* cet.

§ 80. *multis in illa materia aeq.* Iunta.

modo se restituisse dixit, necesse est male fecerit sponsio-
81 nem. Quid est, Piso? placet tibi nos pugnare verbis? placet causam iuris et aequitatis et non nostrae possessionis, sed omnino possessionum omnium constituere in verbo? Ego, quid mihi videretur, quid a maioribus factitatum, quid horum auctoritate, quibus iudicandum est, dignum esset, ostendi, id verum, id aequum, id utile omnibus esse, spectari, quo consilio et qua sententia, non quibus quidque verbis esset actum. Tu me ad verbum vocas: non ante veniam, quam recusaro. Nego oportere, nego obtineri posse, nego ullam rem esse, quae aut comprehendi satis aut caveri aut excipi possit, si aut praeterito aliquo verbo aut ambigue posito, re et sententia cognita, non id, quod intelligitur, sed id, quod dicitur, valebit.

82 XXIX. Quoniam satis recusavi, venio iam quo vocas; quaero abs te, simne deiectus, non de Fulciniano fundo: (neque enim praetor, si ex eo fundo essem deiectus, ita me restitui iussit, sed eo, unde deiectus essem): sum ex proximo vicini fundo deiectus, qua adibam ad istum fundum: sum de via, sum certo alicunde, sive de privato sive de publico; eo restitui sum iussus. Restituisse te dixisti: nego me ex decreto praetoris restitutum esse. Quid ad haec dicimus? aut tuo, quemadmodum dicitur, gladio aut nostro
83 defensio tua conficiatur necesse est. Si ad interdicti sententiam confugis et, de quo fundo actum sit tum, cum Aebutius restituere iubebatur, id quaerendum esse dicis neque aequitatem rei verbi laqueo capi putas oportere, in meis castris praesidiisque versaris; mea, mea est ista defensio: ego hoc vociferor: ego omnes homines deosque testor: cum maiores vim armatam nulla iuris defensione texerint, non vestigium eius, qui deiectus sit, sed factum illius, qui deiecerit, in iudicium venire; deiectum esse, qui fugatus sit;

---

§ 81. *nos pugnare*] Erf. *pugnare* O. — *quid*] duobus posterioribus locis pro *quod* Erf. Sed ter erat reponendum. — *veniam*] Erf. *venio* O. — *re et sententia*] Erf. *sententia et re* O.

§ 82, *restitui iussisset* Ascens. 1531. Deinde ter *sim* pro *sum* Pantag. — *ex decreto*] Firmat Erf. *ex edicto* Quintil. 9, 3, 22. *ex interdicto* Lamb. in marg. Repetitt.

vim esse factam, cui periculum mortis sit iniectum. Istum 84
locum fugis et reformidas et me ex hoc, ut ita dicam, campo aequitatis ad istas verborum angustias et ad omnes litterarum angulos revocas. In iis ipsis includere insidiis, quas mihi conaris opponere. „Non deieci, sed ieci.“ Peracutum hoc tibi videtur; hic est mucro defensionis tuae: in eum ipsum causa tua incurrat necesse est. Ego enim tibi refero: Si non sum ex eo loco deiectus, quo prohibitus sum accedere, at ex eo sum deiectus, quo accessi, unde fugi. Si praetor non distinxit locum, quo me restitui iuberet, et restitui iussit, non sum ex decreto restitutus. Velim, recu- 85
peratores, hoc totum si vobis versutius, quam mea consuetudo defendendi fert, videbitur, sic existimetis: primum alium, non me, excogitasse; deinde huius rationis non modo nunc inventorem, sed ne probatorem quidem esse me: idque me non ad meam defensionem attulisse, sed illorum defensioni rettulisse: me posse pro meo iure dicere, neque in hac re, quam ego protuli, quaeri oportere, quibus verbis praetor interdixerit, sed de quo loco sit actum, cum interierit: neque in vi armatorum spectari oportere, in quo loco sit facta vis, verum sitne facta: te vero nullo modo posse defendere, in qua re tu velis, verba spectari oportere, in qua re nolis, non oportere.

XXX. Verumtamen ecquid mihi respondetur ad illud, 86
quod antea dixi, non solum re et sententia, sed verbis quoque hoc interdictum ita esse compositum, ut nihil commutandum videretur? Attendite quaeso diligenter, recuperatores; est enim vestri ingenii non meam, sed maiorum prudentiam cognoscere; non enim id sum dicturus, quod ego invenerim, sed quod illos non fugerit. Cum de vi interdicitur, duo genera causarum esse intelligebant, ad quae

---

§ 84. *Is in locum* Erf. — *intercludere insidiis* firmat Erf. pro Ern.: *includere vis insidiis.*

§ 85. *non modo nunc inventorem*] Erf. *non modo non inventorem* O. — *cum intererit*] Erf. id est, cum in controversia positum erit, de quo loco actum sit. *cum interdixit* O.

§ 86. *quaeso diligenter*] Erf. *diligenter quaeso* O. — *id sum*] Erf. *sum id* O — *ubi fuisset, se deiectum diceret; alterum, si qui ab eo loco, quo veniret*] Erf. *se eiectum, in quo esset; alterum, si ab eo loco quo veniret, vi deiectus esset.* O.

interdictum pertineret: unum, si qui ex eo loco, ubi fuis-
set, se deiectum diceret; alterum, si qui ab eo loco, quo
veniret; et horum utrumque, neque praeterea quidquam,
potest accidere, recuperatores; id adeo, si placet, consi-
derate.

87 Si qui meam familiam de meo fundo deiecerit, ex eo
me loco deiecerit; si qui mihi praesto fuerit cum armatis
hominibus extra meum fundum et me introire prohibuerit,
non ex eo, sed eo ab loco me deiecerit. Ad haec duo
genera rerum unum verbum, quod satis declararet utrasque
res, invenerunt: ut, sive ex fundo sive a fundo deiectus
essem, uno atque eodem interdicto restitueret, UNDE TU.
Hoc verbum, UNDE, utrumque declarat et ex quo loco et
a quo loco. Unde deiectus est Cinna? ex urbe; unde deie-
cisti? ab urbe; unde deiecti Galli? a Capitolio; unde qui
88 cum Graccho fuerunt? ex Capitolio. Videtis igitur hoc uno
verbo significari res duas, et ex quo et a quo loco. Cum
autem eo restitui iubet, ita iubet: ut, si Galli a maioribus
nostris postularent, ut eo restituerentur, unde deiecti essent,
et aliqua vi hoc assequi possent: non, opinor, eos in cuni-
culum, qua aggressi erant, sed in Capitolium restitui opor-
teret: hoc enim intelligitur. UNDE TU DEIECISTI, sive ex
quo loco, sive a quo loco, EO RESTITUAS; hoc iam simplex
est, in eum locum restituas: sive ex hoc loco deiecisti,
restitue in hunc locum: sive ab hoc loco, restitue in eum
locum, non ex quo, sed a quo deiectus est. Ut si qui ex
alto, cum ad patriam accessisset, tempestate subito reiectus
optaret, ut, cum esset a patria deiectus, eo restitueretur,
hoc, opinor, optaret, ut, a quo loco depulsus esset, in eum
se fortuna restitueret, non in salum, sed in ipsam urbem,
quam petebat: sic (quoniam verborum vim necessario simi-
litudine rerum aucupamur) qui postulat, ut, a quo loco
deiectus est, hoc est, unde deiectus est, eo restituatur, hoc
postulat, ut in eum ipsum locum restituatur.

---

§ 87. *fundo delegerit, si qui* mediis omissis Erf. Cfr. § 76. — *deiecisti? ab urbe*] corrupte Erf. *deiectus * * ? ab urbe* O. *deiecti Tusci? ab urbe* Buttmann. *deiecti Samnites? ab urbe* Pantag. *deiectus Carbo? ab urbe* Ascens. 1531.

§ 88. *verbo. unde. significari* Erf. — *loco. Vi. Cum* Erf. — *unde deiecisti* Erf. — *verborum vim*] Erf. *vim verb.* O.

XXXI. Cum verba nos eo ducunt, tum res ipsa hoc sentire atque intelligere cogit. Etenim, Piso, (redeo nunc ad illa principia defensionis meae), si quis te ex aedibus tuis vi, hominibus armatis deiecerit, quid ages? Opinor, hoc interdicto, quo nos usi sumus, persequere. Quid? si qui iam de foro redeuntem armatis hominibus domum tuam te introire prohibuerit? quid ages? Utere eodem interdicto. Cum igitur praetor interdixerit, unde deiectus es, ut eo restituaris, tu hoc idem, quod ego dico et quod perspicuum est, interpretabere: cum illud verbum, Unde, in utramque rem valeat eoque tu restitui sis iussus, tam te in aedes tuas restitui oportere, si e vestibulo, quam si ex interiore aedium parte deiectus sis.

Ut vero iam, recuperatores, nulla dubitatio sit, sive 90
rem sive verba spectare voltis, quin secundum nos iudicetis, exoritur hic iam obrutis rebus omnibus et perditis illa defensio, eum deiici posse, qui tum possideat; qui non possideat, nullo modo posse; itaque, si ego sim a tuis aedibus deiectus, restitui non oportere: si ipse sis, oportere. Numera, quam multa in ista defensione falsa sint, Piso. Ac primum illud attende, te iam ex illa ratione esse depulsum, quod negabas quemquam deiici posse, nisi inde, ubi tum esset: iam posse concedis; eum, qui non possideat, negas deiici posse. Cur ergo aut in illud quotidianum interdictum, Unde 91
ille me vi deiecit, additur, Cum ego possiderem, si deiici nemo potest, qui non possidet? aut in hoc interdictum, De hominibus armatis, non additur, si oportet quaeri, possederit, necne? Negas deiici, nisi qui possideat? Ostendo, si sine armatis coactisve hominibus deiectus quispiam sit, eum, qui fateatur se deiecisse, vincere sponsionem, si ostendat, eum non possedisse. Negas deiici, nisi qui possideat? Ostendo ex hoc interdicto, De armatis hominibus, qui pos-

---

§ 90. *nisi inde, ubi tum esset; iam posse concedis*] Sic emendavi nunc corruptam scripturam Erf. et Ed. Ven. *nisi indubium esse etiam p. c.* Apud Ern. sic est: *quod negabas quemquam deiici posse, nisi qui in eo loco fuerit; nunc qui possideat, etiamsi non fuerit in eo loco, deiici posse concedis. Cur ergo* cet. Verba, quae desunt apud Ern. *eum qui non possideat, negas deiici posse* firmantur ab Erf.

§ 91. *quispiam*] Erf. *quisquam* O.

sit ostendere non possedisse eum, qui deiectus sit, condemnari tamen sponsionis necesse esse, si fateatur esse deiectum.

92 XXXII. Dupliciter homines deiiciuntur: aut sine coactis armatisve hominibus, aut per eiusmodi rationem atque vim. Ad duas dissimiles res duo diiuncta interdicta sunt. In illa vi quotidiana non satis est posse dócere se deiectum, nisi ostendere potest, cum possideret, tum deiectum. Ne id quidem satis est, nisi docet ita se possedisse, ut nec vi nec clam nec precario possederit. Itaque is, qui se restituisse dixit, magna voce saepe confiteri solet se vi deiecisse: verum illud addit, „Non possidebat:“ vel etiam, cum hoc ipsum concessit, vincit tamen sponsionem, si planum facit ab se

93 illum aut vi aut clam aut precario possedisse. Videtisne, quot defensionibus eum, qui sine armis ac multitudine vim fecerit, uti posse maiores voluerint? Hunc vero, qui ab iure, officio, bonis moribus ad ferrum, ad arma, ad caedem confugerit, nudum in causa destitutum videtis, ut, qui armatus de possessione contendisset, inermus plane de sponsione certaret. Ecquid igitur interest, Piso, inter haec interdicta? ecquid interest, utrum in hoc sit additum, Cum A. Caecina possederit, necne? Ecquid te ratio iuris, ecquid interdictorum dissimilitudo, ecquid auctoritas maiorum commovet? Si esset additum, de eo quaeri oporteret: additum non est;

94 tamen oportebit? Atque ego in hoc Caecinam non defendo; possedit enim Caecina, recuperatores: et id, tametsi extra causam est, percurram tamen brevi, ut non minus hominem ipsum quam ius commune defensum velitis.

Caeseniam possedisse propter usumfructum non negas. Qui colonus habuit conductum de Caesennia fundum, cum idem ex eadem conductione fuerit in fundo, dubium est, quin, si Caesennia tum possidebat, cum erat colonus in fundo, post eius mortem heres eodem iure possederit? Deinde ipse Caecina, cum circuiret praedia, venit in istum

---

§. 92. *potest*] Erf. *possit* O. — *restituisse dicit* Lamb. — *tamen sponsione* h. l. Erf., non supra. Cfr. Huschke Analecta p. 146.

§ 93. *inermus*] Erf. *inermis* O. — *utrum in hoc sit add.*] Erf. *utrum hoc add.* O.

fundum; rationes a colono accepit; sunt in eam rem testi-
monia. Postea cur, Aebuti, de isto potius fundo quam de 95
alio, si quem habes, Caecinae denuntiabas, si Caecina non
possidebat? Ipse porro Caecina cur se moribus deduci vole-
bat, idque tibi de amicorum, † de his, de Aquillii sententia
responderat?

XXXIII. At enim Sulla legem tulit. Ut nihil de illo
tempore, nihil de calamitate rei publicae querar, hoc tibi
respondeo, adscripsisse eundem Sullam in eandem legem,
SI QVID IVS NON ESSET ROGARIER, EIVS EA LEGE NIHILVM
ROGATVM. Quid est, quod ius non sit, quod populus iubere
aut vetare non possit? Ut ne longius abeam, declarat ista
adscriptio esse aliquid; nam, nisi esset, hoc in omnibus
legibus non adscriberetur. Sed quaero abs te, putesne, si 96
populus iusserit me tuum aut item te meum servum esse,
id iussum ratum aut firmum futurum? Perspicis hoc nihil
esse, † et ea teris, quae inter. Primum illud concedis, non,
quidquid populus iusserit, ratum esse oportere: deinde nihil
rationis affers, quamobrem, si libertas adimi nullo modo
possit, civitas possit; nam et eodem modo de utraque re
traditum nobis est, et, si semel civitas adimi potest, reti-
neri libertas non potest. Qui enim potest iure Quiritium
liber esse is, qui in numero Quiritium non est? Atque 97
ego hanc adolescentulus causam cum agerem contra homi-
nem disertissimum nostrae civitatis, Cottam, probavi. Cum
Arretinae mulieris libertatem defenderem, et Cotta decem-
viris religionem iniecisset non posse nostrum sacramentum

---

§ 95. *de amicorum* cet.] Cum Erf. mendose sic habeat: *de amicorum de his de Aquilii*, patet v. *etiam* volgatae ab interpolatore esse, et, ut videtur, etiam v. *ipsius*. Scilicet: *de amicorum, etiam de ipsius C. Aquilii* O. — *responderat. et aeum?* Erf. similiterque O5x. *r. et ad eum?* in quo quid lateat non perspicio. Fortasse tamen non est aliud nisi geminatio seqq. vv. *at enim*.

§ 96. *aut firmum*] Erf. *atque firmum* O. — *et ea teris, quae inter. primum*] Erf. Codd. noti. Graevius: *et fateris*, reliqua non expediens. — *esse, ut in ceteris, quae rogavit. Primum* Lamb. Ern.

§ 97. *nostrum sacr.*] Erf. *sacr. nostrum* O. — *omni iure*] Erf. *omnes iure* O. — *commemorem dubium esse nemini vestrum?*] Erf. *commemorem? dubium nemini vestrum est* O.

iustum iudicari, quod Arretinis adempta civitas esset, et ego
vehementius contendissem, civitatem adimi non potuisse,
decemviri prima actione non iudicaverunt; postea re quae-
sita et deliberata sacramentum nostrum iustum iudicaverunt.
Atque hoc et contra dicente Cotta et Sulla vivo iudicatum
est. Iam vero in ceteris, ut omnes, qui in eadem causa
sunt, et lege agant et suum ius persequantur et omni iure
civili sine cuiusquam aut magistratus aut iudicis aut periti
hominis aut imperiti dubitatione utantur, quid ego comme-
morem dubium esse nemini vestrum?
98 XXXIV. † Certo quaeri hoc solere me non praeterit
(ut ex me ea, quae tibi in mentem non veniunt, audias),
quemadmodum, si civitas adimi non possit, in colonias La-
tinas saepe nostri cives profecti sint. Aut sua voluntate
aut legis multa profecti sunt: quam multam si sufferre vo-
luissent, tamen manere in civitate potuissent. Quid? quem
pater patratus dedidit aut suus pater populusve vendidit,
quo is iure amittit civitatem? Ut religione civitas solvatur,
civis Romanus traditur; qui cum est acceptus, est eorum,
quibus est deditus: si non accipiunt, ut Mancinum Numan-
tini, retinet integram causam et ius civitatis. Si pater ven-
didit eum, quem in suam potestatem susceperat, ex pote-
99 state dimittit. Iam populus, cum eum vendit, qui miles
factus non est, non adimit ei libertatem: sed iudicat non
esse eum liberum, qui, ut liber sit, adire periculum noluit;
cum autem incensum vendit, hoc iudicat: cum ei, qui in
servitute iusta fuerunt, censu liberentur, eum, qui, cum
liber esset, censeri noluerit, ipsum sibi libertatem abiudica-
visse. Quod si maxime hisce rebus adimi libertas aut civi-
tas potest, non intelligunt, qui haec commemorant, si per
has rationes maiores adimi posse voluerunt, alio modo no-
100 luisse? Nam ut haec ex iure civili proferunt, sic afferant

---

§ 98. *Certo quaeri*] Erf., unde probabile fit hic quoque latere illud v. sine ulla dubitatione Tullianum, sed ubique fere corruptum: *Ceteroqui quaeri.* Eodem redit Ern. coni.: *Ceterum quaeri.* — *tamen manere*] Erf. O5x. *tum m.* O. — *dedit* Erf.

§ 99. *ei - - fuerunt - - liberentur - - abiudicavisse*] Erf. *is - - fuerit - - liberetur abiudicasse* O. — *hisce rebus*] Iunta. Iordan. *iisce rebus* O. (*visceribus* Erf.) — *maiores adimi*] Erf. *adimi maiores* P.

§ 100. *proferunt*] Sic scribendum videbatur ex Erf. *profuerunt* pro volg.

velim, quibus lege aut rogatione civitas aut libertas erepta sit. Nam quod ad exilium attinet, perspicue intelligi potest, quale sit. Exilium enim non supplicium est, sed perfugium portusque supplicii; nam qui volunt poenam aliquam subterfugere, aut calamitatem, eo solum vertunt, hoc est, sedem ac locum mutant. Itaque nulla in lege nostra reperietur, ut apud ceteras civitates, maleficium ullum exilio esse multatum. Sed cum homines vincla, neces ignominiasque vitant, quae sunt legibus constitutae, confugiunt quasi ad aram in exilium; qui, si in civitate legis vim subire vellent, non prius civitatem quam vitam amitterent; quia nolunt, non adimitur iis civitas, sed ab iis relinquitur atque deponitur. Nam cum ex nostro iure duarum civitatum nemo esse possit, tum amittitur haec civitas denique, cum is, qui profugit, receptus est in exilium, hoc est, in aliam civitatem.

XXXV. Non me praeterit, recuperatores, tametsi de 101
hoc iure multa praetereo, tamen me longius prolapsum esse,
quam ratio vestri iudicii postularit. Verum id feci, non
quod vos in hac causa hanc defensionem desiderare arbitrarer,
sed ut omnes intelligerent nec ademptam cuiquam
civitatem esse nec adimi posse. Hoc cum eos scire volui,
quibus Sulla voluit iniuriam facere, tum omnes ceteros novos
veteresque cives; neque enim ratio afferri potest, cur,
si cuiquam novo civi potuerit adimi civitas, non omnibus
patriciis, omnibus antiquissimis civibus possit. Nam ad hanc 102
quidem causam nihil hoc pertinuisse primum ex eo intelligi
potest, quod vos ea de re iudicare non debetis; deinde quod
Sulla ipse ita tulit de civitate, ut non sustulerit horum nexa
atque hereditates; iubet enim eodem iure esse, quo fuerint

---

protulerunt. — *rogatione*] A. Augustinus. *ratione* Erf. O6x. *Romana* O. — Fortasse *ei (ii) solum vertunt.* — *cum omnes* Erf. In v. *vincula* deficit Erf. In seqq. bis dedi *iis* pro *his*.

§ 102. *duodecim coloniarum*] Sic Codd. Edd. Recte Walter *Geschichte des röm. Rechts* p. 203. interpretatur de duodecim coloniis Latinis a M. Livio Druso a. u. c. 630 deductis. Cfr. Appian. B. C. 1, 23. Plutarch. C. Gracch. 9, 10. *duodeviginti (IIXX.* pro *XII.)* Savigny *Zeitschrift.* 5, 2, p. 237. Scil. XVIII. coloniae Latinae, quae bello Punico secundo in Romanorum fide permanserunt. Cfr. Livium 27, 9, 10. et 29, 15, 37. — Fort. *offendendum est.*

Ariminenses: quos quis ignorat duodecim coloniarum fuisse et a civibus Romanis hereditates capere potuisse? Quod si adimi civitas A. Caecinae lege potuisset, magis illam rationem tamen omnes boni quaereremus, quemadmodum spectatissimum pudentissimumque hominem, summo consilio, summa virtute, summa auctoritate domestica praeditum, levatum iniuria civem retinere possemus, quam uti nunc, cum de iure civitatis nihil potuerit deperdere, quisquam existat, nisi tui, Sexte, similis et stultitia et impudentia,
103 qui huic civitatem ademptam esse dicat. Qui quoniam, recuperatores, suum ius non deseruit neque quidquam illius audaciae petulantiaeque concessit, derelinquo iam communem causam populique Romani ius in vestra fide ac religione depono.

XXXVI. Is homo ita se probatum vobis vestrique similibus semper voluit, ut id non minus in hac causa laborarit nec contenderit aliud, quam ne ius suum dissolute relinquere videretur nec minus vereretur, ne contemnere Aebutium, quam ne ab eo contemptus esse existimaretur.
104 Quapropter si quid extra iudicium est, quod homini tribuendum sit, habetis hominem singulari pudore, virtute cognita et spectata fide, amplissimis viris Etruriae totius, in utraque fortuna cognitum multis signis et virtutis et humanitatis. Si quid in contraria parte in homine offendendum sit, habetis eum, ut nihil dicam amplius, qui se homines coëgisse fateatur. Sin, hominibus remotis, de causa quaeritis, cum iudicium de vi sit, is, qui arguitur, vim se hominibus armatis fecisse fateatur, verbo se, non aequitate defendere conetur, id quoque ei verbum ipsum ereptum esse videatis; auctoritatem sapientissimorum hominum facere nobiscum; in iudicium non venire, utrum Caecina possederit necne; tamen doceri possedisse: multo etiam minus quaeri, A. Caecinae fundus sit necne; me tamen id ipsum docuisse, fundum esse Caecinae: cum haec ita sint, statuite, quid vos tempora rei publicae de armatis hominibus, quid illius confessio de vi, quid nostra decisio de aequitate, quid ratio interdicti de iure admoneant, ut iudicetis.

M. TULLII CICERONIS
ORATIO
DE
IMPERIO CN. POMPEII
SIVE
PRO LEGE MANILIA.

MONITUM.

Cum nulla adhuc praeclarae huius orationis extet editio scholastica ad auctoritatem optimi inter nunc accuratius notos Codicis Erfurtensis diligenter exacta: (nam et Steinmetzius et ipse Madvigius, V. C. primariis Tullii criticis merito adnumerandus, suo quisque consilio usi non tam illud spectarunt, quam ut probabiliter ex illo Cod. aliisque emendarent priorem aliquam recensionem, Danus meam, Ernestianam Germanus): ego eandem viam ingredi statui, quam secutum videram Beneckium in optima editione philologis ac magistris, non discipulis destinata, ita tamen ut meam recensionem prius conficerem, quam illam cum mea contenderem. Accedebat scilicet, quod habebam „vetusti“ Codicis Parcensis, qui tamen in § 51 desinebat, nunc deperditus videtur, collationem satis accuratam cum Manutiana a. 1554. a Levino Torrentio institutam. Uterque autem Codex et Erfurtensis et Parcensis in plerisque mirifice inter se conspirant; habet tamen singularia et fortasse vera quaedam Parcensis. Omnes eius lectiones omnesque Cod. Erfurtensis non aperte vitiosas hic exhibeo e regione Ernestianae lectionis, quo philologi quoque, non solum adolescentes, in hoc libello reperiant, quibus utantur. Etenim fateor hoc genus editionum mihi semper perquam gratum fuisse;

eas contra, quae ad critica subsidia nihil novi afferunt, aliis relinquere soleo. — Sed absoluta mea recensione eam vix decies a Beneckiana differre utriusque nomine laetatus sum. Annotationes historicas maxime adolescentibus necessarias ex optimis quibusque interpretibus selegi. (P. = Cod. Parcensis. E. = Erfurtensis -- „Palimpsestus" est Taurinensis a Peyrone collatus. Ceteri, Coloniensis, Hittorp., Verdensis Monacenses per se intelliguntur.)

ARGUMENTUM.

M. Aemilio, L. Volcatio Coss., (*a. u. c.* 688.) *cum L. Lucullus, qui proconsulari imperio bellum adversus Mithridatem prope septem annos administrarat, a senatu revocatus Romam rediisset, C. Manilius, tribunus plebis, ad populum tulit, ut eius belli administratio Cn. Pompeio committeretur, qui tum e lege Gabinia bellum contra piratas gerebat. Erant autem, secundum Plutarchum in vita Pompeii, rogationis capita fere haec: ut Asia provincia, cui Lucullus praefuerat, omneque eius imperium Pompeio mandaretur: et hoc amplius Bithynia adiungeretur, cui Glabrio praeerat: classis item et copiae omnes maritimae, quas piratico bello habuerat, multaeque praeterea provinciae, quae Gabinia lege Pompeio concessae non videbantur, Phrygia, Lycaonia, Galatia, Cappadocia, Cilicia, Colchis, Armenia; — qua lege quia Pompeii potentia nimis crescere videbatur, optimi quique perterriti sunt. Quare Q. Catulus et Hortensius rogationem dissuaserunt, Cicero vero, praetor creatus, persuadendam eam populo suscepit. Hinc factum est, ut Pompeius imperator belli Mithridatici cunctis suffragiis deligeretur.*

I. Quamquam mihi semper frequens conspectus vester 1
multo iucundissimus, hic autem locus ad agendum amplis-
simus, ad dicendum ornatissimus est visus, Quirites, tamen
hoc aditu laudis, qui semper optimo cuique maxime patuit,
non mea me voluntas adhuc, sed vitae meae rationes ab
ineunte aetate susceptae prohibuerunt. Nam, cum antea
per aetatem nondum huius auctoritatem loci attingere aude-
rem statueremque nihil huc nisi perfectum ingenio, elabo-
ratum industria afferri oportere, omne meum tempus ami-
corum temporibus transmittendum putavi. Ita neque hic 2
locus vacuus unquam fuit ab iis, qui vestram causam defen-
derent, et meus labor in privatorum periculis caste inte-
greque versatus ex vestro iudicio fructum est amplissimum
consecutus. Nam cum propter dilationem comitiorum ter
praetor primus centuriis cunctis renuntiatus sum, facile in-
tellexi, Quirites, et quid de me iudicaretis et quid aliis prae-
scriberetis. Nunc cum et auctoritatis in me tantum sit,
quantum vos honoribus mandandis esse voluistis, et ad
agendum facultatis tantum, quantum homini vigilanti ex
forensi usu prope quotidiana dicendi exercitatio potuit afferre;
certe et si quid auctoritatis in me est, [ea] apud eos utar,
qui eam mihi dederunt; et si quid in dicendo consequi pos-
sum, iis ostendam potissimum, qui ei quoque rei fructum
suo iudicio tribuendum esse censuerunt. Atque illud in pri- 3

VAR. LECTT. § 1. *voluntas adhuc*] E. recepit B. *voluntas* Ern. — *vitae meae*] P. E. *meae vitae* Ern. — *attingere* firmant P. E. Ante Graevium *contingere.*

§ 2. *Itaque neque* P. — *vacuus unquam* P. Habet *fuit* iam Ascens. 1531. — *mandandis* firmant P. E. Ante Graev. *mandandum.* — Habent etiam P. E. membrum illud in deterioribus Codd. omissum (sed P. cum mira varietate *effundam* pro *utar*): *si quid auctoritatis in me est, apud eos effundam* (*utar* E.) *qui mihi eam* (sic) *dederunt.* An scribendum: *apud hos ea utar* (e quo natum sit *effundam*) et -- *his ostendam?* (hoc postremum cum Codd.) Cum E. quoque omittat *ea*, [ ] Ben. — *in dicendo*] P. E. *etiam dic.* Ern. — *eius quoque* P. — *dixerunt* a prima manu, a sec. *duxerunt* pro *censuerunt* E. Sed cum *duxerunt* non sit nisi ex emendatione, eo minus ceterorum Codd., etiam P., lectioni praeferri debet. Praeterea praestat ditrocheus.

§ 3. *deesse nemini*] P. E. *nemini deesse* Ern. — *possit*] E. *potest* P. Ern.

ANNOTT. HIST. § 2. Praetorem primum inter octo, qui tum creari solebant, renuntiari maxime honorificum erat.

mis mihi laetandum iure esse video, quod in hac insolita mihi ex hoc loco ratione dicendi causa talis oblata est, in qua oratio deesse nemini possit. Dicendum est enim de Cn. Pompeii singulari eximiaque virtute; huius autem orationis difficilius est exitum quam principium invenire. Ita mihi non tam copia, quam modus in dicendo quaerendus est.

4 II. Atque, ut inde oratio mea proficiscatur, unde haec omnis causa ducitur, bellum grave et periculosum vestris vectigalibus ac sociis a duobus potentissimis regibus infertur, Mithridate et Tigrane; quorum alter relictus, alter lacessitus, occasionem sibi ad occupandam Asiam oblatam esse arbitrantur. Equitibus Romanis, honestissimis viris, afferuntur ex Asia quotidie litterae, (quorum magnae res aguntur in vestris vectigalibus exercendis occupatae: qui ad me pro necessitudine, quae mihi est cum illo ordine, causam rei publicae periculaque rerum suarum detulerunt):
5 Bithyniae, quae nunc vestra provincia est, vicos exustos esse complures; regnum Ariobarzanis, quod finitimum est vestris vectigalibus, totum esse in hostium potestate; Lucullum magnis rebus gestis ab eo bello discedere; huic qui successerit, non satis esse paratum ad tantum bellum administrandum; unum ab omnibus sociis et civibus ad id bellum imperatorem deposci atque expeti; eundem hunc unum ab hostibus metui, praeterea neminem.

6 Causa quae sit, videtis: nunc quid agendum sit, consi-

---

§ 4. *ac sociis*] P. E. *atque s.* Ern. — *arbitrantur*] E. *arbitratur* P. Ern.

§ 5. Firmant *successerit* P. E. Ante Graev. *succurrerit.* — Omittit v. *imperatorem* P., non E.

§ 6. *est enim*] E. *est* P. Ern. — *perseq. studium*] E. *stud. perseq.* Ern. — Om. v. *ad pers. stud.* P. — *in quo agitur*] P. E. *Agitur enim* Ern. Tum P.: *R. P.* pro *populi Ro.* — *in omnibus rebus*] E. *in rebus omnibus* (P.) Ern. — *quibus a vobis* (om. *est*) *et ab ipsa R. P. causa* P. Hinc orta falsa lectio Manutii: *et ab imperatoribus reip.* (sive ut Torrentius et Gronovius voluerunt: *P. R.*) *consulendum.*

---

§ 4. *alter relictus*] Mithridates non prorsus debellatus a L. Lucullo, Tigranes ab eodem lacessitus dumtaxat, non victus. — *ex Asia*] minore, quae tum a Romanis in provinciae formam redacta erat.

§ 5. *Bithynia*] mortuo Nicomede rege, qui populum Ro. regni sui heredem fecerat a. u. c. 680., in provinciam redacta est. — *Ariobarzanis*] Cappadociae regis. — *huic qui successerit*] M'. Acilius Glabrio cos. a. u. c. 687.

derate. Primum mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de imperatore deligendo esse dicendum. Genus est enim belli eiusmodi, quod maxime vestros animos excitare atque inflammare ad persequendi studium debeat; in quo agitur populi Romani gloria, quae vobis a maioribus cum magna in omnibus rebus, tum summa in re militari tradita est; agitur salus sociorum atque amicorum, pro qua multa maiores vestri magna et gravia bella gesserunt; aguntur certissima populi Romani vectigalia et maxima, quibus amissis et pacis ornamenta et subsidia belli requiretis; aguntur bona multorum civium, quibus est a vobis et ipsorum et rei publicae causa consulendum.

III. Et quoniam semper appetentes gloriae praeter cete- 7
ras gentes atque avidi laudis fuistis, delenda vobis est illa macula Mithridatico bello superiore suscepta: quae penitus iam insedit ac nimis inveteravit in populi Romani nomine: quod is, qui uno die, tota Asia, tot in civitatibus, uno nuntio atque una significatione litterarum cives Romanos necandos trucidandosque denotavit, non modo adhuc poenam nullam suo dignam scelere suscepit, sed ab illo tempore annum iam tertium et vicesimum regnat, et ita regnat, ut se non Ponto neque Cappadociae latebris occultare velit, sed emergere e patrio regno atque in vestris vectigalibus, hoc est, in Asiae luce versari. Etenim adhuc ita nostri cum illo rege contenderunt 8

---

§ 7. *bello Mithridatico* P. — Firmat *suscepta* P. *concepta* E. Madvig. — *ac nimis*] E. *atque* (P.) Ern. — *quod qui* P. — *tota in Asia* E. (non P.) — *sign. litt.*] E. *litt. sign.* (P.) Ern. — *denotavit*]. Mirum in modum duo gloss. diversa habent P. et E.; ille *mandavit*, hic *curavit*. — *Ponti* E. non P.

§ 8. *nostri cum*] E. *vestri cum* P. Ern. — om. *viri* P.

---

§ 7. *Mithridatico bello superiore*] Quod instauratum est a. u. c. 666. Nam initio eius belli Q. Oppium pro praetorem cepit et in vincula coniecit; M'. Aquilium asino insidentem Pergamum usque deduci iussit ibique ei aurum liquefactum in os infundi iussit; praefectis deinde Asiae universis mandavit, ut intra diem trigesimum Romanos et Italos omnes ad unum viros mulieres pueros, qui in Asia essent, trucidarent et necatos ne sepelirent, sed eorum corpora feris obiicerent. Appian. Mithrid. 20 seqq. Occisa civium Ro. 150000. Plut. Sulla 24. Dio 34, 176. vel 80000. Memnon. 11. Val. Max. 9, 2, 3. Hotom.

§ 8. L. Sulla et L. Murena triumpharunt de Mithr. a. u. c. 673. — *res publica*] oppressa scil. a Mario et Cinna et Carbone a. u. c. 670.

imperatores, ut ab illo insignia victoriae, non victoriam reportarent. Triumphavit L. Sulla, triumphavit L. Murena de Mithridate, duo fortissimi viri et summi imperatores, sed ita triumpharunt, ut ille pulsus superatusque regnaret. Verumtamen illis imperatoribus laus est tribuenda, quod egerunt, venia danda, quod reliquerunt; propterea quod ab eo bello Sullam in Italiam res publica, Murenam Sulla revocavit.

9 IV. Mithridates autem omne reliquum tempus non ad oblivionem veteris belli, sed ad comparationem novi contulit: qui posteaquam maximas aedificasset ornassetque classes, exercitusque permagnos, quibuscunque ex gentibus potuisset, comparasset et se Bosporanis, finitimis suis, bellum inferre simularet, usque in Hispaniam legatos ac litteras misit ad eos duces, quibuscum tum bellum gerebamus, ut, cum duobus in locis diiunctissimis maximeque diversis uno consilio a binis hostium copiis bellum terra marique gereretur, vos ancipiti contentione districti de imperio dimi-
10 caretis. Sed tamen alterius partis periculum, Sertorianae

---

§ 9. *belli veteris* P. non E. — *simularet*] P. E. *simulasset* Ern. — *ac litteras*] P. E. *Ecbatanis* Ascens. 1531. Ern. — Firmant P. E. lect. *a binis* pro *ab unis* Manut. — Firmant P. E. *districti* pro *distracti* Man.

§ 10. *rerum gestarum*] P. E. *gest. rerum* Ern.

---

§ 9. *Bosporanis*] accolis Bospori Cimmerii, quibus sub imperium redactis Mithridates Macharem filium regem imposuit. Appian. Mithr. 64. Ben. — *in Hispaniam*] ad Q. Sertorium legatos misit L. Magium et L. Fannium. Verr. I, 24, 87.

§ 10. *Cn. Pompeii*] a. u. c. 682. cum Sertorio a M. Perperna occiso Pompeius Perpernam victum captumque occidit bellumque confecit. Appian. B. C. I, 113 seqq. — *L. Lucullo*] qui ad Cyzicum, eodem a. 682. proelio victum Mithridatem in Pontum refugere coëgit; rursusque eodem anno ad Cabira ita fudit fugavitque Ponti regem, ut ad Tigranem profugeret. — *extrema, quae nuper*] a. u. c. 687. Mithridates et Tigranes victi ad Arsacen Parthorum regem confugerant eumque adversus Romanos sollicitaverant. Qua re cognita Lucullus cum in Parthos castra movere statuisset, seditione militum exceptus, qui asperitatem caeli et longinquitatem expeditionis ac difficultatem non magis reformidarent, quam incitati maxime a Clodio, homine seditioso eodemque uxoris Luculli fratre, austeritatem ducis detestarentur, redire coactus est. Quo facto Mithridates in Pontum reversus, Q. Fabio, quem Lucullus in Ponto ad praesidium reliquerat, victo, regnum suum recuperavit. Quo quidem pudore adducti milites Romani ignominiam istam ulturi ad arma concurrerunt, sed imprudentia C. Triarii legati, cum imperatori, qui confestim cum maxima exercitus parte subsequebatur, praecipere victoriam

atque Hispaniensis, quae multo plus firmamenti ac roboris habebat, Cn. Pompeii divino consilio ac singulari virtute depulsum est; in altera parte ita res a L. Lucullo, summo viro, est administrata, ut initia illa rerum gestarum magna atque praeclara non felicitati eius, sed virtuti, haec autem extrema, quae nuper acciderunt, non culpae, sed fortunae tribuenda esse videantur. Sed de Lucullo dicam alio loco, et ita dicam, Quirites, ut neque vera laus ei detracta oratione nostra neque falsa afficta esse videatur. De vestri 11
imperii dignitate atque gloria, quoniam is est exorsus orationis meae, videte, quem vobis animum suscipiendum putetis.

V. Maiores nostri saepe mercatoribus aut naviculariis iniuriosius tractatis bella gesserunt: vos tot civium Romanorum milibus uno nuntio atque uno tempore necatis quo tandem animo esse debetis? Legati quod erant appellati superbius, Corinthum patres vestri, totius Graeciae lumen exstinctum esse voluerunt: vos eum regem inultum esse patiemini, qui legatum populi Romani consularem vinculis ac verberibus atque omni supplicio excruciatum necavit? Illi libertatem civium Romanorum imminutam non tulerunt; vos vitam ereptam negligetis? Ius legationis verbo violatum illi persecuti sunt; vos legatum omni supplicio interfectum relinquetis? Videte, ne, ut illis pulcherrimum fuit 12

§ 11. *nostri*] E. *vestri* (P.) Ern. — *aut nav.*] P. E. *ac nav.* Ern. (*nav. nostris* E. non P.) — *milibus C. R.*] E. *C. R. milibus* Ern. — *extinctam* P. (unus nunc notus ex antiquioribus.) — *legatum consularem vinc.* P.

§ 12. *tradere*] E. *relinquere* (P.) Ern. — *id, quod*] P. E. *illud, quod* Ern. — *et servare* P. — *vocatur? quo tandem animo ferre debetis?*] E. *vocatur* P. Ern. — *est exp.*] E. *exp. est* Ern. — *magnit. peric.* P. — *se id*] P. E. *id se* Ern. — *sine summo*] E. *summo sine* (P.) Ern. — *unum esse* P. — *propter*] E. *prope* Ern. (*cum Pompeium esse* P.)

vellet, meritam imprudentiae poenam dederunt, et Lucullus tantummodo opportune advenit, ut ingentem suorum stragem aspicere posset. Plut. Luc. 35. Appian. Mithr. 89. Dio Cass. 35. Ben.

§ 11. *appellati superbius*] Polyb. Exc. de Legatt. 144. *οἱ πολλοὶ -- χλευάζοντες τοὺς πρέσβεις μετὰ θορύβου καὶ κραυγῆς ἐξέβαλον.* Hoc scil. obtentui sumebatur; vera causa opportunitas erat loci, ne quando locus ipse ad bellum faciendum exhortari posset. cfr. in Rullum 2, § 87. Offic. 1, § 35. — *legatum*] M'. Aquilium cos. a. u. c. 653. Legatus missus in Asiam ad Nicomedem et Ariobarzanem a. u. c. 664. cfr. ad § 7.

§ 12. *alium*] M'. Acilium Glabrionem a. u. c. 687.

tantam vobis imperii gloriam tradere, sic vobis turpissimum sit, id, quod accepistis, tueri et conservare non posse.

Quid, quod salus sociorum summum in periculum ac discrimen vocatur, quo tandem animo ferre debetis? Regno est expulsus Ariobarzanes rex, socius populi Romani atque amicus; imminent duo reges toti Asiae non solum vobis inimicissimi, sed etiam vestris sociis atque amicis; civitates autem omnes, cuncta Asia atque Graecia vestrum auxilium exspectare propter periculi magnitudinem coguntur; imperatorem a vobis certum deposcere, cum praesertim vos alium miseritis, neque audent neque se id facere sine summo
13 periculo posse arbitrantur. Vident et sentiunt hoc idem, quod vos, unum virum esse, in quo summa sint omnia, et eum propter esse, quo etiam carent aegrius: cuius adventu ipso atque nomine, tametsi ille ad maritimum bellum venerit, tamen impetus hostium repressos esse intelligunt ac retardatos. Hi vos, quoniam libere loqui non licet, tacite rogant, ut se quoque, sicut ceterarum provinciarum socios, dignos existimetis, quorum salutem tali viro commendetis; atque hoc etiam magis, quod ceteros in provinciam eiusmodi homines cum imperio mittimus, ut, etiamsi ab hoste defendant, tamen ipsorum adventus in urbes sociorum non multum ab hostili expugnatione differant. Hunc audiebant antea, nunc praesentem vident tanta temperantia, tanta mansuetudine, tanta humanitate, ut ii beatissimi esse videantur, apud quos ille diutissime commoratur.

14 VI. Quare, si propter socios nulla ipsi iniuria lacessiti, maiores nostri cum Antiocho, cum Philippo, cum Aetolis,

---

§ 13. *quod ceteros in prov. eiusmodi hom.*] E. *quod ceteros eiusmodi homines in provinciam cum mittitis* (sic) *etiam si eos ab hoste* P. *quam ceteros, quod eiusmodi in provinciam homines cum imp. mittimus* Ern. — *ut beatissimi* P. — Firmant P. E. *commoratur*, pro quo Lambinus *commoretur*.

§ 14. *lacessiti iniuria* P. — *nostri*] E. *vestri* P. Ern. — *maximis vestris*] P. E. *vestris max.* Ern. — *ut ad* P. — *Asia tam* P. — *ac fert.*] E. *et fert.* Ern. — *exportentur* E. non P. — *omnes terras antecedat* P. — *Haec itaque* P. — *retinere*] E. *sustinere* (P.) Ern.

---

§ 13. *maritimum bellum*] adversus piratas Cilicas lege Gabinia eodem anno Pompeius missus est.

cum Poenis bella gesserunt, quanto vos studio convenit iniuriis provocatos sociorum salutem una cum imperii vestri dignitate defendere? praesertim cum de maximis vestris vectigalibus agatur.

Nam ceterarum provinciarum vectigalia, Quirites, tanta
sunt, ut iis ad ipsas provincias tutandas vix contenti esse
possimus; Asia vero tam opima est ac fertilis, ut et uber-
tate agrorum et varietate fructuum et magnitudine pastionis
et multitudine earum rerum, quae exportantur, facile omni-
bus terris antecellat. Itaque haec vobis provincia, Quirites,
si et belli utilitatem et pacis dignitatem retinere voltis, non
modo a calamitate, sed etiam a metu calamitatis est defen-
denda. Nam in ceteris rebus, cum venit calamitas, tum 15
detrimentum accipitur; at in vectigalibus non solum adven-
tus mali, sed etiam metus ipse affert calamitatem. Nam
cum hostium copiae non longe absunt, etiam si irruptio
nulla facta est, tamen pecua relinquuntur, agri cultura
deseritur, mercatorum navigatio conquiescit. Ita neque ex
portu neque ex decumis neque ex scriptura vectigal conser-
vari potest; quare saepe totius anni fructus uno rumore
periculi atque uno belli terrore amittitur. Quo tandem igi- 16
tur animo esse existimatis aut eos, qui vectigalia nobis
pensitant, aut eos, qui exercent atque exigunt, cum duo
reges cum maximis copiis propter adsint? cum una ex-
cursio equitatus perbrevi tempore totius anni vectigal au-
ferre possit? cum publicani familias maximas, quas in sali-
nis habent, quas in agris, quas in portubus atque custodiis,
magno periculo se habere arbitrentur? Putatisne vos illis
rebus frui posse, nisi eos, qui vobis fructui sunt, conser-
varitis, non solum (ut ante dixi) calamitate, sed etiam cala-
mitatis formidine liberatos?

---

§ 15. *in ceteris*] P. E. *ceteris in* Ern. — *nulla facta*] P. E. *facta nulla* Ern. — *est*] E. *sit* (P.) Ern. — *pecua*] Servius ad Georg. 3, 64. Torrentius in marg. Madvig. Benecke. *pecora* P. E. Ern.

§ 16. *tandem igitur*] Hittorp. *tandem* E. Ern. — *copiis propter adsint*] E. *copiis adsunt* (sic) P. (quod ut § 13. signo est, librarium haesisse in v. insolito.)

---

§ 16. *atque custodiis*] Non erat, cur haec in suspicionem adduceret Benecke. Eae sunt custodiae, quas nos dicimus *Mauthposten*. Scil. societatibus publicanorum

17 VII. Ac ne illud quidem vobis negligendum est, quod mihi ego extremum proposueram, cum essem de belli genere dicturus, quod ad multorum bona civium Romanorum pertinet; quorum vobis pro vestra sapientia, Quirites, habenda est ratio diligenter. Nam et publicani, homines honestissimi atque ornatissimi, suas rationes et copias in illam provinciam contulerunt; quorum ipsorum per se res et fortunae vobis curae esse debent. Etenim si vectigalia nervos esse rei publicae semper duximus, eum certe ordinem, qui exercet illa, firmamentum celerorum ordinum recte esse
18 dicemus. Deinde ex celeris ordinibus homines navi atque industrii partim ipsi in Asia negotiantur, quibus vos absentibus consulere debetis, partim eorum in ea provincia pecunias magnas collocatas habent. Est igitur humanitatis vestrae magnum numerum eorum civium calamitate prohibere, sapientiae, videre multorum civium calamitatem a re publica seiunctam esse non posse. Etenim primum illud parvi refert, nos publicanis amissis vectigalia postea victoria recuperare: neque enim iisdem redimendi facultas erit propter calami-
19 tatem, neque aliis voluntas propter timorem. Deinde quod nos eadem Asia atque idem iste Mithridates initio belli Asia-

---

copiis prope adsint Ern. — *salinis*] Sic etiam P. E. *saltibus* Hotomanus. — *e's rebus* P. — *eos, qui vobis fructui sunt*] E. (*fructui vobis* Arus. Lind. p. 231.) *eos quibus fructui s.* P. *eos, qui vobis fructuosi s,* Ern. — *conservaritis*] E. *conservaveritis* Ern. — *ante*] E. *antea* Ern.

§ 17. *civium reor pertinere* P. — *honestissimo atque*] E. *et honestissimi et* (P.) Ern. — *vobis curae*] P. E. *curae vobis* Ern.

§ 18. *ex ceteris*] E. *ceteris ex* Ern. — *atque ind.*] P. E. *et ind.* Ern. — *partim eorum*] E. *partim suas et suorum* Ern. — *Est*] P. E. *Erit* Ern. — *numerum eorum civium*] E. *eorum civ. num.* Ern. — *a calamitate pr.* P. ut § 19. — *primum illud*] E. *illud primum* Ern. — *nos*] E. *vos* Ern. — *amissis*] P. E. *amissa* Ern.

§ 19. *certe id quidem*] P. E. *id quidem certe* Ern. — *nam quia cum in A.* P. — *amiserunt* Benecke ex Edd. vett. — *ac*] P. E. *atque* Ern. — *trahant calam.*] P. E. *calam. trahant* Ern. — *labefacta*] P. E. *labefactata* Ern. — *vobis dubit.* P. — *civium cum re p. coniunctae d.* E. (Verd. Hitt.: *coniunctae cum re p. d.*) Nihilominus videtur e gloss. vel etiam e corruptela v. *Quirites*, quod saepe mirum in modum a veritate detortum est. Singularis enim et fortasse vera est lectio P.: *civium, Quirites, defendantur.* (coniunctivus tamen repudiandus).

---

utique suorum hominum custodiis erat providendum, ne portoriis ac vectigalibus defraudarentur, cum milites Romani ei muneri non adhiberentur.

tici docuit, certe id quidem calamitate docti memoria retinere debemus: nam tum, cum in Asia res magnas permulti amiserant, scimus, Romae solutione impedita fidem concidisse. Non enim possunt una in civitate multi rem ac fortunas amittere, ut non plures secum in eandem trahant calamitatem. A quo periculo prohibete rem publicam et mihi credite, id quod ipsi videtis: haec fides atque haec ratio pecuniarum, quae Romae, quae in foro versatur, implicita est cum illis pecuniis Asiaticis et cohaeret; ruere illa non possunt, ut haec non eodem labefacta motu concidant. Quare videte, num dubitandum vobis sit omni studio ad id bellum incumbere, in quo gloria nominis vestri, salus sociorum, vectigalia maxima, fortunae plurimorum civium cum re publica defenduntur.

VIII. Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitu- 20
dine pauca dicam. Potest hoc enim dici: belli genus esse ita necessarium, ut sit gerendum; non esse ita magnum, ut sit pertimescendum. In quo maxime laborandum est, ne forte a vobis, quae diligentissime providenda sunt, contemnenda esse videantur. Atque ut omnes intelligant me L. Lucullo tantum impertire laudis, quantum forti viro et sapienti homini et magno imperatori debeatur, dico, eius adventu maximas Mithridatis copias omnibus rebus ornatas atque instructas fuisse, urbemque Asiae clarissimam nobisque amicissimam Cyzicenorum obsessam esse ab ipso rege maxima multitudine et oppugnatam vehementissime, quam L. Lucullus virtute assiduitate consilio summis obsidionis periculis liberavit; ab eodem imperatore classem magnam 21
et ornatam, quae ducibus Sertorianis ad Italiam studio in-

---

§ 20. *hoc enim*] E. *enim hoc* Ern. — *a vobis*] Firmant P. B. *ea vobis* Buttmann. — *contempta* Nescio cuius susp. — *sapienti*] P. E. *sapientissimo* Ern.

§ 21. *inflammata*] E. *inflammato* Ern. — *legionibus Pontum* P. — *fuisset*] E. *esset* Ern. — *ornatas a. refertas*] P. E. *ornata a. referta* Ern. — *uno aditu adventuque*] E. *uno adventu* P. *uno aditu atque adventu* Ern. — *ad alias*] E. *alias* Ern. — *haec esse* E. — Firmant P. E. lect. *atque ita, Quirites, ut.* Sed P. *ut vos int.*

---

§ 21. *ducibus Sertorianis*] nominatim L. Vario, senatore Ro. Bis autem Mithridatis classem devicit, primum inter Tenedum et Achaeorum portum, deinde ad Lemnum, ubi Varius captus et, quoniam in triumpho duci Romanum senatorem non placebat, occisus est. Appian. Mithr. 77.

flammata raperetur, superatam esse atque depressam; magnas hostium praeterea copias multis proeliis esse deletas patefactumque nostris legionibus esse Pontum, qui ante populo Romano ex omni aditu clausus fuisset; Sinopen atque Amisum, quibus in oppidis erant domicilia regis, omnibus rebus ornatas atque refertas ceterasque urbes Ponti et Cappadociae permultas uno aditu adventuque esse captas; regem spoliatum regno patrio atque avito ad alios se reges atque ad alias gentes supplicem contulisse: atque haec omnia salvis populi Romani sociis atque integris vectigalibus esse gesta. Satis opinor hoc esse laudis, atque ita, Quirites, ut hoc vos intelligatis, a nullo istorum, qui huic obtrectant legi atque causae, L. Lucullum similiter ex hoc loco esse laudatum.

22 IX. Requiretur fortasse nunc, quemadmodum, cum haec ita sint, reliquum possit magnum esse bellum. Cognoscite, Quirites, non enim hoc sine causa quaeri videtur. Primum ex suo regno sic Mithridates profugit, ut ex eodem Ponto Medea illa quondam profugisse dicitur; quam praedicant in fuga fratris sui membra in iis locis, qua se parens persequeretur, dissipavisse, ut eorum collectio dispersa maerorque patrius celeritatem persequendi retardaret. Sic Mithridates fugiens maximam vim auri atque argenti pulcherrimarumque rerum omnium, quas et a maioribus acceperat et ipse bello superiore ex tota Asia direptas in suum regnum congesserat, in Ponto omnem reliquit. Haec dum nostri colligunt omnia diligentius, rex ipse e manibus effugit. Ita illum a persequendi studio maeror, hos laetitia tar-
23 davit. Hunc in illo timore et fuga Tigranes, rex Armenius,

---

§ 22. *magnum esse*] E. *esse magnum* Ern. — om. *sic* E. — *a persequendi*] P. *in pers.* Ern. — *a tam p.* E. quod ortum puto ex annot. „*a* vel *in.*“ Cum *vel* in Codd. scribatur litt. *l* cum lineola transversa ex *lin* scriba fecit *tam.* — *tardavit*] E. Manut. *retardavit* P. Ern.

§ 23. *Armeniae* P. — *quae animos* E. Recte praepos. defendit Bake Bibl. crit. n. 5, 2. p. 510. — *atque relig.* P. — *esse exerc.*] E. *exerc. esse* Ern. — *tametsi*] E. Schol. *etsi* Ern. — *movebatur* P.

---

§ 22. *fratris*] Apsyrti; *parens* Aeetes.

§ 23. *fani locupl.*] Comana Cappadociae significat, ubi Dianae Tauricae cultus exercebatur. Murena scilicet, ut ait Appianus Mithr. 64., a. u. 672. *διὰ*

excepit diffidentemque rebus suis confirmavit et afflictum
erexit perditumque recreavit: cuius in regnum posteaquam
L. Lucullus cum exercitu venit, plures etiam gentes contra
imperatorem nostrum concitatae sunt. Erat enim metus
iniectus iis nationibus, quas nunquam populus Romanus
neque lacessendas bello neque tentandas putavit; erat etiam
alia gravis atque vehemens opinio, quae per animos gentium
barbararum pervaserat, fani locupletissimi et religiosissimi
diripiendi causa in eas oras nostrum esse exercitum addu-
ctum. Ita nationes multae atque magnae novo quodam ter-
rore ac metu concitabantur. Noster autem exercitus, tametsi
urbem ex Tigrani regno ceperat et proeliis usus erat se-
cundis, tamen nimia longinquitate locorum ac desiderio suo-
rum commovebatur. Hic iam plura non dicam. Fuit enim 24
illud extremum, ut ex iis locis a militibus nostris reditus
magis maturus quam processio longior quaereretur: Mithri-
dates autem et suam manum iam confirmarat [et eorum,
qui se ex ipsius regno collegerant] et magnis adventitiis au-
xiliis multorum regum et nationum iuvabatur. Iam hoc
fere sic fieri solere accepimus, ut regum afflictae fortunae
facile multorum opes alliciant ad misericordiam, maximeque
eorum, qui aut reges sunt aut vivunt in regno: ut [iis] no-

---

§ 24. *fuit autem illud* P. — *nostris recessio maturior, quam processio* P. — *suam manum*] „Sensus impeditus est. Quid enim differunt *sua manus* et *ii, qui se ex eius regno collegerant*? Liber meus habet *suum animum* pro *suam manum*.“ (Coni. haec memoratur iam ab Sylvio; in eandemque incidit etiam Graevius). „*Suum animum* optime quadrat ad sensum.“ NUERNBERGER in Progr. Campodun. 1832. p. 5. Verum nimis dissoluta essent ista, putoque, si hoc voluisset Cicero, aliud nomen substantivum vocc. *et eorum* additurum fuisse. *Et* ante v. *eorum* [ ] Matthiae. Recte refutavit idem Nürnberger. Iam cum Cod. Hittorp. habeat *confirmarat eorum opera, qui ad eum ex ipsius regno concesserant*, volgata autem non nisi admodum contorte explicari possit: „et eos, quos ante secum habuerat, et eos, qui denuo se ad eum adiunxerant,“ concedo in Beneckii sententiam, qui duplicem interpolationem Ciceroni obtrusam esse arbitratur. In hac ipsa, quam meliores libri praebent, praetuli cum P. et Hittorp. *ipsius* pro *eius* E. Ern. —

Καππαδοκίας ἐσβαλὼν ἐς Κόμανα, κώμην ὑπὸ τῷ Μιθριδάτῃ μεγίστην, σεβάσμιον ἱερὸν καὶ πλούσιον ἔχουσαν -- εὐθέως ἐλεηλάτει· καὶ οὐδὲ τῶν ἱερῶν χρημάτων ὑποσχόμενος ἐχείμαζεν ἐν Καππαδοκίᾳ. — *urbem*] Tigranocerta caput Armeniae.

§ 24. *reditus*] Quantum potest, militum seditionem oratorie extenuat. cfr. ad § 10.

25 men regale magnum et sanctum esse videatur. Itaque tantum victus efficere potuit, quantum incolumis nunquam est ausus optare. Nam cum se in regnum suum recepisset, non fuit eo contentus, quod ei praeter spem acciderat, ut illam, posteaquam pulsus erat, terram unquam attingeret, sed in exercitum nostrum clarum atque victorem impetum fecit. Sinite hoc loco, Quirites, sicut poëtae solent, qui res Romanas scribunt, praeterire me nostram calamitatem, quae tanta fuit, ut eam ad aures imperatoris non ex proelio
26 nuntius, sed ex sermone rumor afferret. Hic in illo ipso malo gravissimaque belli offensione L. Lucullus, qui tamen aliqua ex parte iis incommodis mederi fortasse potuisset, vestro iussu coactus, quod imperii diuturnitati modum statuendum vetere exemplo putavistis, partem militum, qui iam stipendiis confecti erant, dimisit, partem Glabrioni tradidit. Multa praetereo consulto: sed ea vos coniectura perspicite, quantum illud bellum factum putetis, quod coniungant reges potentissimi, renovent agitatae nationes, suscipiant integrae gentes, novus imperator noster accipiat, vetere exercitu pulso.

27 X. Satis mihi multa verba fecisse videor, quare esset hoc bellum genere ipso necessarium, magnitudine periculosum: restat, ut de imperatore ad id bellum deligendo ac tantis rebus praeficiendo dicendum esse videatur. Utinam, Quirites, virorum fortium atque innocentium copiam tan-

---

adventiciis auxiliis] P. E. *adventiciis* Ern. — *iuvabatur*] P. E. *copiis iuvabatur* Ern. — *Iam hoc*] E. Schol. *Nam hoc* P. *Hoc iam* Ern. — *ut iis nomen regale*] E. (*ut* etiam P. *quod regale iis nomen* Ern. Cum Beneckio [ ] *iis*.

§ 25. *suum recepisset*] P. E. *recepisset suum* Ern. — *nostrum*] P. E. *vestrum* Ern. — *ad aures imperatoris*] de Madvigii coni. *ad aures Luculli imperatoris* P. E. *ad aures L. Luculli* Ern.

§ 26. *illo ipso*] P. E. *ipso illo* Ern. — *offensa* P. — *ex aliqua* P. — *nostro iussu* Monac. e. Benecke. Sed non convenit cum v. *putavistis*. — *confecti*] P. E. *confectis* Ern. Mox malim: *partem M'. Glabrioni*. — *perspicite*] P. E. *perspicitis* Ern. — *noster*] E. *vester* Ern. — *exercitu pulso*] P. E. *pulso exercitu* Ern.

§ 27. *esset hoc bellum*] E. *hoc b. esset* Ern. (*bellum genere ipso esset* P.)

---

§ 25. *sicut poëtae solent*] Cn. Naevii bellum Punicum primum et Q. Ennii annales videtur potissimum significare. — *nostram calamitatem*] duo proelia adversa, primum in L. Flaccum, alterum in C. Triarium, in quo civium plus septem milia caesa. Appian. Mithr. 89.

tam haberetis, ut haec vobis deliberatio difficilis esset, quemnam potissimum tantis rebus ac tanto bello praeficiendum putaretis. Nunc vero cum sit unus Cn. Pompeius, qui non modo eorum hominum, qui nunc sunt, gloriam, sed etiam antiquitatis memoriam virtute superarit, quae res est, quae cuiusquam animum in hac causa dubium facere possit? Ego 28
enim sic existimo, in summo imperatore quattuor has res inesse oportere, scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem. Quis igitur hoc homine scientior unquam aut fuit aut esse debuit? qui e ludo atque pueritiae disciplinis bello maximo atque acerrimis hostibus ad patris exercitum atque in militiae disciplinam profectus est; qui extrema pueritia miles in exercitu fuit summi imperatoris, ineunte adolescentia maximi ipse exercitus imperator; qui saepius cum hoste conflixit, quam quisquam cum inimico concertavit; plura bella gessit, quam ceteri legerunt; plures provincias confecit, quam alii concupiverunt; cuius adolescentia ad scientiam rei militaris non alienis praeceptis, sed suis imperiis, non offensionibus belli, sed victoriis, non stipendiis, sed triumphis est erudita. Quod denique genus esse belli potest, in quo illum non exercuerit fortuna rei publicae? Civile, Africanum, Transalpinum, Hispaniense mixtum ex incitatis atque bellicosissimis nationibus, servile, navale bellum, varia et diversa genera et bellorum et hostium, non solum gesta ab hoc uno, sed etiam confecta, nullam rem esse declarant in usu positam militari, quae huius viri scientiam fugere possit.

---

§ 28. *scientior rei militaris* P. — *disciplinis*] P. E. *disciplina* Ern. — *miles in exercitu*] E. Colon. Verd. *miles* (P.) Ern. — *summi fuit* P. — *esse belli*] E. *belli esse* Ern. — *ex incitatis atque bell.*] P. id est, quod varie gerebatur, hic

---

§ 28. *pueritiae disciplinis*] a. u. c. 665., annos natus XVII. Pompeius sub Cn. Pompeio Strabone patre in bello sociali militavit. — *summi imperatoris*] patris; etenim anno sequente, sub patre „octavo decimo aetatis anno bella civilia sustinuit.“ Tacit. Ann. 13, 6. scil. in tumultu Cinnano. — *ineunte adolescentia*] a. u. c. 671. „XXIII. annos natus privatis ut opibus, ita consiliis firmum ex agro Piceno contraxit exercitum.“ Vellei. 2, 29. eumque Sullae adduxit. — *civile*] adversus Cinnam et Carbonem. — *Africanum*] a. u. c. 672. e SCto in Africam missus Cn. Domitium et Hiarbam, Numidiae regem, victos interemit, regnumque Hiempsali reddidit. — *Transalpinum*] a. 677. cum contra Sertorium in

29 XI. Iam vero virtuti Cn. Pompeii quae potest oratio par inveniri? Quid est, quod quisquam aut illo dignum aut vobis novum aut cuiquam inauditum possit afferre? Neque enim illae sunt solae virtutes imperatoriae, quae volgo existimantur, labor in negotiis, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo; quae tanta sunt in hoc uno, quanta in omnibus reliquis imperatoribus, quos aut vidimus aut audivimus, non fuerunt. Testis est Italia, quam ille ipse victor, L. Sulla, huius vir-
30 tute et subsidio confessus est liberatam. Testis est Sicilia, quam multis undique cinctam periculis non terrore belli, sed consilii celeritate explicavit. Testis est Africa, quae magnis oppressa hostium copiis eorum ipsorum sanguine redundavit. Testis est Gallia, per quam legionibus nostris in Hispaniam iter Gallorum internecione patefactum est. Testis est Hispania, quae saepissime plurimos hostes ab hoc superatos prostratosque conspexit. Testis est iterum et saepius Italia, quae, cum servili bello tetro periculosoque premeretur, ab hoc auxilium absente expetivit: quod bellum exspectatione eius attenuatum atque imminutum est, adventu
31 sublatum ac sepultum. Testes nunc vero iam omnes orae

---

finiebatur, illic rursus incipiebatur ab incitatis et bellicosissimis nationibus Hispaniae. *ex civitatibus atque ex bellic.* E. Ern. — *et navale* P. (*bellum* contra P. E. del. Manutius, [ ] Madvig.) — *positam militari*] E. *mil. pos.* Ern.

§ 29. *oratio par*] P. E. *par or.* Ern. — *illo dignum*] P. E. *d. illo* Ern. — *negotiis*] P. E. *negotio* Ern.

§ 30. *consilii celeritate*] Gellius N. A. 1, 7. et E. *cel. cons.* Ern. — *quam m. oppressam* P. — *superatos ab hoc* P. — *exp. eius*] E. *exp. Pompeii* (P.) Ern.

§ 31. *nunc vero*] E. *vero* Ern. (*Testes omnes maritimae orae* P. — *maria de-*

Hispaniam missus esset. Ipse de his rebus gestis in Ep. apud Salustium Histor. libr. deperd. p. 24. Ed. meae: *nomine modo imperii a vobis accepto diebus quadraginta exercitum paravi hostesque in cervicibus iam Italiae agentes ab Alpibus in Hispaniam summovi; per eas iter aliud atque Hannibal, nobis opportunius patefeci; recepi Galliam, Pyrenaeum, Laletaniam, Indigetes, et primum impetum Sertorii victoris novis militibus et multo paucioribus sustinui.* — *servile*] a. 683. cum Spartacus a M. Crasso occisus esset, Pompeius devictis Sertorianis ex Hispania rediens 5000 fugitivorum Crassi victoriae elapsos concidit. — *navale*] adversus Cilicas a. 687.

§ 30. *Sicilia*] a. u. c. 672. e SCto imperator in Siciliam missus, Perpernam Sicilia expulit, Carbonem captum occidit. Liv. Ep. 89. Inde in Africam traiecit.

§ 31. *tam vetus*] Quippe ortum a. u. c. 667. confectum demum a. 687.

atque omnes exterae gentes ac nationes, denique maria omnia, cum universa, tum in singulis omnes sinus atque portus. Quis enim toto mari locus per hos annos aut tam firmum habuit praesidium, ut tutus esset? aut tam fuit abditus, ut lateret? Quis navigavit, qui non se aut mortis aut servitutis periculo committeret, cum aut hieme aut referto praedonum mari navigaret? Hoc tantum bellum, tam turpe, tam vetus, tam late divisum atque dispersum, quis unquam arbitraretur aut ab omnibus imperatoribus uno anno, aut omnibus annis ab uno imperatore confici posse? Quam pro- 32
vinciam tenuistis a praedonibus liberam per hosce annos? quod vectigal vobis tutum fuit? quem socium defendistis? cui praesidio classibus vestris fuistis? quam multas existimatis insulas esse desertas? quam multas aut metu relictas aut a praedonibus captas urbes esse sociorum?

XII. Sed quid ego longinqua commemoro? Fuit hoc quondam, fuit proprium populi Romani, longe a domo bellare et propugnaculis imperii sociorum fortunas, non sua tecta defendere. Sociis ego nostris mare per hos annos clausum fuisse dicam, cum exercitus nostri nunquam a Brundisio nisi hieme summa transmiserint? Qui ad vos ab exteris nationibus venirent, captos querar, cum legati populi Romani redempti sint? Mercatoribus tutum mare non fuisse dicam, cum duodecim secures in praedonum potestatem pervenerint? Cnidum aut Colophonem aut Sa- 33

---

nique P. — *cum un.*] E. *tum un.* Ern. — *singulis oris* P. E. (*oris* Cod. Pith. auctoritate delevit Graevius.) — *navigaretur* Manut. — *imperatore Romano* P.

§ 32. *nostris*] E. *vestris* Ern. — *per hos annos clausum*] E. *clausum per hosce annos* Ern. — *fuisse dicam*] E. *dicam fuisse* Ern. — *vestri*] E. *nostri* Ern. — *nunquam a Brund.*] E. *a Brund. nunquam* Ern. — *hieme summa*] E. *summa hieme* Ern.

§ 33. *potestatem* A. Gellius 1, 7. sed firmat *potestate* E. — *ac*] E. *atque* Ern. —

---

§ 32. *legati*] De his aliunde non constat, nisi quod Scholiasta, ipse quoque rei quemadmodum gesta esset ignarus, ex solito more haec excogitavit: „Legatum quendam oppressum a piratis pretio uxor liberavit.“ — *duodecim secures*] Plutarch. Pomp. 24. *ἥρπασαν δέ ποτε καὶ στρατηγοὺς δύο Σεξτίλιον καὶ Βελλῖνον ἐν ταῖς περιπορφύροις καὶ τοὺς ὑπηρέτας ἅμα καὶ ῥαβδοφόρους ᾤχοντο σὺν αὐτοῖς ἐκείνοις ἔχοντες.* Praetoribus autem seni lictores extra urbem praeibant, in urbe tantum bini. Ben.

§ 33. *Cnidus*, Cariae urbs; *Colophon* Ioniae. Plutarch. Pomp. 24. *ἐγένοντο*

mum, nobilissimas urbes, innumerabilesque alias captas esse commemorem, cum vestros portus, atque eos portus quibus vitam et spiritum ducitis, in praedonum fuisse potestate sciatis? An vero ignoratis portum Caietae celeberrimum ac plenissimum navium inspectante praetore a praedonibus esse direptum? ex Miseno autem eius ipsius liberos, qui cum praedonibus antea ibi bellum gesserat, a praedonibus esse sublatos? Nam quid ego Ostiense incommodum atque illam labem atque ignominiam rei publicae querar, cum prope inspectantibus vobis classis ea, cui consul populi Romani praepositus esset, a praedonibus capta atque oppressa est? Pro dii immortales! tantamne unius hominis incredibilis ac divina virtus tam brevi tempore lucem afferre rei publicae potuit, ut vos, qui modo ante ostium Tiberinum classem hostium videbatis, nunc nullam intra Oceani ostium praedo-
34 num navem esse audiatis? Atque haec qua celeritate gesta sint, quamquam videtis, tamen a me in dicendo praetereunda non sunt. Quis enim unquam aut obeundi negotii aut consequendi questus studio tam brevi tempore tot loca adire, tantos cursus conficere potuit, quam celeriter Cn. Pompeio duce tanti belli impetus navigavit? qui nondum tempestivo ad navigandum mari Siciliam adiit, Africam exploravit, inde Sardiniam cum classe venit atque haec tria frumentaria subsidia rei publicae firmissimis praesidiis classibusque munivit.
35 Inde cum se in Italiam recepisset, duabus Hispaniis et Gallia

---

rei publicae afferre P. — *nunc*] P. E. *ii nunc* Ern, *ii* videtur ortum e geminatione litt. *is* et *n*. Cfr. tamen § 55. *nos - - ii*. — Om. vv. *intra Oceani ostium* P.

§ 34. *tanti belli* E. Fabr. Hitt. Verd. *belli* (P.) Ern.

§ 35. *cum se*] E. *se cum* Ern. — *cum in Italiam se* P. — *Transalpina*] E. *Cisalpina* Ern. Utrumque e gloss. — *confirmatis* Colon. — *Brundisio*] E. *a Br.* Ern. — *omnesque qui ibi pr.* P. — *huius se*] E. *huius* Ern. — *dedid.*] E. *se dedid.* Ern.

οὖν αἱ μὲν λῃστρίδες νῆες ὑπὲρ χιλίας, αἱ δ'ἁλοῦσαι πόλεις ὑπ' αὐτῶν τετρακόσιαι. — *Caieta*, promont. et opp. in Auruncis, h. *Gaeta*. — *praetore* significari videtur M. Antonius Creticus, oratoris filius, triumviri pater. *Misenum*, opp. Campaniae, *Capo Miseno*. — *Ostiense*] Dio Cass. 36, 5. *καὶ ἐς αὐτὰ τὰ Ὤστια ἐσέπλεον καὶ τάς τε ναῦς ἔκαιον καὶ πάνθ' ἥρπαζον*. *consul* quis fuerit, ignoramus.

§ 35. *Gallia*] intelligendum de Ligustico sinu et Gallico; Florus 3, 6, 9. Quod volgo inculcatur vel *Transalpina* vel *Cisalpina* del. est. — *Cretenses* (cfr. § 46.) (*δευτέρα γάρ τις ἦν αὕτη τῶν πειρατηρίων πηγὴ μετὰ τὴν ἐν Κιλικίᾳ*. Plut. Pomp. 24.) oppugnati a Q. Metello (Cretico) legatos ad Pompeium miserant,

[Transalpina] praesidiis ac navibus confirmata, missis item in oram Illyrici maris et in Achaiam omnemque Graeciam navibus Italiae duo maria maximis classibus firmissimisque praesidiis adornavit; ipse autem, ut Brundisio profectus est, undequinquagesimo die totam ad imperium populi Romani Ciliciam adiunxit: omnes, qui ubique praedones fuerunt, partim capti interfectique sunt, partim unius huius se imperio ac potestati dediderunt. Idem Cretensibus, cum ad eum usque in Pamphyliam legatos deprecatoresque misissent, spem deditionis non ademit obsidesque imperavit. Ita tantum bellum, tam diuturnum, tam longe lateque dispersum, quo bello omnes gentes ac nationes premebantur, Cn. Pompeius extrema hieme apparavit, ineunte vere suscepit, media aestate confecit.

XIII. Est haec divina atque incredibilis virtus impe- 36
ratoris. Quid ceterae, quas paulo ante commemorare coeperam, quantae atque quam multae sunt? Non enim bellandi virtus solum in summo ac perfecto imperatore quaerenda est, sed multae sunt artes eximiae, huius administrae comitesque virtutis. Ac primum quanta innocentia debent esse imperatores! quanta deinde in omnibus rebus temperantia! quanta fide, quanta facilitate, quanto ingenio, quanta humanitate! quae breviter, qualia sint in Cn. Pompeio, consideremus. Summa enim omnia sunt, Quirites, sed ea magis ex aliorum contentione quam ipsa per sese cognosci atque
intelligi possunt. Quem enim imperatorem possumus aliquo 37
in numero putare, cuius in exercitu centuriatus veneant atque venierint? quid hunc hominem magnum aut amplum

§ 36. *quantae quam multae* P. — *b. v. solum*] E. *solum b. v.* Ern. — *ac perf.*] E. *atque perf.* Ern. — *in omn.*] E. *omn. in* Ern. — *brev. quanta sint* P.

§ 37. *imp. poss.*] E. *poss. imp.* Ern. — *ullo in num.* P. E. Madvig. — *centuriatus veneant*] E. *veneant cent.* Ern. (*centurionatus* P.) — *qui hunc* P. Steinmetz. — *nomino nem.*] P. E. *nem. nom.* Ern.

ut, si facultas esset, insulam ei potius quam Metello traderent. Pompeius, ut fructum eius rei Metello praecerperet, L. Octavium legatum ad Metellum misit, ut ab oppugnatione desisteret, ipseque legatus in urbem ingressus Cretensibus contra Metellum praesidium tulit. Sed Metellus nihilominus obsessos in deditionem compulit, in eos pro suo iure animadvertit, Octavium omni ignominia affecit. Hotom. ex Plutarcho l. l.

de re publica cogitare, qui pecuniam ex aerario depromptam ad bellum administrandum aut propter cupiditatem provinciae magistratibus diviserit aut propter avaritiam Romae in quaestu reliquerit? Vestra admurmuratio facit, Quirites, ut agnoscere videamini, qui haec fecerint: ego autem nomino neminem; quare irasci mihi nemo poterit, nisi qui ante de
38 se voluerit confiteri. Itaque propter hanc avaritiam imperatorum quantas calamitates, quocunque ventum sit, nostri exercitus ferant, quis ignorat? Itinera, quae per hosce annos in Italia per agros atque oppida civium Romanorum nostri imperatores fecerunt, recordamini; tum facilius statuetis, quid apud exteras nationes fieri existimetis. Utrum plures arbitramini per hosce annos militum vestrorum armis hostium urbes, an hibernis sociorum civitates esse deletas? Neque enim potest exercitum is continere imperator, qui se ipse non continet, neque severus esse in iudicando, qui
39 alios in se severos esse iudices non volt. Hic miramur hunc hominem tantum excellere ceteris, cuius legiones sic in Asiam pervenerint, ut non modo manus tanti exercitus, sed ne vestigium quidem cuiquam pacato nocuisse dicatur? Iam vero, quemadmodum milites hibernent, quotidie sermones ac litterae perferuntur; non modo, ut sumptum faciat in militem, nemini vis affertur, sed ne cupienti quidem cuiquam permittitur. Hiemis enim, non avaritiae perfugium maiores nostri in sociorum atque amicorum tectis esse voluerunt.

40 XIV. Age vero, ceteris in rebus qua sit temperantia, considerate. Unde illam tantam celeritatem et tam incredibilem cursum inventum putatis? Non enim illum eximia vis remigum aut ars inaudita gubernandi aut venti aliqui

---

§ 38. Om. vv. *in Italia* P. — *fecerint* E. — *recordemini* P. — *is imperator continere exercitum* P. — *se ipse*] P. E. *se ipsum* Ern.

§ 39. *pervenerint*] E. *pervenerunt* Ern. id quod defendit Bake Bibl. crit. n. 5, 2. p. 511., ita, ut interrog. signum ponatur post v. *ceteris*. — *quotidie ad vos litterae perferuntur ac sermones huius a milite. ad sumptum nemini vis adhibetur, sed ne cupienti quidem dare permittitur* P.

§ 40. *qua sit*] P., ut volebat Modius. *qualis sit* E. Ern. — Firmant *inventum* P. E. pro Manutii *initum*. — *illum manus remigum* P. — *eae res*] Codd. nonnulli Steinmetzii. *hac res* E. Ern. — Firmant *devocavit* P. E. pro Man. *revocavit*.

novi tam celeriter in ultimas terras pertulerunt, sed eae res, quae ceteros remorari solent, non retardarunt; non avaritia ab instituto cursu ad praedam aliquam devocavit, non libido ad voluptatem, non amoenitas ad delectationem, non nobilitas urbis ad cognitionem, non denique labor ipse ad quietem. Postremo signa et tabulas ceteraque ornamenta Graecorum oppidorum, quae ceteri tollenda esse arbitrantur, ea sibi ille ne visenda quidem existimavit. Itaque omnes nunc 41
in iis locis Cn. Pompeium sicut aliquem non ex hac urbe missum, sed de caelo delapsum intuentur; nunc denique incipiunt credere, fuisse homines Romanos hac quondam continentia, quod iam nationibus exteris incredibile ac falso memoriae proditum videbatur. Nunc imperii vestri splendor illis gentibus lucet; nunc intelligunt non sine causa maiores suos tum, cum ea temperantia magistratus habebamus, servire populo Romano quam imperare aliis maluisse. Iam vero ita faciles aditus ad eum privatorum, ita liberae querimoniae de aliorum iniuriis esse dicuntur, ut is, qui dignitate principibus excellit, facilitate infimis par esse videatur.
Iam quantum consilio, quantum dicendi gravitate et copia 42
valeat, in quo ipso inest quaedam dignitas imperatoria, vos, Quirites, hoc ipso ex loco saepe cognovistis. Fidem vero eius quantam inter socios existimari putatis, quam hostes omnes omnium generum sanctissimam iudicarint? Humanitate iam tanta est, ut difficile dictu sit, utrum hostes magis virtutem eius pugnantes timuerint, an mansuetudinem victi dilexerint. Et quisquam dubitabit, quin huic hoc tantum bellum transmittendum sit, qui ad omnia nostrae memoriae bella conficienda divino quodam consilio natus esse videatur?

---

§ 41. *omnes*] Palimps. E. *omnes quidem* (P.) Ern. Ingrata est repetitio praecedentis *quidem*. — *iis*] Madvig. Benecke. *his* Codd. Ern. — *de caelo lapsum mirantur* P. — *continentia*] Palimps. E. *abstinentia* (P.) Ern. — *gentibus lucem afferre coepit* Palimps. E. Col. Madvig. Sed cfr. praeter Beneckium etiam Bake Bibl. crit. n. 5, 2. p. 510. — *ea*] Palimps. *hac* E. Ern. — *infimis par*] Palimps. P. E. *par infimis* Ern.

§ 42. *ipso est* P. — *ex loco*] Palimps. E. *in loco* (P.) Ern. — *cognovistis*] E. *cognostis* Ern. *cognoscitis* P. — *quantam inter socios*] Palimps. E. *inter soc. quantam* Ern. — *quantam existimatis* P. — *hostes omnes omnium generum*] Palimps. P. E. Madvig. Ben. *hostes omnium gentium* Ern. — *iudicaverunt* P. — *hoc tantum*] Palimps. E. *tantum* Ern.

43 XV. Et, quoniam auctoritas quoque in bellis administrandis multum atque in imperio militari valet, certe nemini dubium est, quin ea re idem ille imperator plurimum possit. Vehementer autem pertinere ad bella administranda, quid hostes, quid socii de imperatoribus nostris existiment, quis ignorat, cum sciamus homines in tantis rebus, ut aut contemnant aut metuant aut oderint aut ament, opinione non minus et fama quam aliqua ratione certa commoveri? Quod igitur nomen unquam in orbe terrarum clarius fuit? cuius res gestae pares? de quo homine vos, id quod maxime facit auctoritatem, tanta et tam praeclara iudicia fecistis?
44 An vero ullam usquam esse oram tam desertam putatis, quo non illius diei fama pervaserit, cum universus populus Romanus referto foro completisque omnibus templis, ex quibus hic locus conspici potest, unum sibi ad commune omnium gentium bellum Cn. Pompeium imperatorem depoposcit? Itaque, ut plura non dicam neque aliorum exemplis confirmem, quantum auctoritas valeat in bello, ab eodem Cn. Pompeio omnium rerum egregiarum exempla sumantur; qui quo die a vobis maritimo bello praepositus est imperator, tanta repente vilitas annonae ex summa inopia et caritate rei frumentariae consecuta est unius hominis spe ac nomine, quantam vix ex summa ubertate agrorum
45 diuturna pax efficere potuisset. Iam, accepta in Ponto calamitate ex eo proelio, de quo vos paullo ante invitus admonui, cum socii pertimuissent, hostium opes animique crevissent, satis firmum praesidium provincia non haberet, amisissetis Asiam, Quirites, nisi id ipsum temporis divinitus Cn. Pompeium ad eas regiones fortuna populi Romani

§ 43. *auctoritas quoque* cet.] Palimps. E. *auctoritas multum in bellis administrandis atque imperio* Ern. (*multum quoque in bellis* P.) — *plurimum idem ille imperator possit* P. — *nostris*] Palimps. E. *vestris* Ern. — *et fama*] Palimps. *ac fama* Colon. *famae* E. Ern. — *rat. certa*] Palimps. E. *certa rat.* Ern. — *facit ad auct.* Weiske.

§ 44. *oram tam diversam* P. — *completisque*] P. E. *repletisque* Ern. — Om. *ex* P. — *quantum*] Naug. Ern. *quantum huius* E. cum Codd. notis. — *eodem Pompeio* P. — *unius hominis*] P. E. *unius* Ern. — *ac*] E. *et* Ern.

§ 45. *opes hostium* P. — *id ipsum temporis*] Weiske. Benecke p. 252. *ad id ipsum eius temporis* Ern. *ad ipsum discrimen eius temporis* P. E. — *inflatum* P. — *perfecturus*] E. *prof.* Ern. — *perfecerit*] E. *profec.* Ern. — *imperio suo vectigalia* P.

attulisset. Huius adventus et Mithridatem insolita inflammatum victoria continuit et Tigranem magnis copiis minitantem Asiae retardavit. Et quisquam dubitabit, quid virtute perfecturus sit, qui tantum auctoritate perfecerit? aut quam facile imperio atque exercitu socios et vectigalia conservaturus sit, qui ipso nomine ac rumore defenderit?

XVI. Age vero, illa res quantam declarat eiusdem ho- 46
minis apud hostes populi Romani auctoritatem, quod ex locis tam longinquis tamque diversis tam brevi tempore omnes huic se uni dediderunt! quod Cretensium legati, cum in eorum insula noster imperator exercitusque esset, ad Cn. Pompeium in ultimas prope terras venerunt eique se omnes Cretensium civitates dedere velle dixerunt! Quid? idem iste Mithridates nonne ad eundem Cn. Pompeium legatum usque ad Hispaniam misit eum, quem Pompeius legatum semper iudicavit, ii, quibus erat semper molestum ad eum potissimum esse missum, speculatorem quam legatum iudicari maluerunt? Potestis igitur iam constituere, Quirites, hanc auctoritatem multis postea rebus gestis magnisque vestris iudiciis amplificatam quantum apud illos reges, quantum apud exteras nationes valituram esse existimetis.

Reliquum est, ut de felicitate, quam praestare de se 47
ipso nemo potest, meminisse et commemorare de altero possumus, sicut aequum est homines de potestate deorum, timide et pauca dicamus. Ego enim sic existimo: Maximo, Marcello, Scipioni, Mario et ceteris magnis imperatoribus non solum propter virtutem, sed etiam propter fortunam saepius imperia mandata atque exercitus esse commissos. Fuit enim profecto quibusdam summis viris quaedam ad amplitudinem et ad gloriam et ad res magnas bene geren-

---

§ 46. *quantam illa res* P. — *tam diversis* P. — *huic se uni*] E. *uni huic se* P. Ern. — Firmant *idem iste* P. E. — *usque ad*] E. *usque in* Ern. — *eum, quem*] P. E. *eumque* Ern. — *erat semper*] E. *semper erat* Ern. Om. *semper* P. Madvig.

§ 47. *homines*] P. E. *homini* Ern. — *et ad gl.*] P. E. *et gloriam* Ern. — *de huius hominis* P. — *de quo*] E. *quo de* Ern.

---

§ 46. *ad eum potissimum*] qui tum quaestor tantum esset.

das divinitus adiuncta fortuna. De huius autem hominis felicitate, de quo nunc agimus, hac utar moderatione dicendi, non ut in illius potestate fortunam positam esse dicam, sed ut praeterita meminisse, reliqua sperare videamur, ne aut invisa diis immortalibus oratio nostra aut in-
48 grata esse videatur. Itaque non sum praedicaturus, quantas ille res domi militiae, terra marique quantaque felicitate gesserit; ut eius semper voluntatibus non modo cives assenserint, socii obtemperarint, hostes obedierint, sed etiam venti tempestatesque obsecundarint: hoc brevissime dicam, neminem unquam tam impudentem fuisse, qui ab diis immortalibus tot et tantas res tacitus auderet optare, quot et quantas dii immortales ad Cn. Pompeium detulerunt: quod ut illi proprium ac perpetuum sit, Quirites, cum communis salutis atque imperii, tum ipsius hominis causa, siculi facitis, velle et optare debetis.

49 Quare cum et bellum sit ita necessarium, ut negligi non possit, ita magnum, ut accuratissime sit administrandum, et cum ei imperatorem praeficere possitis, in quo sit eximia belli scientia, singularis virtus, clarissima auctoritas, egregia fortuna, dubitabitis, Quirites, quin hoc tantum boni, quod vobis ab diis immortalibus oblatum et datum est, in rem publicam conservandam atque amplificandam conferatis?

50 XVII. Quod si Romae Cn. Pompeius privatus esset hoc tempore, tamen ad tantum bellum is erat deligendus atque mittendus. Nunc, cum ad ceteras summas utilitates haec quoque opportunitas adiungatur, ut in iis ipsis locis adsit, ut habeat exercitum, ut ab iis, qui habent, accipere statim possit, quid exspectamus? aut cur non ducibus diis immortalibus eidem, cui cetera summa cum salute rei publicae commissa sunt, hoc quoque bellum regium committamus?

---

§ 48. *praedicaturus*] E. *praedicaturus, Quirites* Ern. — *militiae*] E. *militiaeque* Ern. — *quanta felic.* Liber Nürnbergeri. — *ut eius voluntatibus non modo cives semper affuerint* P. — *hoc breviter* P. — *ab*] E. *a* Ern. — *contulerunt* P.

§ 49. *sit ita nec.*] E. *ita nec. sit* Ern. *ita sit nec.* P. — *dubitatis* P. — *ab*] P. E. *a* Ern.

§ 50. *committamus*] P. E. *committimus* Ern.

At enim vir clarissimus, amantissimus rei publicae, ve- 51
stris beneficiis amplissimis affectus, Q. Catulus, itemque
summis ornamentis honoris fortunae, virtutis ingenii prae-
ditus, Q. Hortensius, ab hac ratione dissentiunt: quorum
ego auctoritatem apud vos multis locis plurimum valuisse
et valere oportere confiteor; sed in hac causa, tametsi co-
gnoscetis auctoritates contrarias virorum fortissimorum et
clarissimorum, tamen omissis auctoritatibus ipsa re ac ra-
tione exquirere possumus veritatem; atque hoc facilius,
quod ea omnia, quae a me adhuc dicta sunt, iidem isti
vera esse concedunt, et necessarium bellum esse et magnum
et in uno Cn. Pompeio summa esse omnia. Quid igitur 52
ait Hortensius? Si uni omnia tribuenda sint, [unum] dignis-
simum esse Pompeium; sed ad unum tamen omnia deferri
non oportere. Obsolevit iam ista oratio, re multo magis
quam verbis refutata. Nam tu idem, Q. Hortensi, multa
pro tua summa copia ac singulari facultate dicendi et in
senatu contra virum fortem, A. Gabinium, graviter orna-
teque dixisti, cum is de uno imperatore contra praedones
constituendo legem promulgasset, et ex hoc ipso loco per-
multa item contra legem eam verba fecisti. Quid? tum, 53
per deos immortales! si plus apud populum Romanum aucto-
ritas tua quam ipsius populi Romani salus et vera causa
valuisset, hodie hanc gloriam atque hoc orbis terrae impe-

---

§ 51. *vestrisque ben.* P. — *cognoscetis*] Monac. d., ut coni. Madvig. *cognoscitis* E. Ern. — *fortissimorum virorum clarissimorumque* P. — *ac rat.*] E. *et rat.* Ern. — *a me adhuc*] P. E. *adhuc a me* Ern. — *esse bellum* P.

§ 52. *sint*] E. *sunt* Ern. — Om. *unum* ante *dign.* E. — *ista ratio* Priscian. p. 872. P. (sed in Cod. Turic. Sec. X. est *oratio.*) Monac. d. Torrentius. Benecke. — *refutata*] „Reliqua pars orationis deest in Cod. Parcensi." Torrentius. — *idem contra* E. — *eam legem* E. Sed Hittorp. Verd., ut Ern.

§ 53. *quaestores praetoresque*] E. *praetores quaestoresque* Ern. — *nobis erant maria omnia*] E. *erant nobis omnia maria* Ern.

---

§ 51. *Q. Lutatius Catulus* cos. a. u. c. 676. M. Aemilio Lepido collegae post Sullae mortem rempublicam labefactanti acerrime restitit. — *Q. Hortensius* cos. a. u. c. 685. Ciceronis in eloquentia aemulus; summa in eo erat actionis gratia; ipso genere dicendi aliquanto minus valebat. Hinc factum, ut eius vix decem verba supersint. Cfr. Meyeri mei Oratt. Rom. fragmenta p. 168.

§ 52. *A. Gabinium*, trib. pl. a. u. c. 687.

rium teneremus? An tibi tum imperium esse hoc videbatur, cum populi Romani legati, quaestores praetoresque capiebantur? cum ex omnibus provinciis commeatu et privato et publico prohibebamur? cum ita clausa nobis erant maria omnia, ut neque privatam rem transmarinam neque publicam iam obire possemus?

54 XVIII. Quae civitas antea unquam fuit, non dico Atheniensium, quae satis late quondam mare tenuisse dicitur; non Karthaginiensium, qui permultum classe ac maritimis rebus valuerunt; non Rhodiorum, quorum usque ad nostram memoriam disciplina navalis et gloria remansit: quae civitas unquam tam tenuis, quae tam parva insula fuit, quae non portus suos et agros et aliquam partem regionis atque orae maritimae per se ipsa defenderet? At hercule aliquot annos continuos ante legem Gabiniam ille populus Romanus, cuius usque ad nostram memoriam nomen invictum in navalibus pugnis permanserat, magna ac multo maxima parte non modo utilitatis, sed dignitatis atque imperii caruit.
55 Nos, quorum maiores Antiochum regem classe Persenque superarunt, omnibusque navalibus pugnis Karthaginienses, homines in maritimis rebus exercitatissimos paratissimosque, vicerunt, ii nullo in loco iam praedonibus pares esse poteramus. Nos, qui antea non modo Italiam tutam habebamus, sed omnes socios in ultimis oris auctoritate nostri imperii salvos praestare poteramus, tum, cum insula Delos tam procul a nobis in Aegaeo mari posita, quo omnes un-

§ 54. *ac maritimis*] E. *maritimisque* Ern. — *unquam tam*] Monac. d. Havn. *unquam antea tam* E. Ern. Ortum est *antea* ex gem. litt. *am tam.* — *hercule*] E. *hercle* Ern.
§ 55. *nos, qui antea*] E. *nos quoque qui a.* Ern. — *ascendere*] E. *escendere* Ern. — *nobis m. nostri*] E. Torrentius. *vobis m. vestri* Ern.

§ 55. *Antiochum*] Antiocho ad Thermopylas a M'. Acilio Glabrione cos. a. 563 victo, A. Atilius praefectus Romanae classis, magnos regios commeatus iam fretum, quod ad Andrum insulam est, praetervectos excepit; alias mersit, alias cepit naves. Liv. 36, 20. Postea C. Livius, Atilii successor, adiutus ab Eumene rege, Polyxenidam, Antiochi praefectum, ad Corycum portum effuse fugere coëgit, tredecim captis navibus, decem demersis Id. c. 42—45. cet. — *Cn. Octavius Kal. Decembr.* (a. 586) *de rege Perseo navalem triumphum egit.* Liv. 45, 42. — *Karthaginienses*] Bello Punico primo, rem gerentibus C. Duilio apud Mylas (a. 494.), M. Regulo ad Ecnomum (498), L. Lutatio Catulo apud Aegusam insulam (512.)

dique cum mercibus atque oneribus commeabant, referta divitiis, parva, sine muro nihil timebat, iidem non modo provinciis atque oris Italiae maritimis ac portubus nostris, sed etiam Appia iam via carebamus: et his temporibus non pudebat magistratus populi Romani in hunc ipsum locum ascendere, cum eum nobis maiores nostri exuviis nauticis et classium spoliis ornatum reliquissent!

XIX. Bono te animo, Q. Hortensi, populus Roma- 56
nus et ceteros, qui erant in eadem sententia, dicere existimavit ea, quae sentiebatis: sed tamen in salute communi idem populus Romanus dolori suo maluit quam auctoritati vestrae obtemperare. Itaque una lex, unus vir, unus annus non modo nos illa miseria ac turpitudine liberavit, sed etiam effecit, ut aliquando vere videremur omnibus gentibus ac nationibus terra marique imperare.

Quo mihi etiam indignius videtur obtrectatum esse adhuc, 57
Gabinio dicam, anne Pompeio, an utrique? id quod est verius; ne legaretur A. Gabinius Cn. Pompeio expetenti ac postulanti. Utrum ille, qui postulat ad tantum bellum legatum, quem velit, idoneus non est, qui impetret, cum ceteri ad expilandos socios diripiendasque provincias, quos voluerunt, legatos eduxerint; an ipse, cuius lege salus ac dignitas populo Romano atque omnibus gentibus constituta est, expers esse debet eius gloriae imperatoris atque eius exercitus, qui consilio ipsius ac periculo est constitutus? An 58
C. Falcidius, Q. Metellus, Q. Caelius Latiniensis, Cn. Lentulus, quos omnes honoris causa nomino, cum tribuni plebi

---

§ 57. *ad t. b. legatum*] E. *legatum ad t. b.* Ern. — *eius gloriae*] E. *gloriae eius* Ern. — *ac per.*] E. *atque per.* Ern.

§ 58. *in uno*] E. Colon. *in hoc uno* Ern. — *per vos*] E. Col. Verd. *per se* Ern. — *consules spero*] E. *spero cons.* Ern. — *cuiusquam*] E. *cuiusquam, Quirites* Ern. — *cuiusquam iniquitas quo* Col.; id quod minime spernendum. — *vobis fretus*] E. *fretus vobis* Ern. — *gestarum Cn. Pompeio socius adscribitur*] E. Col. *gestarum auctor, comes Cn. Pompeio adscribitur* Ern. — *illud*] E. *id* Ern.

---

§ 56. *Delos*] Strabo X. p. 334. *τὴν μὲν οὖν Δῆλον ἔνδοξον γενομένην οὕτω* (Latonae partu) *ἔτι μᾶλλον ηὔξησε κατασκαφεῖσα ὑπὸ Ῥωμαίων Κόρινθος· ἐκεῖσε γὰρ μετεχώρησαν οἱ ἔμποροι καὶ τῆς ἀτελείας τοῦ ἱεροῦ προσκαλουμένης αὐτοὺς καὶ τῆς εὐκαιρίας τοῦ λιμένος· ἐν καλῷ γὰρ κεῖται τοῖς ἐκ τῆς Ἰταλίας καὶ τῆς Ἑλλάδος εἰς τὴν Ἀσίαν πλέουσιν.*

fuissent, anno proximo legati esse potuerunt; in uno Gabinio sunt tam diligentes? qui in hoc bello, quod lege Gabinia geritur, in hoc imperatore atque exercitu, quem per vos ipse constituit, etiam praecipuo iure esse deberet? De quo legando consules spero ad senatum relaturos. Qui si dubitabunt aut gravabuntur, ego me profiteor relaturum; neque me impediet cuiusquam inimicum edictum, quo minus vobis fretus, vestrum ius beneficiumque defendam; neque praeter intercessionem quidquam audiam; de qua, ut arbitror, isti ipsi, qui minantur, etiam atque etiam, quid liceat, considerabunt. Mea quidem sententia, Quirites, unus A. Gabinius belli maritimi rerumque gestarum Cn. Pompeio socius adscribitur; propterea quod alter uni illud bellum suscipiendum vestris suffragiis detulit, alter delatum susceptumque confecit.

59 XX. Reliquum est, ut de Q. Catuli auctoritate et sententia dicendum esse videatur. Qui cum ex vobis quaereret, si in uno Cn. Pompeio omnia poneretis, si quid eo factum esset, in quo spem essetis habituri, cepit magnum suae virtutis fructum ac dignitatis, cum omnes una prope voce in ipso vos spem habituros esse dixistis. Etenim talis est vir, ut nulla res tanta sit ac tam difficilis, quam ille non et consilio regere et integritate tueri et virtute conficere possit. Sed in hoc ipso ab eo vehementissime dissentio, quod, quo minus certa est hominum ac minus diuturna vita, hoc magis res publica, dum per deos immortales licet, frui debet
60 summi viri vita atque virtute. — At enim ne quid novi fiat contra exempla atque instituta maiorum. — Non dicam hoc loco maiores nostros semper in pace consuetudini, in bello utilitati paruisse; semper ad novos casus temporum novorum consiliorum rationes accommodasse; non dicam duo bella maxima, Punicum atque Hispaniense, ab uno imperatore esse confecta; duasque urbes potentissimas, quae huic imperio maxime minitabantur, Karthaginem atque Numantiam, ab eodem Scipione esse deletas: non commemorabo

---

§ 59. *una prope*] E. *prope una* Ern. — *in ipso*] E Codd. Lamb. *in eo ipso* E. Ern. — *viri*] E. *hominis* Ern.

§ 60. *ne quid*] E. *nihil* Ern. — *dicam*] E. *dico* Ern. — *atque H.*] E. *et H.* Ern. — *duasque*] E. *duas* Ern. — *minitabantur*] E. *minabantur* Ern.

nuper ita vobis patribusque vestris esse visum, ut in uno
C. Mario spes imperii poneretur, ut idem cum Iugurtha,
idem cum Cimbris, idem cum Teutonis bellum administraret:
in ipso Cn. Pompeio, in quo novi constitui nihil volt Q. Ca- 61
tulus, quam multa sint nova summa Q. Catuli voluntate
constituta, recordamini.

XXI. Quid tam novum, quam adolescentulum, priva-
tum, exercitum difficili rei publicae tempore conficere? con-
fecit: huic praeesse? praefuit: rem optime ductu suo gerere?
gessit. Quid tam praeter consuetudinem, quam homini
peradolescenti, cuius aetas a senatorio gradu longe abesset,
imperium atque exercitum dari, Siciliam permitti atque
Africam bellumque in ea administrandum? Fuit in his pro-
vinciis singulari innocentia gravitate virtute: bellum in Africa
maximum confecit, victorem exercitum deportavit. Quid
vero tam inauditum, quam equitem Romanum triumphare?
at eam quoque rem populus Romanus non modo vidit, sed
omni etiam studio visendam et concelebrandam putavit.
Quid tam inusitatum, quam ut, cum duo consules claris- 62
simi fortissimique essent, eques Romanus ad bellum maxi-
mum formidolosissimumque pro consule mitteretur? missus
est. Quo quidem tempore, cum esset non nemo in senatu,
qui diceret, *Non oportere mitti hominem privatum pro
consule*; L. Philippus dixisse dicitur: *Non se illum sua*

---

§ 61. *in hoc ipso* Liber Nürnbergeri. — *quid tam*] E. *quid enim tam* Ern. — *cuius aetas* cet.] *cuius a senatorio gradu aetas* Ern. — *in ea provincia* E. Non recepi, quia statim sequitur *in his provinciis.* — *victorem*] E. *victorum* Ern. — *omni etiam*] E. *etiam omni* Ern.

§ 62. *videmus*] E. *vidimus* Ern.

---

§ 61. *peradolescenti*] XXIV. annos nato. — *aetas longe abesset*] octo annis scilicet, nam tum ad quaesturam pervenire solebant aetatis anno XXXI., inde in senatum.

§ 62. *duo coss.*] Mamercus Aemilius Lepidus, D. Iunius Brutus Iulianus a. u. c. 677. — L. Marcius Philippus cos. a. u. c. 663. — *consul ante fieret*] a. u. c. 684. cum M. Licinio Crasso. H. l. scil. non quaestura, sed curules tantum magistratus numerantur. Aedilitatis autem petendae annus erat 37mus, praeturae 40mus, consulatus 43mus. At Pompeius iam anno aetatis 34 designatus erat consul. Appian. B. C. 1, 121. *ὕπατος ἐγένετο οὔτε στρατηγήσας οὔτε ταμιεύσας ἔτος τε ἔχων τέταρτον ἐπὶ τοῖς τριάκοντα.* — *iterum eques*] victis Sertorianis a. u. c. 683.

sententia pro consule, sed pro consulibus mittere. Tanta in eo rei publicae bene gerendae spes constituebatur, ut duorum consulum munus unius adolescentis virtuti committeretur. Quid tam singulare, quam ut ex senatus consulto legibus solutus consul ante fieret, quam ullum alium magistratum per leges capere licuisset? quid tam incredibile, quam ut iterum eques Romanus ex senatus consulto triumpharet? Quae in omnibus hominibus nova post hominum memoriam constituta sunt, ea tam multa non sunt,
63 quam haec, quae in hoc uno homine videmus. Atque haec tot exempla tanta ac tam nova profecta sunt in eundem hominem a Q. Catuli atque a ceterorum eiusdem dignitatis amplissimorum hominum auctoritate.

XXII. Quare videant, ne sit periniquum et non ferendum illorum auctoritatem de Cn. Pompeii dignitate a vobis comprobatam semper esse, vestrum ab illis de eodem homine iudicium populique Romani auctoritatem improbari; praesertim cum iam suo iure populus Romanus in hoc homine suam auctoritatem vel contra omnes, qui dissentiunt, possit defendere; propterea quod, iisdem istis reclamantibus, vos unum illum ex omnibus delegistis, quem bello praedo-
64 num praeponeretis. Hoc si vos temere fecistis et rei publicae parum consuluistis, recte isti studia vestra suis consiliis regere conantur; sin autem vos plus tum in re publica vidistis, vos his repugnantibus per vosmet ipsos dignitatem huic imperio, salutem orbi terrarum attulistis; aliquando isti principes et sibi et ceteris populi Romani universi auctoritati parendum esse fateantur! [*Atque in hoc bello Asiatico et regio non solum militaris illa virtus, quae est in Cn. Pompeio singularis, sed aliae quoque virtutes animi magnae et multae requiruntur. Difficile est in Asia, Cilicia, Syria regnisque interiorum nationum ita versari nostrum*

---

§ 63. *Q. Catuli*] Monacc. tres. Erfurt. saltem *Quinti. Q. Catulo* Ern. — *iisdem istis*] E. *istis* Ern.

§ 64. Quae litteris inclinatis exprimenda curavimus, ea subditicia et ex aliqua declamatiuncula hic inculcata esse viderunt Naugerius, Pantagathus, Blochius, qui subtiliter ea de re disputavit, et Madvig. — *magnae et multae*] E. (utique contra veri Ciceronis usum; cfr. § 23.) *multae et magnae* Ern. — *nostrum*] E. *vestrum* Ern. — *nisi*] E. *quam* Ern.

imperatorem, ut nihil aliud nisi de hoste ac de laude cogitet. Deinde etiam si qui sunt pudore ac temperantia moderatiores, tamen eos esse tales, propter multitudinem cupidorum hominum nemo arbitratur. Difficile est dictu, 65
Quirites, quanto in odio simus apud exteras nationes propter eorum, quos ad eas per hos annos cum imperio misimus, libidines et iniurias. Quod enim fanum putatis in illis terris nostris magistratibus religiosum, quam civitatem sanctam, quam domum satis clausam ac munitam fuisse? Urbes iam locupletes ac copiosae requiruntur, quibus causa belli propter diripiendi cupiditatem inferatur. Libenter haec coram cum Q. Catulo et Q. Hortensio 66
summis et clarissimis viris, disputarem; noverunt enim sociorum volnera, vident eorum calamitates, querimonias audiunt. Pro sociis vos contra hostes exercitum mittere putatis, an hostium simulatione contra socios atque amicos? quae civitas est in Asia, quae non modo imperatoris aut legati, sed unius tribuni militum animos ac spiritus capere possit?

XXIII. *Quare, etiam si quem habetis, qui collatis signis exercitus regios superare posse videatur, tamen, nisi erit idem, qui se a pecuniis sociorum, qui ab eorum coniugibus ac liberis, qui ab ornamentis fanorum atque oppidorum, qui ab auro gazaque regia manus oculos animum cohibere possit, non erit idoneus, qui ad bellum Asiaticum regiumque mittatur. Ecquam putatis civita-* 67
tem pacatam fuisse, quae locuples sit? ecquam esse locupletem, quae istis pacata esse videatur? Ora maritima, Quirites, Cn. Pompeium non solum propter rei militaris gloriam, sed etiam propter animi continentiam requisivit. Videbat enim praetores locupletari quotannis pecunia publica, praeter paucos; neque eos quidquam aliud assequi classium nomine, nisi ut detrimentis accipiendis maiore

---

§ 65. *libidines et iniurias*] E. Col. *iniurias ac lib.* Ern.

§ 66. *summis et clar. viris disp.*] E. *disp., s. et clar. viris* Ern. — *qui se*] Pron. *se* [ ] Benecke. — *qui ab orn. fan. atque oppid.*] Hoc incisum non invenitur nisi in Cod. Coloniensi. Abest etiam ab E.

§ 67. *praetores locupletari*] E. *populum Romanum non locupletari* Ern. — *neque eos*] E. *neque nos* Ern. — *omnia esse*] E. *esse omnia* Ern.

affici turpitudine videremur. Nunc qua cupiditate homines in provincias, quibus iacturis, quibus condicionibus proficiscantur, ignorant videlicet isti, qui ad unum deferenda omnia esse non arbitrantur: quasi vero Cn. Pompeium non cum suis virtutibus, tum etiam alienis vitiis magnum esse videamus.

68 *Quare nolite dubitare, quin huic uni credatis omnia, qui inter tot annos unus inventus sit, quem socii in urbes suas cum exercitu venisse gaudeant.*] Quod si auctoritatibus hanc causam, Quirites, confirmandam putatis, est vobis auctor vir bellorum omnium maximarumque rerum peritissimus P. Servilius, cuius tantae res gestae terra marique extiterunt, ut, cum de bello deliberetis, auctor vobis gravior nemo esse debeat; est C. Curio summis vestris beneficiis maximisque rebus gestis, summo ingenio et prudentia praeditus; est Cn. Lentulus, in quo omnes pro amplissimis vestris honoribus summum consilium, summam gravitatem esse cognovistis; est C. Cassius, integritate virtute constantia singulari. Quare videte, ut horum auctoritatibus illorum orationi, qui dissentiunt, respondere posse videamur.

69 XXIV. Quae cum ita sint, C. Manili, primum istam tuam et legem et voluntatem et sententiam laudo vehementissimeque comprobo: deinde te hortor, ut auctore populo Romano maneas in sententia neve cuiusquam vim aut minas pertimescas. Primum in te satis esse animi perseverantiaeque arbitror; deinde cum tantam multitudinem cum tanto studio adesse videamus, quantam nunc iterum in eodem homine praeficiendo videmus, quid est, quod aut de re aut de perficiendi facultate dubitemus? Ego autem, quidquid est in me studii consilii, laboris ingenii, quidquid hoc beneficio populi Romani atque hac potestate praetoria, quidquid

---

§ 68. *tot annos*] E. *annos tot* Ern. — *nemo esse*] E. *esse nemo* Ern. — *cognovistis*] E. *cognoscitis* Ern.

§ 69. *adesse videmus* E. — *nunc iterum*] Hittorp. *non iterum* E. Ern. — *videmus*] Hittorp. *vidimus* E. Ern. — *est in me*] E. *in me est* Ern.

---

§ 68. P. Servilius Vatia Isauricus cos. a. u. c. 675. proconsul in Cilicia Isauros domuit. C. Scribonius Curio cos. a. 678. proconsul Dardanos in Thracia domuit. Cn. Cornelius Lentulus Clodianus cos. a. 682. C. Cassius Varus cos. a. 681.

auctoritate fide constantia possum, id omne ad hanc rem
conficiendam tibi et populo Romano polliceor ac defero:
testorque omnes deos, et eos maxime, qui huic loco tem- 70
ploque praesident, qui omnium mentes eorum, qui ad rem
publicam adeunt, maxime perspiciunt, me hoc neque rogatu
facere cuiusquam neque quo Cn. Pompeii gratiam mihi per
hanc causam conciliari putem neque quo mihi ex cuiusquam
amplitudine aut praesidia periculis aut adiumenta honoribus
quaeram; propterea quod pericula facile, ut hominem prae-
stare oportet, innocentia tecti repellemus; honorem autem
neque ab uno neque ex hoc loco, sed eadem illa nostra
laboriosissima ratione vitae, si vestra voluntas feret, con-
sequemur. Quamobrem, quidquid in hac causa mihi susce- 71
ptum est, Quirites, id ego omne me rei publicae causa
suscepisse confirmo; tantumque abest, ut aliquam mihi bo-
nam gratiam quaesisse videar, ut multas me etiam simul-
tates partim obscuras, partim apertas intelligam mihi non
necessarias, vobis non inutiles suscepisse. Sed ego me hoc
honore praeditum, tantis vestris beneficiis affectum statui,
Quirites, vestram voluntatem et rei publicae dignitatem et
salutem provinciarum atque sociorum meis omnibus com-
modis et rationibus praeferre oportere.

---

§ 70. *honorem*] Hittorp. et alii Codd. *honores* Ern. De Erfurtensi dubitatur. cfr. Benecke. — *illa nostra*] E. *nostra illa* Ern.

§ 71. *id ego*] E. *id* Ern. — *mihi b. gratiam*] E. *b. gratiam mihi* Ern. — *me etiam*] E. *etiam* Ern.

M. TULLII CICERONIS

PRO

C. RABIRIO

PERDUELLIONIS REO

AD

QUIRITES

ORATIO.

MONITUM.

De *κρίσει* in hac oratione exercenda haec scripsit Niebuhrius Fragm. Cic. p. 65. „Antiquissimus codex, e quo ceteri omnes prodierunt, ita emendate scriptus erat, ut in hac quidem oratione etiam post indoctos librarios et temerarios editores perpaucis locis aliquid ad emendationem requiratur." Quapropter factum est, ut pauca mihi quoque emendare contigerit ex Cod. Ambrosiano C. 96. partis superioris, membranaceo, picto et pulcherrime scripto Sec. XV., quem Mediolani accuratissime contulit Baiterus meus. Consentit is in vitiis plerisque cum Oxoniensibus. Integram lectionem alibi dabo.

ARGUMENTUM.

T. Attius Labienus, tribunus pl., C. Rabirio perduellionis crimen Cicerone consule intendit, quod L. Appuleium Saturninum, trib. pl., res novas molientem interfecisset C. Mario L. Valerio coss. (654. *U. c.*) *Causa acta est primo apud duumviros, ex antiquo more, sed sorte a praetore datos, non a populo, more et instituto Romano, creatos. Ii erant C. et L. Iulii Caesares. Ab his condemnatus Rabirius provocat ad populum. Itaque causa postea acta est in Campo Martio comitiis centuriatis. Defendit Rabirium Cicero consul* (691. *U. c.*), *sed in semihorae curriculum coactus a tribuno Labieno. At nihilominus a populo condemnatus esset, nisi Metellus Celer, augur et praetor, cum a multitudine se non audiri, et Rabirium cupide condemnari videret, vexillum de Ianiculo detraxisset, ut iam nihil sciscere populo liceret. Comitiis ergo tunc solutis abiecit Labienus actionem, et Rabirius ita est liberatus. Ceterum haec oratio non est integra: accedunt autem duo fragmenta e membranis bibliothecae Vaticanae a Niebuhrio* (*Romae* 1820.) *edita, quibus orationis finis continetur.*

I. Etsi, Quirites, non est meae consuetudinis initio dicendi rationem reddere, qua de causa quemque defendam, 1

---

§ 1. **Totam rem ita narrat Cassius Dio 37, 26. seqq.** *Τίτος δὲ δὴ Λαβιῆνος* **(qui postea sub Caesare militavit in Galliis):** *Γάϊον Ῥαβίριον ἐπὶ τῷ τοῦ Σατουρνίνου φόνῳ γραψάμενος πλεῖστον σφίσι τάραχον παρέσχεν. ὅ, τε γὰρ Σατουρνῖνος πρὸ ἓξ που καὶ τριάκοντα ἐτῶν ἐτεθνήκει· καὶ τὰ κατὰ τὸν πόλεμον τὸν πρὸς αὐτὸν οἱ ὕπατοι τότε παρὰ τῆς βουλῆς προσετετάχατο, ὥστε ἡ γερουσία ἄκυρος ἐκ τοῦ δικαστηρίου ἐκείνου τῶν ψηφισμάτων ἐγίγνετο κἀκ τούτου πᾶς ὁ κόσμος τῆς πολιτείας ἐταράττετο· ὁ μὲν γὰρ Ῥαβίριος οὐδ' ὡμολόγει τὸν φόνον, ἀλλ' ἄπαρνος ἦν. οἱ δὲ δήμαρχοι τήν τε ἰσχὺν καὶ τὴν ἀξίωσιν τῆς βουλῆς καταλῦσαι παντελῶς ἐσπούδαζον καὶ ἐξουσίαν ἑαυτοῖς τοῦ πάνθ' ὅσα βούλοιντο ποιεῖν προπαρεσκεύαζον. διὰ γὰρ δὴ τοῦ τά τε τῷ συνεδρίῳ δόξαντα καὶ τὰ πρὸ τοσούτων ἐτῶν πραχθέντα εὐθύνεσθαι, τοῖς τέ τι τῶν ὁμοίων ἐπιχειροῦσιν ἄδεια ἐδίδοτο*

propterea, quod cum omnibus civibus in eorum periculis semper satis iustam mihi causam necessitudinis esse duxi:

καὶ αἱ τιμωρίαι αὐτῶν ἐκολούοντο. ἡ οὖν γερουσία δεινὸν μὲν καὶ ἄλλως ἐνόμιζεν εἶναι καὶ ἄνδρα βουλευτὴν μήτ' ἀδικοῦντά τι καὶ ἐς γῆρας ἤδη προεληλυθότα ἀπολεῖσθαι. πολλῷ δὲ δὴ μᾶλλον ἠγανάκτει, ὅτι τό τε πρόσχημα τῆς πολιτείας διεβάλλετο καὶ τὰ πράγματα τοῖς φαυλοτάτοις. Σπουδαί τε οὖν ταραχώδεις καὶ φιλονεικίαι ἀφ' ἑκατέρων περί τε τοῦ δικαστηρίου, τῶν μὲν ὅπως μὴ συναχθῇ, τῶν δὲ, ἵνα καθιζήσῃ, δικαιούντων· καὶ ἐπειδὴ τοῦτο διά τε τὸν Καίσαρα καὶ δι' ἄλλους τινὰς ἐνίκησε, περί τε τῆς κρίσεως αὖθις συνέβησαν· καὶ (ἦν γὰρ αὐτὸς ἐκεῖνος καὶ μετὰ τοῦ Καίσαρος τοῦ Λουκίου δικάζων· οὐ γὰρ ἁπλῶς, ἀλλὰ τὸ δὴ λεγόμενον περδουελλίωνος ὁ Ῥαβίριος ἐκρίθη·) κατεψηφίσαντο αὐτοῦ, καίτοι μὴ πρὸς τοῦ δήμου κατὰ τὰ πάτρια, ἀλλὰ πρὸς τοῦ στρατηγοῦ, οὐκ ἐξόν, αἱρεθέντες· καὶ ἐφῆκε μὲν ὁ Ῥαβίριος, πάντως δ' ἂν καὶ παρὰ τῷ δήμῳ ἑάλω, εἰ μὴ ὁ Μέτελλος ὁ Κέλερ, οἰωνιστής τε ὢν καὶ στρατηγῶν, ἐνεπόδισεν. ἐπειδὴ γὰρ οὔτε ἄλλως ἐπείθοντό οἱ, οὔθ' ὅτι παρὰ τὰ νενομισμένα ἡ κρίσις ἐγεγόνει ἐνεθυμοῦντο, ἀνέδραμεν εἰς τὸ Ἰανίκουλον πρὶν καὶ ὁτιοῦν σφᾶς ψηφίσασθαι· καὶ τὸ σημεῖον τὸ στρατιωτικὸν κατέσπασεν, ὥστε μηδὲν ἔτ' αὐτοῖς ἐξεῖναι διαγνῶναι. Τοῦτο δὲ τὸ κατὰ τὸ σημεῖον τοιόνδε τί ἐστι· πολλῶν τὸ ἀρχαῖον πολεμίων τῇ πόλει προσοικούντων φοβούμενοι μή ποτε ἐκκλησιαζόντων σφῶν κατὰ τοὺς λόχους, ἐπιθῶνταί τινες τῇ πόλει τὸ Ἰανίκουλον καταλαβόντες, ἐνόμισαν μὴ πάντες ἅμα ψηφίσασθαι, ἀλλά τινας ἀεὶ ἐνόπλους τὸ χωρίον ἐκεῖνο ἐκ διαδοχῆς φυλάττειν. καὶ αὐτὸ, ἕως μὲν ἡ ἐκκλησία ἦν, ἐφρούρουν· ὁπότε δὲ διαλυθήσεσθαι ἔμελλε, τό τε σημεῖον καθῃρεῖτο καὶ οἱ φύλακες ἀπηλλάσσοντο. οὐ γὰρ ἐξῆν μὴ φρουρουμένου τοῦ χωρίου ἐκείνου οὐδὲν ἔτι χρηματισθῆναι. τοῦτο δὲ ἐν μόναις ταῖς κατὰ τοὺς λόχους ἀθροιζομέναις ἐκκλησίαις ἐγίγνετο, ὅτι τε ἔξω τοῦ τείχους, καὶ ὅτι πάντες οἱ τὰ ὅπλα ἔχοντες ἀνάγκην εἶχον εἰς αὐτὰς συνιέναι· καὶ ἔτι τε καὶ νῦν ὁσίας ἕνεκα ποιεῖται. Οὕτω μὲν δὴ τότε ἥ τε ἐκκλησία καθαιρεθέντος τοῦ σημείου διελύθη καὶ ὁ Ῥαβίριος ἐσώθη· ἐξῆν μὲν γὰρ τῷ Λαβιήνῳ καὶ αὖθις δικάσασθαι, οὐ μέντοι καὶ ἐποίησεν αὐτό.

Contra Dionem sic disputavit Niebuhrius: „Qui ad hanc orationem Suetoniumque et Dionem Cassium de iudicii genere dixerunt, in quo Rabirius a Cicerone defensus est, omnes Dione auctore statuunt damnatum perduellionis iudicio a duumviris C. Rabirium ad populum provocasse, cuius comitiis per prudentiam Q. Metelli diremptis, T. Labienum, qui alio iudicio accusare potuisset, actionem abiecisse. Itaque ad populum provocatione certantem a Cicerone defensum esse existimant: et profecto, si Dionis testimonio standum est, aliter se res habere nequit. Atque ego certe is minime sum, qui de huius scriptoris, prudentis et diligentis viri, fide detrahere soleam; sed hac quidem in re eum errasse, atque aut nunquam perduellionis iudicium in Rabirium habitum esse aut, siquidem illius periculum callido consilio depulsum fuerit, Labienum eidem reo multam irrogasse, ex hac ipsa oratione perspicue intelligitur. Scilicet Ciceronis defensio, ut ipse disertis verbis docet (c. 3.), ad *multae irrogationem* pertinet, cui propria erant tot alia crimina ab accusatore in reum collata, a perduellione maxime aliena; et tantum abest, ut de hoc iudicio cogitari possit, ut Cicero Labienum querentem inducat (c. 1.) *istud a consule in causa Rabirii sublatum esse;* ipse glorietur se

tamen in hac defensione capitis famae fortunarumque omnium C. Rabirii proponenda ratio videtur esse officii mei, propterea

---

carnificem de foro, crucem de campo sustulisse. Neque in omni defensione, ac praecipue quidem in perorationis parte, quam Vaticanenses schedae servarunt, de carcere et de cruce, sed de exilio rei, si condemnetur, cogitat. Quare persuasum habeo, licet contrarium tradat Dio, fecisse Labienum idem, quod ab accusatoribus P. Clodii, qui classem populi Romani ad Drepana amiserat, factum esse interpres Ciceronis ad orationem in Clodium et Curionem docet (V. 4.), indicio valde memorabili et quod rem clari exempli multo accuratius quam ceteri veterum auctorum loci illustrat. Nam Pullium (P. Villium suspicor scribendum esse) et Fundanium, tribunos pl., tradit dicta die perduellionis, cum imber comitia diremisset, postea P. Clodio multam irrogasse CXX. milium aeris; quo iudicio a populo damnatus est. Verum hoc ita disputo, ut minime dubitem Rabirium ad populum provocasse; lex enim iubebat (Livius I. c. 26.): sed ex illa Ciceronis gloriatione et tribuni querela colligo, consulis senatusque auctoritate abolitum fuisse, quod duumviri contra legem a praetore dati iudicaverant; immo praeclarum illud Q. Metelli facinus ad iudicium de multa referendum esse omnino arbitrarer, nisi absolutum esse Rabirium populi suffragiis Suetonius significaret; servatumque sua virtute, non ereptum alius cuiusdam ope, optimum civem Cicero ipse indicaret. (in Pisonem c. 2.) Itaque ut error, qui super hac re invaluit, penitus tollatur, inscribendam orationem *ad Quirites*, non *pro perduellionis reo*, suadeo; quamquam hunc titulum antiquissimum esse non nego."

Cum autem C. Rabirius defensus sit et ab Hortensio et a Cicerone, hic porro tanta dicendi copia utatur, tam παθητικῶς de perduellionis iudicii atrocitate conqueratur, tam impenso studio pro Rabirii capite ac fama populum deprecetur, ut eiusmodi declamatio et ampullae in simplici multae irrogatione prope risum auditoribus excitaturae fuissent, equidem praeeuntibus Goettlingio (*Hermes* Vol. 26. p. 126.) et Reiffio (*Geschichte der röm. Bürgerkriege* 2. p. 279.) Niebuhrianae rationi accedere non queo. Totam autem rem sic actam esse existimo: Diligenter agente in primis Cicerone (§ 32.) senatus multas propter causas, et maxime, ut seditiosi homines coërcerentur, statuerat omnibus modis hoc infringendum ac rescindendum esse perduellionis iudicium: videlicet cum Rabirium damnassent duumviri, provocaret is ad populum; defenderetur a duobus viris eius aetatis eloquentissimis, Q. Hortensio et M. Tullio; quod si vel maxime a populo damnaretur, extrema quaeque tentarentur, quo comitia ante tabellas perlatas dirimerentur; id quod Q. Metellus Celer sublato vexillo ex Ianiculo postea strenue exsecutus est. Et, si hoc egregium facinus non esset patratum, ante tabellas diribitas Rabirio, fortasse etiam propter multae magnitudinem, in exilium eundum erat; quocirca in peroratione, quae vera esse debebat, non de crudeli illo supplicio verba facit, sed solum de eorum miseria, qui solum vertere cogantur. In media autem oratione ipsum illum locum oratorie exornare licebat. Contra accusator Labienus, ut inimicum quoquo modo ulcisceretur, praeter quam quod actionem perduellionis ei intendit, multam quoque irrogavit (§ 8.) iam praevidens fore, ut perduellionis iudicium impediretur ac dissolveretur. Propter hoc ipsum acerbissime questus est a Cicerone illud esse sublatum (§ 10.). Sic nulla iam remanet difficultas, et perstat fides Dioni, qui, ut eius

quod, quae iustissima mihi causa ad hunc defendendum esse
2 visa est, eadem vobis ad absolvendum debet videri. Nam me cum amicitiae vetustas, tum dignitas hominis, tum ratio humanitatis, tum meae vitae perpetua consuetudo ad C. Rabirium defendendum est adhortata: tum vero, ut id studiosissime facerem, salus rei publicae, consulare officium, consulatus denique ipse mihi † una vobiscum cum salute rei publicae commendatus coëgit. Non enim C. Rabirium culpa delicti, non invidia vitaeque ...., non denique veteres iustae gravesque inimicitiae civium in discrimen capitis vocaverunt; sed ut illud summum auxilium maiestatis atque imperii, quod nobis a maioribus est traditum, de re publica tolleretur; ut nihil posthac auctoritas senatus, nihil consulare imperium, nihil consensio bonorum contra pestem ac perniciem civitatis valeret, idcirco in his rebus evertendis unius
3 hominis senectus infirmitas solitudoque tentata est. Quamobrem, si est boni consulis, cum cuncta auxilia rei publicae labefactari convellique videat, ferre opem patriae, succurrere saluti fortunisque communibus, implorare civium fidem, suam salutem posteriorem salute communi ducere, est etiam bonorum et fortium civium, quales vos omnibus rei publicae temporibus extitistis, intercludere omnes seditionum vias, munire praesidia rei publicae, summum in consulibus imperium, summum in senatu consilium putare; ea qui secutus sit, laude potius et honore quam poena et supplicio dignum

---

narratio accurata et singula quaeque attingens per se ipsa demonstrat, optimos auctores secutus est.

§ 2. *dignitas*] Erat scil. senator Rabirius, quod cum Dio et Aurelius Victor c. 73. tradant, non video, cur negarit Ferratius Epp. p. 324. Recte enim Garatonius ad c. 5. explicavit vv. c. 11. *equiti Ro.* „Fortasse, inquit, hoc tempore senator erat, quod videtur ipse Tullius significare, cum Mario VI. et Flacco coss. a. u. c. 654. eques tantum Romanus esset." — *mihi una vobiscum cum s.*] Locus leviter corruptus sic restituendus: *mihi una a vobis cum salute*, vel, ut Ernestio visum: *mihi a vobis una cum s.* — *mihi uni a vobis*, ut habet lemma Manutianum, dicere non poterat Cicero, cum esset alter consul C. Antonius. — *invidia vitaeque .... non*] Sic Codd., etiam A. In Franciano támen volgata extat *invidia vitae, non*: quod tamen vereor, ut Tullianum sit. Verum *que* arguit excidisse vocabulum aliquod, ac suppletum est in Aldina *vitaeque turpitudo.* Malim *vitaeque offensio*, quod voc. alibi cum v. *invidia* iungit Cicero. — *summum auxilium*] Caesar B. C. 1, 5.: *Decurritur ad illud extremum atque ultimum S. C.*,

iudicare. Quamobrem labor in hoc defendendo praecipue 4 meus est; studium vero conservandi hominis commune mihi vobiscum esse debebit.

II. Sic enim existimare debetis, Quirites, post hominum memoriam rem nullam maiorem, magis periculosam, magis ab omnibus vobis providendam neque a tribuno plebi susceptam neque a consule defensam neque ad populum Romanum esse delatam. Agitur enim nihil aliud in hac causa, Quirites, quam ut nullum sit posthac in re publica publicum consilium, nulla bonorum consensio contra improborum furorem et audaciam, nullum extremis rei publicae temporibus perfugium et praesidium salutis. Quae cum ita 5 sint, primum, quod in tanta dimicatione capitis, famae fortunarumque omnium fieri necesse est, ab Iove optimo maximo ceterisque dis deabusque immortalibus, quorum ope et auxilio multo magis haec res publica quam ratione hominum et consilio gubernatur, pacem ac veniam peto; precorque ab iis, ut hodiernum diem et ad huius salutem conservandam et ad rem publicam constituendam illuxisse patiantur. Deinde vos, Quirites, quorum potestas proxime ad deorum immortalium numen accedit, oro atque obsecro, quoniam uno tempore vita C. Rabirii, hominis miserrimi atque innocentissimi, salus rei publicae vestris manibus suffragiisque permittitur, adhibeatis in hominis fortunis misericordiam, in rei publicae salute sapientiam, quam soletis.

---

quo nisi paene in ipso Urbis incendio atque in desperatione omnium salutis latorum audacia nunquam ante discessum est: dent operam consules, praetores, tribuni pl. quique consulares sunt ad urbem, ne quid res publica detrimenti capiat. — idcirco in his rebus evertendis]. Vv. *in his r. e.* pro gloss. habuit Ernestius, sed immerito; permultum enim conferunt ad accusatoris invidiam augendam: est scil.: „idcirco, ut hae res everterentur."

§ 4. *salutis*] Quod in Ox. X. et Ascens. 1531. additur *rei publicae*, in Oxonn. quattuor: *R.*, iam ex Ambrosiano patet unde venerit. Is scil.: *salutis K. Quae*, id est *Kaput* novum orationis. Sic rursus in fine § 7. Ambr. Oxonn. C. H. 8.: *oppressa sunt K. — χ. ψ.: o. s. R.* „Additamenta quid sibi velint, nescio." Beck. Iam nemo in iis haerebit.

§ 5. *pacem ac veniam peto*] Formulam sollemnem de deorum pace et benevolentia imploranda nondum noverat Manutius *pacem* inter cives hic peti arbitratus. — *salus*] Sic Ambr. cum cett. Codd. notis. Ern. ex Iuntina: *et salus*. Praefero ἀσύνδετον propter sequens. — *suffragiis*] Cicero de Legg. 3, 16.: *Uno in genere relinqui videbatur vocis suffragium, quod ipse L. Cassius* (lege tabellaria

6 Nunc, quoniam, T. Labiene, diligentiae meae temporis
angustiis obstitisti meque ex comparato et constituto spatio
defensionis in semihorae curriculum coëgisti, parebitur, et,
quod iniquissimum est, accusatoris condicioni et, quod mi-
serrimum, inimici potestati. Quamquam in hac praescri-
ptione semihorae patroni mihi partes reliquisti, consulis ade-
misti: propterea quod ad defendendum propemodum satis
7 erit hoc mihi temporis, ad conquerendum parum. Nisi forte
de locis religiosis ac de lucis, quos ab hoc violatos esse di-
xisti, pluribus verbis tibi respondendum putas: quo in cri-
mine nihil est umquam abs te dictum nisi a C. Macro obie-
ctum esse crimen id C. Rabirio. In quo ego demiror memi-
nisse te, quid obiecerit C. Rabirio Macer inimicus; oblitum
esse, quid aequi et iurati iudices iudicarint.
8 III. An de peculatu facto, an de tabulario incenso longa
oratio est expromenda? quo in crimine propinquus C. Rabirii
iudicio clarissimo C. Curius pro virtute sua est honestissime
liberatus: ipse vero Rabirius non modo in iudicium horum
criminum, sed ne in tenuissimam quidem suspicionem verbo

---

a. u. c. 617 lata) *exceperat*, *perduellionis. Dedit huic quoque iudicio C. Caelius* (Caldus cos. a. u. c. 660.) *tabellam*.

§ 6. *comparato*] quod iamiam praepararam mihi. Infra § 11. *quid ego ad id longam orationem comparem? — in semihorae curriculum*] Imperite alii substituerunt *circulum*, quo perit oppositio inter *spatium* latum et angustius *curriculum*. Id adeo in multae irrogatione in accusatoris potestate situm fuisse videtur, ut rei patrono tempus orandi praescriberet; in capitis iudicio id locum non habuisse res ipsa clamat.

§ 7. *ac de lucis*] Sic etiam Ambr. Sed Ox. T. *ac delubris*, cui voc. locus non est vel propter pron. *quos*. Praeterea *loca religiosa* ipsa sunt delubra, sacella, quibus iam adduuntur *luci*. — *C. Macro*] C. Licinius Macer biennio fere ante Cicerone praetore a. u. c. 689., de repetundis reus et voluntaria morte sublatus. —

§ 8. *expromenda*] Sic Manutius. Codd., etiam Ambr. *exprimenda*. Quod tamen satis contorte explicatur: „oratio ingratis et contra ipsam rei naturam, quae brevem desiderat, proferenda." — *Curius*] Rabirii sororis maritus, ut statim; *propinqui* enim et cognati et affines. Codd. (praeter T.) *Curtius*. Sed cfr. pro Rab. Post. 2, 17. — *funeris excusatio*] l. 2. Digest. Tit. 4.: *In ius vocari non debet, qui uxorem ducit aut eam quae nubit, nec iudicem dum de re cognoscit, nec eum, qui apud praetorem causam agit, neque funus ducentem familiare iustave mortuo facientem. — quid enim* cet.] κατ' εἰρωνείαν. Ern. cum proponeret: *quid enim est tam parum veri simile*, non attendit ad vim particulae *enim*, quae in eius ratione locum non

est umquam vocatus. An de sororis filio diligentius respondendum est? quem ab hoc necatum esse dixisti, cum ad iudicii moram familiaris funeris excusatio quaereretur. Quid enim est tam veri simile quam cariorem huic sororis maritum quam sororis filium fuisse? atque ita cariorem, ut alter vita crudelissime privaretur, cum alteri ad prolationem iudicii biduum quaereretur? An de servis alienis contra legem Fabiam retentis aut de civibus Romanis contra legem Porciam verberatis aut necatis plura dicenda sunt, cum tanto studio C. Rabirius totius Apuliae, singulari voluntate Campanae vicinitatis ornetur? cumque ad eius propulsandum periculum non modo homines, sed prope regiones ipsae convenerint, aliquanto etiam latius excitatae, quam ipsius vicinitatis nomen ac termini postulabant? Nam quid ego ad id longam orationem comparem, quod est in eadem multae irrogatione praescriptum, hunc nec suae nec alienae pudicitiae pepercisse? Quin etiam suspicor eo mihi semihoram 9
a Labieno praestitutam esse, ut ne plura de pudicitiae dicerem. Ergo ad haec crimina, quae patroni diligentiam desiderant, intelligis mihi semihoram istam nimium longam fuisse.

---

habet. — *legem Fabiam*] de plagiariis. Eius haec vis fuit, ne quis aut ingenuum aut libertinum aut servum alienum invitum secum haberet aut invito vel insciente domino venderet aut emeret sciens. Sunt qui latam putent a. u. c. 571. a Q. Fabio Labeone, M. Claudio Coss., sed sine argumentis idoneis. cfr. Ern. Ind. Legg. et Bachii histor. iurisprud. Ro. p. 191. — *legem Porciam*] Cic. de Rep. 2, 31.: *Leges Porciae tres sunt trium Porciorum, ut scitis.* Livius 10, 9. *Porcia lex pro tergo civium lata videtur; quod gravi poena, si quis verberasset necassetve civem Romanum, sanxit* cet. Unus ex tribus illis Porciis fuit P. Porcius Laeca, cuius extat denarius Havercamp. Thes. Morell. p. 351. *P. LAECA ROMA.* (Caput Romae galeatum cum denarii nota: *X.*) *PROVOCO* (scil. hac formula: *CIVIS ROMANVS SVM.*) (Figura stans habitu militari, media inter duas figuras; a dextris habet figuram togatam, civis Ro. symbolum, a laeva lictorem cum virgis; ipsa vero dextram extendit supra caput civis Ro.) — *convenerint*] propter librorum (etiam Ambr.) consensum reponendum fuit. Graev. Ern. e cod. Franciano passim interpolato: *concurrerint.* — *multae irrogatione*] „*multam irrogare* nunquam est privati actoris, sed magistratus, ut tribuni pl. de Legg. 3, 3, 6.: *cum magistratus iudicassit inrogassitve, per populum multae, poenae certatio esto.*“ TURN. Cfr. pro Mil. 14, 36. P. Clodius trib. pl. *diem mihi, credo, dixerat, multam irrogarat, actionem perduellionis intenderat.* — *praescriptum*] Scil. ipsi multae irrogationi, inter rationes, propter quas irrogata esset. Sic Codd. etiam Ambros. Contra *perscriptum* Manut. iam a. 1554. cum plerisque recentiorum.

Illam alteram partem de nece Saturnini nimis exiguam atque angustam esse voluisti, quae non oratoris ingenium, sed consulis auxilium implorat et flagitat. Nam de perduellionis iudicio, quod a me sublatum esse criminari soles, meum crimen est, non Rabirii. Quod utinam, Quirites, ego id aut primus aut solus ex hac re publica sustulissem! utinam hoc, quod ille crimen esse volt, proprium testimonium meae laudis esset! Quid enim optari potest, quod ego mallem, quam me in consulatu meo carnificem de foro, crucem de campo sustulisse? Sed ista laus primum est maiorum nostrorum, Quirites, qui expulsis regibus nullum in libero populo vestigium crudelitatis regiae retinuerunt; deinde multorum virorum fortium, qui vestram libertatem non acerbitate suppliciorum infestam, sed lenitate legum munitam esse voluerunt.

10

11 IV. Quamobrem uter nostrum tandem, Labiene, popularis est? tune, qui civibus Romanis in contione ipsa carnificem, qui vincla adhiberi putas oportere, qui in campo Martio, comitiis centuriatis, auspicato in loco crucem ad civium supplicium defigi et constitui iubes: an ego, qui funestari contionem contagione carnificis veto? qui expiandum forum populi Romani ab illis nefarii sceleris vestigiis esse dico? qui castam contionem, sanctum campum, inviolatum corpus omnium civium Romanorum, integrum ius

12 libertatis defendo servari oportere? Popularis vero tribunus plebi, custos defensorque iuris et libertatis! Porcia lex vir-

---

§ 10. *sublatum*] Intererat scil. Ciceronis atque ceterorum optimatium, ne renovaretur priscum illud perduellionis iudicium, temporibus suis minime conveniens et consulto ab iis, qui rebus novis studebant, denuo suscitatum, ut vindicata post tot annos Saturnini morte, omnes deterrerentur a seditiosis civibus puniendis. — *quod utinam*] Notum nunc est, hoc ita poni, ut *quod si*, *quod ubi*, *quod quia*, *quod quoniam*. Male igitur Beckius *id* delevit, quod firmat etiam Ambros. — *utinam hoc, quod*] Ambr. cum aliis Codd. pro *utinam quod* Ern. — *virorum fortium*] trium Porciorum, C. Gracchi.

§ 11. *funestari* cet.] carnifices, tamquam necis ministri infames atque foedi quasi funere illato polluere *castam*, puram concionem videbantur oratori. Idem autem supplicium civis Ro. *nefarium scelus* mox vocatur.

§ 12. *C. Gracchus*] de lege Sempronia cfr. Ahrens in Excursu ad Catil. IV. in fine libelli. Verbo *adiudicaretur* addendum: „*quod si factum esset, populi esset animadversio.*“

gas ab omnium civium Romanorum corpore amovit: hic misericors flagella rettulit. Porcia lex libertatem civium lictori eripuit: Labienus, homo popularis, carnifici tradidit. C. Gracchus legem tulit, ne de capite civium Romanorum iniussu vestro iudicaretur: hic popularis a duumviris, iniussu vestro, non iudicari de cive Romano, sed indicta causa civem Romanum capitis condemnari coëgit. Tu mihi etiam legis Porciae, tu C. Gracchi, tu horum libertatis, tu 13
cuiusquam denique hominis popularis mentionem facis, qui non modo suppliciis inusitatis, sed etiam verborum inaudita crudelitate violare libertatem huius populi, tentare mansuetudinem, commutare disciplinam conatus es? Nam quae haec tua, quae te hominem clementem popularemque delectant, I LICTOR: COLLIGA MANUS? quae non modo huius libertatis mansuetudinisque non sunt, sed ne Romuli quidem aut Numae Pompilii: Tarquinii, superbissimi atque crudelissimi regis, ista sunt cruciatus carmina. Quae tu, homo lenis ac popularis, libentissime commemoras? CAPUT OBNUBITO, ARBORI INFELICI SUSPENDITO....: quae verba, Quirites, iampridem in hac re publica non solum tenebris vetustatis, verum etiam luce libertatis oppressa sunt.

---

§ 13. *tu horum* (civium Ro.) *libertatis*] quam maxime tutabantur leges Porcia et Sempronia. Suo igitur loco posita sunt haec vv., quae excipit aliorum hominum popularium, velut M. Livii Drusi, mentio. Scil. Beckius et Schuetzius transponenda censuerunt post v. *facis*. — Ad totum locum cfr. Livii Lib. 1, 26. de perduellionis iudicio Horatii: *Tullus Hostilius, ne ipse tam tristis ingratique ad volgus iudicii aut secundum iudicium supplicii auctor esset, concilio populi advocato,* duumviros, *inquit*, qui Horatio perduellionem (perduellionis) iudicent, secundum legem facio. *Lex horrendi carminis erat:* Duumviri perduellionem (perduellionis *Gronov.*) iudicent. Si a duumviris provocarit, provocatione certato. Si vincent, caput obnubito; infelici arbore reste suspendito. Verberato vel intra pomoerium vel extra pomoerium. *Hac lege duumviri creati, qui se absolvere non rebantur ea lege ne innoxium quidem posse, cum condemnassent, tum alter ex his*, P. Horati, tibi perduellionem iudico, *inquit:* i, lictor, colliga manus. *Accesserat lictor iniiciebatque laqueum. Tum Horatius auctore Tullo, clemente legis interprete,* provoco, *inquit. Ita* [*de*] *provocatione certatum ad populum est*, reusque absolutus. Ceterum in toto loco constituendo secutus sum Rauum Var. Lectt. Cic. p. 41. *Nam quae* scribens pro *Namque* sine interrog., cui quidem particulae hic locus non esse videtur; tum servato Codd. (etiam Ambros.) *quae* ante v. *non modo*, quod pronomen Iunta et Ern. deleverunt. Seqq. *Quae tu -- commemoras* rursus per interrogationem, ut referantur ad v. *Caput* cet. Post *suspendito* in Ambr. spatium est vacuum novem

14 V. An vero, si actio ista popularis esset et si ullam partem aequitatis haberet aut iuris, C. Gracchus eam reliquisset? Scilicet tibi graviorem dolorem patrui tui mors attulit quam C. Graccho fratris; et tibi acerbior eius patrui mors est, quem numquam vidisti, quam illi eius fratris, quicum concordissime vixerat: et similis viri tu ulcisceris patrui mortem, atque ille persequeretur fratris sui, si ista ratione agere voluisset: et par desiderium sui reliquit apud populum Romanum Labienus iste, patruus vester, quisquis fuit, ac Ti. Gracchus reliquerat? An pietas tua maior, quam Gracchi? an animus? an consilium? an opes? an auctoritas? an eloquentia? quae, si in illo minima fuis-
15 sent, tamen prae tuis facultatibus maxima putarentur. Cum vero his rebus omnibus C. Gracchus omnes vicerit, quantum intervallum tandem inter te atque illum interiectum putas? Sed moreretur prius acerbissima morte millies Gracchus, quam in eius contione carnifex consisteret; quem non modo foro, sed etiam caelo hoc ac spiritu censoriae leges atque Urbis domicilio carere voluerunt. Hic se popularem dicere audet, me alienum a commodis vestris: cum iste omnes et suppliciorum et verborum acerbitates non ex

---

fere litterarum. Supplendum videtur *Verberato* ex formula Liviana. — *carmine*] formulae. Sic etiam Livius l. l. — *oppressa*] Notabile zeugma: luce enim res proprie non *opprimuntur*, sed *praestinguuntur*.

§ 14. *patrui*] Q. Labieni una cum Saturnino occisi. — *similis viri*] Haesit in h. l. Ernestius; adeoque Beckius, cum in Oxon. ψ. sit *similis iuri*, coniecit *simili iure*. Recepit Schuetzius. Verum hoc si voluisset, ut opinor, dixisset *eodem iure*. Sed recte se habet haec etsi perplexior inter Labienum et Gracchum comparatio. Est enim: „similesne viri fuerunt Q. Labienus et Ti. Gracchus? Minime vero. Permagnum igitur discrimen interest inter ultionem, cui tu studes, et eam, quam si voluisset, Gracchus sumere potuisset." — *patruus vester*] Suspecta haec Ernestio et Beckio. Sed ipsum v. *vester* („quem tu tuique semper crepatis," dictum non sine contemptu;) arguit verum esse nec ab interpolatore profectum, qui potius inculcasset *patruus tuus*. Infra § 32. item: *vester patruus*; ubi rursus haesit Schuetzius.

§ 15. *acerbissima*] non „immatura," ut volt Turnebus, quo significatu superlativo locus non est, sed „luctuosissima." — *urbis domicilio*] Carnificis domicilium fuit extra urbem et adhibebatur ad supplicia servorum et peregrinorum, non civium. Beck. Adhibiti tamen sunt carnifices in P. Lentulo Sura ceterisque coniuratis necandis. Sed vide, quam studiose ipsum *carnificis* vocabulum devitarit Salustius, Catil. c. 55. *vindices rerum capitalium* carnifices vocans. — *verborum*]

memoria vestra ac patrum vestrorum, sed ex annalium monumentis atque ex regum commentariis conquisierit, ego omnibus meis opibus, omnibus consiliis, omnibus dictis atque factis repugnarim et restiterim crudelitati? Nisi forte hanc condicionem vobis esse voltis, quam servi, si libertatis spem propositam non haberent, ferre nullo modo possent.
Misera est ignominia iudiciorum publicorum, misera 16
multatio bonorum, miserum exilium; sed tamen in omni calamitate retinetur aliquod vestigium libertatis. Mors denique si proponitur, in libertate moriamur; carnifex vero et obductio capitis et nomen ipsum crucis absit non modo a corpore civium Romanorum, sed etiam a cogitatione oculis auribus. Harum enim omnium rerum non solum eventus atque perpessio, sed etiam condicio, exspectatio, mentio ipsa denique indigna cive Romano atque homine libero est. An vero servos nostros horum suppliciorum omnium metu dominorum benignitas vindicta una liberat: nos a verberibus, ab unco, a crucis denique terrore neque res gestae neque acta aetas neque vestri honores vindicabunt? Quamobrem fateor atque etiam, T. Labiene, profi- 17
teor et prae me fero te ex illa crudeli, importuna, non tribunicia actione, sed regia, meo consilio virtute auctoritate esse depulsum. Qua tu in actione quamquam omnia exem-

---

„horrendi carminis." Firmat hoc Ambros., cum Oxonn. C. S. χ. ψ. cum aliis habeant *verberum*, quam notionem amplectitur iam v. *suppliciorum*. — „Per *reges* potissimum Tullus Hostilius intelligi videtur." Beck. An per *commentarios regum* illi intelligendi sint, quibus volgo inditum est nomen *Iuris Papiriani*, a pontificibus utique incerto tempore confecti, non liquet. Commentarios (ὑπομνήματα) Numae memorat Plutarchus in Marcello c. 8.

§ 16. *obductio*] Frustra Pantagathus *obnuptio*, quod voc. in usu non fuisse videtur. — *condicio*] „Eane condicione quisquam vivat, ut in eum cadere servilis supplicii cruciatus possit?" Hot. Murretus: *condictio*, denuntiatio: quo tamen vocabulo nunc omnino abstinendum reor in Tullio, etiam Offic. 3, § 108. et Topic. § 82. — *vindicta una liberat*] Sic Palimpsestus Niebuhrii pro *una vindicta liberabit* Ern. — *res gestae*] Ad Rabirii res gestas referebantur vv. Q. Hortensii pro Rabirio apud Charisium p. 100. *cicatricum mearum* et *cicatricum* Rabirii mentionem facit etiam Cicero in peroratione § 36. — *vestri*] Sic Palimps. et Ambr. „honores a vobis collati." melius quam volg. *nostri.*

§ 17. *auspiciorum publica iura*] Cum in loco auspicato (§ 13.) tale scelus admitti vis.

Saturninus Capitolium teneret armatus, esset una C. Glaucia, C. Saufeius, etiam ille ex compedibus atque ergastulo Gracchus; addam (quoniam ita vis) eodem Q. Labienum, patruum tuum: in foro autem C. Marius et L. Valerius Flaccus, consules, post cunctus senatus, atque ille senatus, quem etiam vos ipsi, qui hos patres conscriptos, qui nunc sunt, in invidiam vocatis, quo facilius de hoc senatu detrahere possitis, laudare consuevistis: cum equester ordo; at quorum equitum Romanorum, dii immortales! patrum nostrorum atque eius aetatis, † quae tum magnam partem rei publicae atque omnem dignitatem iudiciorum tenebat: cum omnes omnium ordinum homines, qui in salute rei publicae salutem suam repositam esse arbitrabantur, arma cepissent: quid tandem C. Rabirio
21 faciendum fuit? De te ipso, inquam, Labiene, quaero: cum ad arma consules ex senatus consulto vocavissent; cum armatus M. Aemilius, princeps senatus, in comitio constitisset; qui, cum ingredi vix posset, non ad insequendum sibi tarditatem pedum, sed ad fugiendum impedimento fore putabat; cum denique Q. Scaevola, confectus senectute, praepeditus morbo, mancus et membris omnibus captus ac debilis, hastili nixus et animi vim et infirmitatem corporis ostenderet; cum L. Metellus, Ser. Galba, C. Serranus, P. Rutilius, C. Fimbria, Q. Catulus omnesque, qui tum erant consulares pro salute communi arma cepissent; cum omnes

---

mentum: *quem etiam vos ipsi laudatis, qui--possitis, laudare consuevistis.* — *equitum Romanorum*] Firmat Ambr. Ern. delevit v. *Romanorum* cum Ed. 1480. — *patrum nostrorum atque eius aetatis, quae--tenebat*] Admodum inconcinna haec esse sensit Lambinus proponens *qui--tenebant.* Sed etiamnunc leg. censeo: *qui* (ordo equester) *tenebat.* Nam *aetas*, quaecumque tandem est, *magnam partem reip. tenere* non potest; *patrum nostrorum* autem *et eius aetatis* significat eos omnes, qui paullo maiores vel minores natu patribus nostris fuerunt simulque cum his vixerunt.

§ 21. *vocavissent*] *evocassent* leg. esse in Addendis, quae nunquam prodierunt, se demonstraturum esse dicit Garat. ad Sestianae c. 19, 44. Sed ibi Codd. *ad arma vocarent* et de Orat. 2, § 133. *cum ex S. C. ad arma vocasset.* — *M. Aemilius*] *Cum tribunus pl. Saturninus et praetor Glaucia et Equitius designatus tribunus pl. maximos in civitate nostra seditionum motus excitassent nec quisquam se populo concitato opponeret, primum M. Aemilius Scaurus C. Marium consulatum sextum gerentem hortatus est, ut libertatem legesque manu defenderet, protinusque arma sibi afferri iussit. Quibus allatis ultima senectute confectum et paene dilapsum*

praetores, cuncta nobilitas ac iuventus accurreret, Cn. et L. Domitii, L. Crassus, Q. Mucius, C. Claudius, M. Drusus; cum omnes Octavii, Metelli, Iulii, Cassii, Catones, Pompeii; cum L. Philippus, L. Scipio; cum M. Lepidus, cum D. Brutus, cum hic ipse P. Servilius, quo tu imperatore, Labiene, meruisti; cum hic Q. Catulus, admodum tum adolescens, cum hic C. Curio, cum denique omnes clarissimi viri cum consulibus essent: quid tandem C. Rabirium facere convenit? utrum inclusum atque abditum latere in occulto atque ignaviam suam tenebrarum ac parietum custodiis tegere, an in Capitolium pergere atque ibi se cum tuo patruo et ceteris ad mortem propter vitae turpitudinem confugientibus congregare? an cum Mario, Scauro, Catulo, Metello, Scaevola, cum bonis denique omnibus coire non modo salutis, verum etiam periculi societatem?

VIII. Tu denique, Labiene, quid faceres tali in re ac 22
tempore? cum ignaviae ratio te in fugam atque in latebras

---

corpus induit s *p i c u l o q u e i n n i x u s ante fores Curiae constitit ac parvulis extremi spiritus reliquiis, ne res publica exspiraret, effecit. Praesentia enim animi sui senatum et equestrem ordinem ad vindictam exigendam impulit.* Val. Max. 3, 2, 18., qui scriptor id, quod Scaevolae tribuit Cicero, in Scaurum transtulisse videtur. — *praepeditus*] Ambr. cum plerisque *perditus*, quod nimium est. — *iuventus*] Equester potissimum ordo. Memento *principis iuventutis*. — Qui sequuntur viri illustres hi sunt: Q. Mucius Scaevola augur, qui cum L. Metello Diademato mox nominato a. 635. consul fuerat; Ser. Sulpicius Galba consul a. 646.; C. Atilius Serranus a. 648.; P. Rutilius Rufus a. 649.; C. Flavius Fimbria a. 650.; Q. Lutatius Catulus a. 652.; Cnaeus Domitius Aënobarbus a. 658.; L. Domitius Aënobarbus a. 660.; L. Licinius Crassus, orator, a. 659.; Q. Mucius Scaevola Pontifex, Crassi collega; C. Claudius Pulcher a. 662.; M. Livius Drusus, qui in tribunatu pl. occisus est; Octavii tres, Cnaeus, Cn. F. Cn. N. a collega Cinna occisus a. 667.; Cnaeus, M. F. Cn. N. a. 678.; Lucius, Cn. F. Cn. N. a. 679.; Q. Metellus Nepos a. 656.; Iulii, Sex. Iulius Caesar a. 663.; L. Iulius Caesar a. 664.; Cassii, C. Cassius Longus a. 658.; C. Cassius Varus a. 681.; C. Porcius Cato a. 640.; L. Porcius Cato a. 665.; Q. Pompeius Rufus a. 666.; L. Marcius Philippus a. 663.; L. Cornelius Scipio Asiaticus a. 671.; M. Aemilius Lepidus a. 676.; D. Iunius Brutus a. 677.; P. Servilius Vatia Isauricus a. 675.; Q. Lutatius Catulus Q. F. a. 676.; C. Scribonius Curio a. 678.

§ 22. *impelleret*] Contra Codd. et sine ulla necessitate Ern. maluit *compelleret*. Consulto alliterationem vere Latinam secutus est Tullius: *i m p e l l e r e t i m p r o b i t a s*. — *praefecturam*] Turnebus coniicit Reatinam fuisse, ut pote vicinam Piceno; Manutius eam, quam Cicero significat, in ipso agro Piceno quaerit.

impelleret, improbitas et furor L. Saturnini in Capitolium arcesseret, consules ad patriae salutem ac libertatem vocarent: quam tandem auctoritatem, quam vocem, cuius sectam sequi, cuius imperio parere potissimum velles? Patruus, inquit, meus cum Saturnino fuit. Quid? pater quicum? quid? propinqui vestri, equites Romani? quid? omnis praefectura, regio, vicinitas vestra? quid? ager Picenus universus, utrum tribunicium furorem, an consularem auctorita-
23 tem secutus est? Equidem hoc affirmo, quod tu nunc de tuo patruo praedicas, neminem umquam adhuc de sese esse confessum: nemo est, inquam, inventus tam profligatus, tam perditus, tam ab omni non modo honestate, sed etiam simulatione honestatis relictus, qui se in Capitolio fuisse cum Saturnino fateretur. At fuit vester patruus. Fuerit; et fuerit nulla desperatione rerum suarum, nullis domesticis volneribus coactus; induxerit eum L. Saturnini familiaritas, ut amicitiam patriae praeponeret: idcircone oportuit C. Rabirium desciscere a re publica? non comparere in illa armata multitudine bonorum? consulum voci atque imperio non
24 obedire? Atqui videmus haec in rerum natura tria fuisse: ut aut cum Saturnino esset aut cum bonis aut lateret. Latere mortis erat instar turpissimae: cum Saturnino esse furoris et sceleris: virtus et honestas et pudor cum consulibus esse cogebat. Hoc tu igitur in crimen vocas, quod cum iis fuerit C. Rabirius, quos amentissimus fuisset, si oppugnasset, turpissimus, si reliquisset?

IX. At C. Decianus, de quo tu saepe commemoras, quia, cum hominem omnibus insignem notis turpitudinis, P. Furium, accusaret summo studio bonorum omnium, queri est ausus in contione de morte Saturnini, condemnatus est: et Sex. Titius, quod habuit imaginem L. Saturnini domi suae, condemnatus est. Statuerunt equites Romani

---

— *Praefecturae eae appellabantur in Italia, in quibus et ius dicebatur et nundinae agebantur et erat quaedam eorum R. P., in quas* (a praetore urbano) *praefecti mittebantur quotannis, qui ius dicerent.* Festus ed. Lindem. p. 204.

§ 24. *C. Deciano, spectatae integritatis viro, vox sua exilium attulit. Nam cum P. Furium inquinatissimae vitae pro Rostris accusaret, quia quadam in parte actionis de morte L. Saturnini queri ausus fuerat, nec reum damnavit et insuper ei*

illo iudicio improbum civem esse et non retinendum in civitate, qui hominis hostilem in modum seditiosi imagine aut mortem eius honestaret, aut desideria imperitorum misericordia commoveret, aut suam significaret imitandae impro-
bitatis voluntatem. Itaque mihi mirum videtur, unde hanc 25
tu, Labiene, imaginem, quam habes, inveneris. Nam Sex. Titio damnato, qui istam habere auderet, inventus est nemo. Quod tu si audisses aut si per aetatem scire potuisses, numquam profecto istam imaginem, quae domi posita pestem atque exilium Sex. Titio attulisset, in Rostra atque in contionem attulisses nec tuas umquam rationes ad eos scopulos appulisses, ad quos Sex. Titii afflictam navem et in quibus C. Deciani naufragium fortunarum videres. Sed in his rebus omnibus imprudentia laberis. Causam enim suscepisti antiquiorem memoria tua; quae causa ante mortua est, quam tu natus esses: qua in causa tute profecto fuisses, si per
aetatem esse potuisses, eam causam in iudicium vocas. An 26
non intelligis, primum quos homines et quales viros mortuos summi sceleris arguas? deinde quot ex iis, qui vivunt, eodem crimine in summum capitis periculum arcessas? Nam si Rabirius fraudem capitalem admisit, quod arma contra L. Saturninum tulit, huic quidem afferet aliquam deprecationem periculi aetas illa, qua tum fuit: Q. vero Catulum, patrem huius, in quo summa sapientia, eximia virtus, singularis humanitas fuit; M. Scaurum, illa gravitate, illo consilio, illa prudentia; duos Mucios, L. Crassum, M. Antonium, qui tum extra Urbem cum praesidio fuit; quorum in hac civitate longe maxima consilia atque ingenia fuerunt; ceteros pari dignitate praeditos custodes gubernatoresque
rei publicae quemadmodum mortuos defendemus? Quid de 27

---

poenas addictas pependit. Sex. quoque Titium similis casus prostravit. Erat innocens; erat agraria lege gratiosus apud populum. Tamen quia Saturnini imaginem domi habuerat, suffragiis eum tota cognitio oppressit. Val. Max. 8, 1. — *non retinendum*] immo in exilium mittendum.

§ 25. *quam habes*] *quam tu habes* Ambr. Franc. — *tuas rationes*] „totum tuum statum ac dignitatem in rep." Mire Pithoeus: *tuas-rates.*

§ 26. *duos Mucios*] Q. Scaevolam augurem et Q. Scaevolam pontificem maximum. — *M. Antonium*] oratorem, qui anno post (655.) consul fuit.

§ 27. L. Valerium Flaccum aut flaminem, aut in pontificum augurumve col-

illis honestissimis viris atque optimis civibus, equitibus Romanis, dicemus, qui tum una cum senatu salutem rei publicae defenderunt? quid de tribunis aerariis ceterorumque ordinum omnium hominibus, qui tum arma pro communi libertate ceperunt?

X. Sed quid ego de iis omnibus, qui consulari imperio paruerunt, loquor? de ipsorum consulum fama quid futurum est? L. Flaccum, hominem cum semper in re publica, tum in magistratibus gerendis, in sacerdotio caerimoniisque, quibus praeerat, diligentissimum, nefarii sceleris ac parricidii mortuum condemnabimus? adiungemus ad hanc labem ignominiamque mortis etiam C. Marii nomen? C. Marium, quem vere patrem patriae, parentem, inquam, vestrae libertatis atque huiusce rei publicae possumus dicere, sceleris
28 ac parricidii nefarii mortuum condemnabimus? Etenim, si C. Rabirio, quod iit ad arma, crucem T. Labienus in campo Martio defigendam putavit, quod tandem excogitabitur in eum supplicium, qui vocavit? Ac, si fides Saturnino data est, quod abs te saepissime dicitur, non eam C. Rabirius, sed C. Marius dedit; idemque violavit, si in fide non stetit. Quae fides, Labiene, qui potuit sine senatus consulto dari? Adeone hospes huiusce urbis, adeone ignarus es disciplinae consuetudinisque nostrae, ut haec nescias? ut peregrinari in aliena civitate, non in tua magistratum gerere videare?
29 Quid iam ista C. Mario, inquit, nocere possunt, quoniam sensu et vita caret? Itane vero? tantis in laboribus C. Marius periculisque vixisset, si nihil longius, quam vitae termini postulabant, spe atque animo de se et gloria sua cogitasset? At credo, cum innumerabiles hostium copias in Ita-

---

legio fuisse docet Ferratius Epp. p. 283. et contra Manutium disputat, qui pontificatum max. intellexerat. — *ignominia mortis* est quo mortuus aliquis afficitur, cum per vitam honoratus fuerit; non, ut volt Ern.: „Labes illa et ignominia mortis est in eo, quod parricidio contaminati, ut parricidii rei, mortui essent."

§ 28. *si fides*] Scil. fertur Marius fidem publicam Glauciae et Saturnino dedisse fore, ut cum iis non vi, sed iure ageretur. Plutarch. Mar. 30. Flor. 3, 16. Aurelius Victor de vir. ill. c. 73. Garat.

§ 29. *innumerabiles* cet.] Cimbricum bellum respicitur, quo, velut una urbs esset, res publica obsidebatur, ab hostibus urguebatur.

lia fudisset atque obsidione rem publicam liberasset, omnia sua secum una moritura arbitrabatur. Non est ita, Quirites: neque quisquam nostrum in rei publicae periculis cum laude ac virtute versatur, quin spe posteritatis fructuque ducatur. Itaque cum multis aliis de causis virorum bonorum mentes divinae mihi atque aeternae videntur esse, tum maxime, quod optimi et sapientissimi cuiusque animus ita praesentit in posterum, ut nihil nisi sempiternum spectare videatur.
Quapropter equidem et C. Marii et ceterorum virorum sa- 30
pientissimorum ac fortissimorum civium mentes, quae mihi videntur ex hominum vita ad deorum religionem et sanctimoniam demigrasse, testor, me pro illorum fama gloria memoria non secus ac pro patriis fanis atque delubris propugnandum putare: ac, si pro illorum laude mihi arma capienda essent, non minus strenue caperem, quam illi pro communi salute ceperunt. Etenim, Quirites, exiguum nobis vitae curriculum natura circumscripsit, immensum gloriae.

XI. Quare, si eos, qui iam de vita decesserunt, ornabimus, iustiorem nobis mortis condicionem relinquemus. Sed, si illos, Labiene, quos iam videre non possumus, negligis, ne his quidem, quos vides, consuli putas oportere?
Neminem esse dico ex iis omnibus, qui illo die Romae fue- 31
rint, quem tu diem in iudicium vocas, pubesque tum fuerit, quin arma ceperit, quin consules secutus sit. Omnes ii, quorum tu ex aetate coniecturam facere potes, quid tum fecerint, abs te capitis C. Rabirii nomine citantur. At occidit Saturninum Rabirius. Utinam fecisset! non supplicium deprecarer, sed praemium postularem. Etenim, si Scaevae, servo Q. Crotonis, qui occidit L. Saturninum, libertas data

---

§ 30. *ad deorum religionem et sanctimoniam*] Oratoria periphrasis pro simplici *ab hominibus ad deos demigrasse.* — *pro patriis fanis*] Ut sunt dii patrii et penates, sic eorum fana ac delubra quidni *patria* appellari possint? Monendum hoc erat propter Ern., qui pro *fanis* volebat *sacris.* — *immensum gloriae*] Scil. patefecit, aperuit, quod per zeugma eliciendum e contrario v. *circumscripsit*: prorsus ut supra § 16. extr. de Nat. D. 2, 64, 162. *supra terram - - latet.*

§ 31. *abs te capitis*] Sic Ambr. Oxonn. sex. Veneta. *Capitis* aliquem *citare* dicitur ut „capitis arcessere, postulare, accusare." In Ed. Iuntina ex interpol. in seqq. transiit: *abs te r e i capitis.* — *fistulas*] ut scil. aquae penuria Saturninum

est, quod equiti Romano praemium dari par fuisset? et, si C. Marius, quod fistulas, quibus aqua suppeditabatur Iovis optimi maximi templis ac sedibus, praecidi imperarat, quod in clivo Capitolino improborum civium * *

Desunt non pauca.

32 XII. ***aret. Itaque non senatus in ea causa cognoscenda, me agente, diligentior aut inclementior fuit, quam vos universi, cum orbis terrae distributionem atque illum ipsum agrum Campanum animis manibus vocibus re*pudiavistis*.

33 Idem ego, quod is, qui auctor huius iudicii *est*, clamo, praedico, denuntio: nullus est reliquus rex, nulla gens, nulla natio, quam pertimescatis: nullum adventitium, nullum extraneum malum est, qu*od ins*inuare in hanc *rem publicam pos*sit: si immorta*lem* hanc civita*tem esse* voltis, si aeter*num* imperium, si *gloriam* sempiternam *manere*, nobis a nost*ris cupi*ditatibus, a tu*rbulen*tis hominibus at*que no*varum rerum *cupidis*, *ab intestinis malis*, a domesticis con*siliis* est cavendum.

34 Hisce autem *malis mag*num praesid*ium vo*bis maiores ve*stri re*liquerunt, vo*cem* illam consulis, Qui rem publi-

---

eiusque asseclas cogeret se dedere. Plutarch. Mar. 30. Oros. 5, 17." Beck. — *civium*] *caedem fecerat*, supplevit Niebuhrius ex subditicia Orat. *Antequam iret* cet. § 25.

§ 32. *diligentior*] Sic Niebuhrius. Palimpsestus *diligenter*. Accedit hoc loco diligentia ad severitatis notionem. *Inclementior* autem videri poterat senatus, dum S. C. duumvirorum damnationem omnibus modis irritam redderet, tribunum in ordinem redigeret, ipsi iudicio publico, quantum poterat, obsisteret. *Inclementior* populus Ro., quatenus repudiata lege Servilia agraria pauperioribus civibus consultum nolebat. Omnia autem, quae in hac peroratione in Cod. Vatic. a Niebuhrio inventa inclinatis litteris expressa sunt, eiusdem scito esse supplementa.

§ 33. Cum Codex habeat tantum .... *nuare*, melius sane Niebuhrius supplevit *insinuare*, quod ita sine pron. *se* solet usurpare Cicero, quam *manare* Beierus. In seqq. Beierus: *ab intestinis periculis*, *a domesticis conatibus*.

§ 34. *vocem illam*] Neutiquam cum Niebuhrio accipiendum est de formula: *dent magistratus operam*, *ne quid R. P. detrimenti capiat*, quod senatus consultum est: sed consulis formula haec ipsa erat: Qui rem publicam salvam esse volt, arma capito et me sequitor. cfr. Brissonium de formulis p. 197. et supra § 26. — *abstuleritis mihi*] Post v. *mihi* Niebuhrius supplevit *rem publicam*; sed sen-

AM SALVAM ESSE VOLT. Huic voci fav*ete*, *Quirites*, *neque* estro iudicio *abstu*leritis mihi * * * neque eripuer*itis rei* *ublicae* spem liberta*tis*, *sp*em salutis, spem *digni*tatis.

*Quid fac*erem, si T. Labie*nus c*aedem civium *fecis*set, 35
t L. Satur*ninus*, si carcerem re*fregis*set, si Capitol*ium* *um armatis occupa*visset? Facerem *id*, *qu*od C. Marius ecit: *a*d senatum re*ferr*em, vos ad rem publicam *defe*nlendam co*hort*arer, armatus *ipse* vobiscum ar*mato* obsiterem. *Nunc*, quoniam armorum suspicio nulla est, tela on video; non vis, non caedes, non Capitolii atque arcis bsessio est, sed accusatio perniciosa, iudicium acerbum, es tota a tribuno plebi suscepta contra rem publicam, non os ad arma vocan*dos mihi esse*, *sed* ad suffragia cohorandos contra oppugnationem vestrae maiestatis putavi.

Itaque nunc vos omnes oro atque obtestor hortorque: on ita mos est, consulem cum es * * *

XIII. * * *t*imet: qui hasce ore adverso pro re publica 36
icatrices ac notas virtutis accepit, is ne quod accipiat famae volnus [perhorrescit]; quem numquam incursiones hostium loco movere potuerunt, is nunc impetum civium, *c*ui necessario cedendum est, perhorrescit.

Neque a vobis iam bene *v*ivendi, sed hones*t*e moriendi 37
facul*t*atem petit: neque tam *u*t domo sua frua*t*ur, quam ne patrio *s*epulchro privetur, laborat. Nihil al*iud* iam vos orat atque *ob*secrat, nisi uti n*e se* legitimo funer*e et* domestica

---

tentia postulat potius *consulare imperium*, ut est § 2., vel *consulare ius*, utrumvis per notam *Cos.* in Cod. scriptum: cfr. Niebuhrium p. 78. „spatium amplius quattuor vel quinque litteris non patitur." Venit etiam in mentem e § 38. supplere *amicum*.

§ 35. Sequentia, utique liberius, ita constituit Beierus: *Itaque nunc vos omnes oro*, *obtestor*, *hortor*, Q. (uirites), *nolite nos et Coss. omnes privare firmissimo praesidio reip. defendendae*.

§ 36. *volnus perhorrescit - - cedendum est, perhorrescit*] Ita Cod.; id quod sane locum non habet. Niebuhrius igitur correxit: *v. pertimescit — ced. est, perhorrescit.* Sed v. *pertimescit* post v. *timet* minime placet; nec vero probabilior est Beieri ratio: *v. perhorrescit - - ced. est, pertimescit.* Ego prius *perhorrescit* pro gloss. habeo adeoque eiiciendum puto: ac sane facillime posterius v. *perhorrescit* ad prius membrum referri potest.

morte privetis; ut eum, qui pro patria nullum umquam mortis periculum ſugit, in patria mori patiamini.

38 Dixi ad id tempus, quod mihi a tribuno plebi praestitutum est: a vobis peto quaesòque, ut hanc meam defensionem pro amici periculo fidelem, pro rei publicae salute consularem putetis.

M. TULLII CICERONIS
IN
L. CATILINAM
ORATIONES QUATTUOR.

PRAEFATIO.

Inter tot Orationum, quae sunt in Catilinam, editiones nulla adhuc extat ad optimorum codicum familiam accuratius exacta; nam quae proxime ad hanc laudem accedit, Steinmetziana, eo tamen nomine minus idonea videtur usui critico, quod plerumque iis tantum locis, ubi Editor ab Ernestio sibi discedendum esse duxit, lectionis auctoritatem affert; ita ut in aliis permultis, quid suis in Codd. reppererit vir doctus, plane nos fugiat. Atqui in tribus praesertim posterioribus orationibus multum intererat scire, quid optimi quique libri exhiberent.

Huic igitur incommodo mederi tandem statui, tota συλλογῇ tribus ex codicibus praestantissimis emendata omnibusque eorum lectionibus enotatis. Ita factum est, ut perraro aliorum Codd. appellanda esset auctoritas, nisi ubi praestare videretur Grammaticorum veterum, Scholiastae et Cod. in primis Salisburgensis Sec. X. vel XI. apud Steinmetzium lectio.

Mei autem hi sunt:

1) T. = Tegernseensis (nunc Monacensis) Sec. XI. a me ipso post Steinmetzium denuo collatus, una cum Salisburgensi maximae auctoritatis.

2) R. = Rhenaugiensis monasterii in pago Turicensi Cod. N. CXXVII. Sec. XI. nitidissimus, item a me ipso collatus, permagnae auctoritatis.

3) P. = Parcensis monasterii „vetustus," nunc, ut videtur, deperditus, satis diligenter collatus a Levino Torrentio ad meum exemplar Ed. Manutianae a. 1554., melioribus adnumerandus, non tamen ut Codd. Salisb., T. et R. aequiparari possit.

Ceterum nemini auctor ero, ut in puerilibus scholis interpretetur Catilinarias tres posteriores, seminariis potius philologicis reservandas, ubi non sine fructu in utramque partem disputare licebit, utrum Ciceroni tribuendae sint necne. Equidem, vere ut dicam, eorum iudicio nunc accedo, qui eas cum Wolfio, Cludio, Ahrensio summo oratore prorsus indignas censentes rhetori alicui, qui otiosam suam curam Augusti aetate, fortasse paullo post Ciceronis interitum, ediderit, tribuunt, cuiusmodi hominibus scholasticis iam ab Asconio Pediano satis notatis (Ed. Baiteri p. 95.) debemus etiam quinque illas orationes, quarum *νοϑείαν* Marklandus et Wolfius demonstrarunt.

Verum, inquit, opinionem tuam futilem ac prorsus stultam esse docet ipse Cicero, cum ad Atticum 2, 1, 3. haec scribit: *Oratiunculas autem et quas postulas et plures etiam mittam, quoniam quidem ea, quae nos scribimus adulescentulorum studiis excitati, te etiam delectant. Fuit enim mihi commodum, quod in eis orationibus, quae Philippicae nominantur, enituerat civis ille tuus Demosthenes et quod se ab hoc refractariolo iudiciali dicendi genere abiunxerat, ut σεμνότερός τις καὶ πολιτικώτερος videretur, curare, ut meae quoque essent orationes, quae Consulares nominarentur. Quarum una est in senatu, Kal. Ian.; altera ad populum de lege agraria; tertia de Othone, quarta pro Rabirio; quinta de proscriptorum filiis; sexta, cum provinciam in contione deposui; septima, qua Catilinam emisi; octava, quam habui ad populum postridie, quam Catilina profugit; nona in contione, quo die Allobroges involgarunt; decima in senatu Nonis Decembribus; sunt praeterea duae breves, quasi ἀποσπασμάτια legis agrariae. Hoc totum σῶμα curabo ut habeas. Et quoniam te cum scripta, tum res meae delectant, iisdem ex libris perspicies et quae gesserim et quae dixerim: aut ne poposcisses; ego enim tibi me non offerebam.*

Fatcor rem essé perdifficilem elevare atque evertere testimonium tam clarum tamque certum, quo quattuor Catilinariae singulatim enumerantur; nec vero fugisse videtur haec difficultas Ahrensium, qui ipse quoque tres posteriores reiiciens, totum tamen locum accuratius pertractare noluit. Conferatur eius cura p. 66., ubi loci initium et finem dumtaxat afferre satius duxit. Nobis vero in hanc causam penitus intrare propositum est, ut tandem aliquando decidatur; etenim si certis argumentis refutatus ero, meam opinionem defendere ultro desinam, cum iisque faciam, qui rectiora me docuerint.

Iam si fidem tribuimus testimonio illi ad Atticum 2, 1, 3., profecto aut omnes quattuor ipsi Ciceroni tribuendae sunt; aut, qui tres ei abiudicat, eo confugere habebit necesse, ut eas, quae nunc extant, a rhetore confectas esse, veras interisse dicat. Quod quam improbabile sit, vix est cur demonstrem. Etenim in illam aetatem, qua cum maxime florebant litterae Latinae, coniici vix potest tanta iudicii perversitas, ut tres rhetoris declamatiunculas totidem Tullii orationibus, magno sane exemplorum numero ubique diffusis et cuivis facile parabilibus praeferret, has deperire sineret, illas studiose conservaret atque ad nos propagaret. Et tamen per aliquod tempus utrasque, et falsas et veras simul extitisse simulque ab omnibus lectas esse necessario confitendum erit ei, qui loci illius ad Atticum auctoritate non reiecta posteriorum fidem impugnat. Hoc, inquam, prorsus incredibile est, primam sinceram, quae initio una cum reliquis sinceris a sexcentis librariis describeretur, servatam esse, perisse tres veras, tres falsas his ab ignoto homine substitutas ad nos pervenisse. Ita enim casus, etsi maximam vim in res humanas exercet, ludere nunquam potuit. Immo eodem profecto negotio, et longe facilius quidem, primae quoque aliam rhetor supposuisset, trium suarum cantilenam incepturam.

Omnes ergo, inquit, verae aut omnes abiiciendae. Alterum utrum autem, ut statuam, cum a me impetrare neutiquam possim, quid, quaeso, restat? Nihil hercule aliud, nisi ut locum illum Epp. ad Atticum 2, 1. ab eodem falsario, qui tres Catilinarias composuit, inculcatum esse coniiciamus,

et eo quidem fine, ut aequalibus suis eas a Cicerone ipso et habitas et editas esse astute persuaderet.

Vere autem dicere possum, me eo iam tempore, quo nondum satis perspecto toto trium Catilinariarum dicendi genere Wolfium tantum animi causa, vel ut credulis discipulis illuderet, vel ut unius alteriusve sagacitatem periclitaretur, „alteram ex mediis duabus" in νοθείας suspicionem adduxisse rebar, saepius haesisse in verbis nonnullis epistolae illius ab omni Ciceronis consuetudine prorsus abhorrentibus. Sunt autem haec: *refractariolum iudiciale dicendi genus; a dicendi genere se abiungere; oratio, qua Catilinam emisi; Allobroges involgarunt* *). In his igitur paucissimis verbis tria habemus ἅπαξ λεγόμενα, ἄχυρον quartum, *emisi* illud pro *egredi ex urbe iussi* (Pison. 2, 5.) Saltem addendum erat *ex urbe:* ut est pro Sulla § 17. *eiecto sive emisso iam ex urbe Catilina;* ac similiter Catil. 2, § 1. *L. Catilinam ex urbe vel eiecimus vel emisimus.*

Praeterea tres sunt sententiae, quae dubitationem vehementer moveant, utrum Tullianae sint necne. *Quod* (propterea quod) *in eis orationibus*, inquit, *quae Philippicae nominantur, enituerat Demosthenes, fuit mihi commodum, ut meae quoque essent orationes, quae Consulares nominarentur.* Quis, quaeso, ita scribat? cum longe et simplicior et verior haec foret sententia: *„Quemadmodum* (non *quod*) *enituit Demosthenes in Philippicis, sic ego quoque curavi, ut meae essent orationes, ceteris σεμνότεραι καὶ πολιτικώτεραι, quae Consulares nominarentur."* Peior etiam est altera ratio: *et quod Demosthenes se ab hoc refractariolo iudiciali genere abiunxerat*, ideo *fuit mihi commodum, ut meae quoque essent orationes Consulares.* Hoc, si forte, dicere licebat: *„in quibus quidem illud iudiciale dicendi genus litigiosum ac saepe molestum relinquens maiores spiritus sumpsit."*

Quid? quod tota ista comparatio tempore illo, quo scripta finguntur verba mihi suspecta, vix Ciceroni, facillime vero ei in mentem venire poterat, qui et Demosthenis et Cice-

*) „Verbum, quod nesciremus a Cicerone Gellium accepisse, nisi extaret ad Atticum 2, 1." Iac. Gronovius ad Gellii N. A. 3, 11.

ronis *Philippicas* nosset, in eoque elaborandum duceret, ut una cum Ciceronis *Philippicis* alterum etiam *Consularium σῶμα* extaret utriusque oratoris *Philippicis* aequiparandum, quod quidem ipse ex veris et falsis callide composuerat. — Deinde quid dicit? *Iisdem ex libris*, inquit, *perspicies, et quae gesserim et quae dixerim.* Attico scilicet, qui ipse commentarium consulatus Ciceronis Graece scripserat (cfr. eiusdem Epistolae § 1. et Cornelii Nep. vit. Attici c. 18. extr.), etiamtum *perspiciendum* erat, quid Cicero *gessisset!* Unum hoc, opinor, dici poterat: „tu, qui optime res meas gestas nosti adeoque earum commentarium scripsisti, ex hisce orationibus etiam verba, quibus in singulis actionibus usus sim, cognosces." Locus quoque in fine: *aut ne poposcisses; ego enim tibi non me offerebam*, mihi solitum Ciceronis leporem minime referre, immo rusticitatis colorem habere semper visus est. Quid? quod etiam scholastici nescio quid redolent illa: *ea, quae nos scribimus adulescentulorum studiis excitati:* quidni etiam familiarium et amicorum? neque profecto affectatione carent Graeca in tam brevi loco nimis cumulata. *Τῇ χειρὶ ἔδει σπείρειν, ἀλλὰ μὴ ὅλῳ τῷ θυλάκῳ.*

Sed cui tandem scriptori tribuemus tres Catilinarias subditicias? M. Tullio Tironi, Marci liberto et scribae, ut equidem suspicor propterea maxime, quod vix ab alio locus ille Epistolae ad Atticum inculcari poterat quam ab ipso earum editore. Is igitur cum summopere a se honoratum iri optimum patronum opinatus esset, si eius res gesta tam illustris, Catilinae coniuratio et patefacta et oppressa, non una dumtaxat, sed quattuor celebraretur orationibus, quemadmodum tribus dissuasio legis agrariae peracta erat, rem strenue aggressus esse mihi videtur. Quod cum suscepisset, aequare tamen patronum nequivit, sed, ut erat hominis captus, permultas ubique sententias et tenues et inanes effutiit, molestis earundem repetitionibus ingenii ieiunitatem prodidit; misere, ut unum exemplum hic commemorem, sese torsit in sex Catilinariorum generibus confingendis (2, 8.); fatuum aliquoties erga libertinos ac scribas, e quorum genere ipse erat, amorem ostentavit; errores haud paucos commisit, in quarta praesertim, quos errores ingeniose

et investigavit et refutavit Ahrensius; in verbis denique ipsis tam multa habet sua propria atque a patroni consuetudine longe abhorrentia, ut fraudem non iamdudum odoratos esse Marklandos, Tunstallos eorumque similes criticos prope mirere *). Verum, ut ante dixi, quo facinus suum in perpetuum, ut sperabat, occultaret, epistolas ad Atticum edens alia rursus fraude usus est, ut loco admodum apto post commemoratum Attici consulatus Tulliani commentarium illa insereret, quae paullo ante examinavimus.

Sed una maxime difficultate premi totam nostram disputationem ultro fateor. Quo modo, inquit, fieri potuit, ut vel Tiro vel etiam eorundem temporum rhetor alius, quod ad ipsas res gestas attinet, tam turpes committeret errores? cum Tironi certe consulere quotidie liceret et Ciceronis sui et Attici commentarios, fortasse etiam Salustii bellum Catilinarium. Nam de hoc quidem in utramque partem disputari potest, cum pro certo exputaturus nemo sit, utrum verbis nonnullis consulto immutatis P. Lentuli epistola e Salustii libro, an ipsis verbis servatis e commentariis illis deprompta sit. Quo loco id veluti in transcursu notabo, Salustium aut primam dumtaxat Ciceronis orationem notam habuisse, aut, si vel maxime tres reliquas viderit, tacite significare voluisse, eas sibi reiiciendas videri. Sic enim ille Cap. 31.: *Catilina in senatum venit. Tum M. Tullius consul sive praesentiam eius timens sive ira commotus orationem habuit luculentam atque utilem rei publicae, quam postea scriptam edidit.* Is igitur, cum tam facile fuisset verbo saltem commemorare alias a consule habitas et editas, obstinatum de iis servat silentium, paucissimis

---

*) Memorabile tamen hoc est Boettigeri, V. C., de tertia iudicium: „quae quidem," inquit, „minore cura elaborata atque elimata videri queat, quam quae adhuc leguntur Ciceronis orationes reliquae." Prolus. 1791. p. 1. Nec minus operae pretium est videre, quomodo Weiskius, homo minime hebetis ingenii, sese torserit in extricandis, reprehendendis, excusandis sententiolis illis acutulis et tamen inanibus. Idem interdum se nihil prorsus intelligere fatetur. Similia repperi apud Bouhierium et Blochium. Scilicet hi omnes non sine magna molestia in eo elaborabant, ut ieiunum declamatorem Tullio digna dixisse demonstrarent, quamvis saepenumero de ea re paene desperarent. Verus autem ex ea difficultate exitus a nemine erat indicatus.

verbis tangens relationem consularem Cap. 50. Verum id olim nescio cui invidiae in Ciceronem mortuum tribuebatur, adeo, ut propter id ipsum, quod res, uti gestae erant, tradiderat summus scriptor, malus veri auctor a plerisque haberetur.

Sed, ut, unde degressa est, revertatur oratio, errores illi, quos Cicero ipse in se admittere nunquam poterat, tribui debent partim incredibili negligentiae illius Pseudociceronum paene dixerim sectae, qui homines verba unice captantes rerum parum religiosi erant investigatores, etiam ubi facillimum esset verum in singulis dictis factisque invenire, velut in tota hac causa, diligentius aliquanto perlectis commentariis Ciceronis, Attici, Salustii; partim repeti debent eiusmodi lapsus a tristi necessitate, quam ipse sibi imposuerat scriptor praesertim quartae, cum Ciceronem eo loco verba facientem induceret, quo tam longam orationem neque habuit neque omnino habere poterat; qua de re consulas licet illius declamationis interpretationem.

Quod si Tiro prorsus liber est a culpa, cuius eum, vere dicam, perquam invitus accusavi, alii rhetori eius aequali erunt adiudicandae et tres orationes posteriores et locus ille controversus Epp. ad Att. 2, 1., quamquam si fuit alius a Tirone, difficilius est intellectu, quo modo quaque arte locus iste in harum Epistolarum exempla inculcatus sit. Verum ut dixi, quomodocunque hoc factum est, ita haec sunt inter se connexa et implicata, ut et orationes a nobis impugnatas et particulam illam epistolae aut pro veris aut pro adulterinis habeamus necesse sit; una stant, una cadunt.

Postremum autem hoc erit nostrae causae argumentum, quod Cicero, (qui ipse quoque primae orationis mentionem iniicit in Oratoris § 129. *a nobis homo audacissimus Catilina in senatu accusatus obmutuit:*) multas profecto et gravissimas causas habuisse videtur, cur ab aliis in Catilinarios elaborandis atque edendis prorsus abstineret; cum praesertim totam coniurationis seriem Consulatus sui et commentariis et poëmate satis superque iam explicasset. Quae quidem scripta longe minus invidiosa erant, quam si primae tres alias orationes comites adiunxisset, quas ab omnibus et amicis et inimicis multo studiosius quam illa

familiaribus potius destinata et fortasse intra domesticos parietes plerumque asservata *), conquisitum lectumque iri antevidere debebat.

Prima quidem oratio nullam aut exiguam habebat offensionem, quoniam nemo ne mussitare quidem poterat, cum rei publicae detrimento patefactam esse coniurationem, iniuria a consule ex urbe egredi iussum esse hominem perditum et consceleratum; supplicium contra de civibus Romanis indicta causa sumptum maximae ei semper invidiae fuit, donec ipse in exilium pelleretur. Hanc vero invidiam intra annos u. c. 692 — 696 excitare atque augere huiuscemodi oratiunculis edendis nihil profecto attinebat, satis aspere cum invectus in necatos et in coniurationis reliquias esset etiam in Sullana ac Mureniana. Post restitutionem autem cum tot tantaque negotia supervenissent maiora et philosophiae quoque studia esset aggressus, minime ei vacabat talibus orationibus pervolgandis simul cum memoria pulcherrimi facti refricare vix obductam cicatricem.

(Annotationes, quas subieci, unice historici esse generis volui, ut accurate in omnibus rebus Ciceronis et veri et falsi atque Salustii testimoniis non modo illustrarentur hae qualescunque orationes, verum etiam notarentur declamatoris errores simulque discerent adolescentes, quomodo rerum scriptores eadem narrantes inter se sint contendendi. Aliter vero vix fieri potuit, quam ut priorum interpretum curis communis iam iuris factis pro consilio meo libere abuterer.)

---

*) Hoc in primis de commentariis affirmari posse puto. Qui enim factum est, ut in celebratissima illa ad Lucceium Epistola (ad Fam. 5, 12.) post restitutionem scripta haec dicat: *quod si a te non impetro* (ut res meas gestas *a principio coniurationis* usque ad reditum meum exponas) *cogar fortasse facere, quod nonnulli saepe reprehendunt, scribam ipse de me; — si suscipis causam, conficiam commentarios rerum omnium*: atqui Consulatus commentarium iamdudum confecerat, sed Lucceium celatum voluit. Et cur, quaeso, in libro de Legg. primo, ubi Atticus postulari a Tullio iamdiu vel flagitari potius historiam dicit, optatque, ut ea complectatur, quibus ipse interfuerit, ne verbo quidem significatur eiusmodi quid, etiamsi fortasse non omnibus numeris absolutum, eum iam olim molitum esse? Consulatus contra poëma minime ab eo occultatum esse demonstrant libri de Divinatione.

ARGUMENTUM.

L. Sergius Catilina, patricii generis, Sullanis temporibus in caedibus proscriptorum et in rapinis versatus, postea obaeratus res novas moliri coepit et adiunctis sibi sociis hominibus perditissimis, opprimendae rei publicae consilium iniit. Ex Africa, quam M'. Aemilio Lepido L. Volcatio Tullo Coss. (688. *U. c.*) *pro praetore obtinuerat, reversus a P. Clodio repetundarum reus factus est et, quamquam anno post absolutus est, tum tamen consulatus petitione prohibitus. Quare primum cum P. Autronio Paeto et P. Cornelio Sulla, qui Coss. designati in a. DCLXXXIX. U. c. de ambitu damnati cesserant Torquato et Cottae, et cum Cn. Pisone conspiravit extremo anno DCLXXXVIII., consilio tamen et conatu interficiendorum consulum excidit. Iam cum anno DCXC., quo inter sicarios accusatus esse dicitur, iterum consulatum petiisset, Cicero autem et C. Antonius Hybrida facti essent consules, huic Catilinae amico ille iam consul* (691. *U. c.*) *per Fulviam a Q. Curio conscio de coniuratione certior factus pactione provinciae persuasit, ne contra rem publicam sentiret, atque furori Catilinae crescenti omni modo obstitit. Ubi igitur iste rursus consulatum petere aggressus est, Cicero de coniuratione in senatu verba fecit* (*a. d. XIV. et XIII. Kal. Nov.*) *et comitiis consularibus a. d. XII. Kal. Nov. in V. Kal. Nov. dilatis effecit, ut Catilina spem abiiceret. Ac cum XII. Kal. Nov. senatus decrevisset, darent operam Coss., ne quid res publica detrimenti caperet, iste extrema experiri et bellum facere constituit. Primus arma contra rem publicam movit C. Mallius Faesulas missus. Ipse Catilina coniuratis in Laecae domo consilia noctu* (*VI. et VII. Id. Nov.*) *aperuit. Hinc senatus consulto Q. Marcius rex et Q. Metellus*

Creticus, qui erant ad Urbem cum exercitu, in Apuliam, praetores Q. Pompeius Rufus Capuam, Q. Metellus Celer in agrum Picenum missi sunt, per totam autem Urbem vigiliae habitae. Postquam vero a. d. VII. Id. Nov. Cicero insidias effugerat Vargunteii et Cornelii per causam matutinae salutationis caedem ipsi molientium, a. d. VI. Id. Nov. in templo Iovis senatum habuit. In quem cum Catilina venire ausus esset, p r i m a m *in eum* o r a t i o n e m *dixit, eique suasit, ut Urbe exiret. Ipse vero senatores precatus, ne quid temere de se crederent, omnes autem sibi obstrepere conspicatus, minatur suum incendium patriae ruina se restincturum, domum se e curia proripit et cum aliquot amicis in castra Malliana proficiscitur, relictis in Urbe consciis, quibus caedium et incendiorum partes erant datae. Proximo die (a. d. V. Id. Nov.) Cicero, ut volgo rentur,* s e c u n d a m o r a t i o n e m *habuit ad populum, qua invidiam a se averteret Catilinae sive lenius puniti sive crudelius eiecti. Catilina igitur et Mallius a. d. XII. Kal. Decembr. senatus consulto patriae hostes sunt iudicati. Interea legati Allobrogum a P. Cornelio Lentulo Sura praetore per P. Umbrenum, equitem Romanum, sollicitati litteris ad populi sui senatum acceptis, sed Ciceroni per Q. Fabium Sangam civitatis suae patronum re patefacta discedentes a. d. IV. aut III. Non. Decembr. tertia vigilia noctis iussu consulis a L. Valerio Flacco et C. Pomptino praetoribus in ponte Mulvio comprehensi sunt et prima luce ad Ciceronem deducti. Hic arcessitis coniurationis principibus et senatu in Concordiae aedem convocato rem omnem certis indiciis et litteris patefecit. Itaque novem coniurationis principibus in custodiam datis senatus Ciceroni testimonium conservatae rei publicae et novum supplicationis genus decrevit. Quo facto Cicero iterum in contionem progressus a. d. III. aut prid. Kal. Dec.* o r a t i o n e t e r t i a *et quae in senatu acta essent*

exposuisse et ad concelebrandam supplicationem sibi a senatu decretam populum cohortatus esse fingitur. Denique Nonis Decembribus cum senatu de puniendis coniuratis deliberante duae essent sententiae, altera D. Iunii Silani cos. designati supplicium suadentis, altera C. Iulii Caesaris coniuratos bonis publicatis per municipia custodiendos esse censentis, tandem sententia Silani severior Catonis auctoritate et, ut perhibent, oratione Ciceronis quarta commendata vicit. Itaque senatus consulto in hanc sententiam facto de quinque coniuratis in carcere supplicium est sumptum; Catilina autem cum plerisque sociis in praelio Pistoriensi Non. Ianuar. a. U. c. DCXCII. cecidit.

I. Quousque tandem abutére, Catilina, patientia nostra? 1 quamdiu etiam furor iste tuus [nos] eludet? quem ad finem sese effrenata iactabit audacia? nihilne te nocturnum praesidium Palatii, nihil urbis vigiliae, nihil timor populi, nihil concursus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora voltusque moverunt? patere tua consilia non sentis? constrictam iam horum omnium conscientia teneri coniurationem tuam non vides? quid proxima, quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consilii ceperis, quem nostrûm ignorare arbi-

---

VAR. LECTT. § 1. *et quamdiu*] T. — *etiam*] habent TR. [ ] Madvig. (om. Pompeius Gr. p. 81. Lind. Codd. aliq.) — *nos*] habent TR. Omittunt Donatus et Iulius Victor p. 109. Rom. Maxime suspectum fit propter variam posituram ante v. *etiam* in Edd. vett. — *sese effr.*] Sic TR., non *effr. sese*. — *concursus*] TRP. non *consensus*. — *moverunt*] T. *movent* R. — *horum omnium*] R. *omnium horum* T. Ern. — *scientia* TR. — *quid consilii ceperis, quos convocaveris* R.

ANNOTT. HIST. § 1. *Palatii*] collis Palatini Foro coniuncti. — *locus*] templum Iovis Statoris in radicibus Palatii. cfr. § 11. Praesidia ex equitibus Ro. constabant cfr. § 21. Salust. 49. *nonnulli equites Ro. cum telis erant circum aedem Concordiae*. Cfr. eundem c. 30. *decrevere patres: - - Romae per totam urbem vigiliae haberentur iisque minores magistratus praeessent*. — *timor populi*] Sal. c. 31. *immutata urbis facies erat; ex summa laetitia atque lascivia - - repente omnis tristitia invasit; festinare, trepidare* cet. — *quid proxima, quid superiore*] Superior nox est eadem quae *prior* § 8. scil. „*nox ea, quae consecuta est posterum diem Nonarum*

2 traris? O tempora! o mores! Senatus haec intelligit, consul videt: hic tamen vivit. Vivit? Immo vero etiam in senatum venit: fit publici consilii particeps: notat et designat oculis ad caedem unum quemque nostrûm. Nos autem, viri fortes, satisfacere rei publicae videmur, si istius furorem ac tela vitemus. Ad mortem te, Catilina, duci iussu consulis iampridem oportebat; in te conferri pestem istam, quam tu
3 in nos omnes iamdiu machinaris. An vero vir amplissimus, P. Scipio, pontifex maximus, Ti. Gracchum mediocriter labefactantem statum rei publicae privatus interfecit: Catilinam orbem terrae caede atque incendiis vastare cupientem, nos consules perferemus? Nam illa nimis antiqua praetereo, quod C. Servilius Ahala Sp. Maelium, novis rebus studentem, manu sua occidit. Fuit, fuit ista quondam in hac re publica virtus, ut viri fortes acrioribus suppliciis civem perniciosum quam acerbissimum hostem coërcerent. Habemus senatus consultum in te, Catilina, vehemens et grave: non deest rei publicae consilium neque auctoritas huius ordinis: nos, nos, dico aperte, consules desumus.

---

§ 2. *haec*] TRP. non *hoc*. — *hic*] TR. non *et hic*. — *immo vero*] TR. *immo* P. — *fortes viri* R. (non T.) — *duci, Catilina* P. — *in nos omnes*] R. *in nos* T. — *iamdiu*] T. *iam dudum* R. — *Catilinam*] Quintil. 8, 14, 14. *Catilinam vero* TR. Non habet locum post vv. *An vero*.

§ 3. *C. Servilius*] Cod. Mureti? *Q. Servilius* TR. — *Ala* R. (non T.) — *occidit*] TR. *interfecit* P. — *ista quondam*] T. *quondam ista* R. — *virtus in hac re publ.* R. (non T.) — *Habemus*] P. *Habemus enim* TR. prob. Hand Turs. 2. p. 390. — *o Catilina* T. — *Gaius Gracchus* TR.

Novembrium (5 Nov.)" pro Sulla § 52., quae tota inspicienda. *Proxima nocte*, id est, ea, quae consecuta est VII. Id. Nov. (7 Nov.), quid egerit Catilina ignoramus, sed otiosum non mansisse consentaneum est.

§ 3. Ti. Gracchus, patre bis consule natus et Cornelia, superioris Africani filia, tribunus pl. toti Italiae civitatem pollicitus, simul etiam promulgatis agrariis legibus, Octavio collegae imperium abrogaverat atque se et socerum Appium et Caium fratrem triumviros agris dividendis coloniisque deducendis creaverat. Tum P. Scipio Nasica, consobrinus eius, circumdata laevo brachio togae lacinia, ex superiore parte Capitolii, qui rem publicam salvam esse vellent, se sequi iussit atque in Gracchanam turbam irruit. Gracchus fugiens et fragmine subsellii ictus ad ipsas fores templi vitam immatura morte finivit a. u. c. 621. Velleius 2, 3. Cic. Tusc. 4, 23. Appian. B. C. 1, 16 — 17. Steinmetz. — *privatus*] Pontificatus enim magistratus non erat, quippe qui perpetuus esset s. ad vitae tempus daretur,

II. Decrevit quondam senatus, ut L. Opimius consul 4
videret, ne quid res publica detrimenti caperet. Nox nulla intercessit: interfectus est propter quasdam seditionum suspiciones C. Gracchus clarissimo patre avo maioribus; occisus est cum liberis M. Fulvius consularis. Simili senatus consulto C. Mario et L. Valerio consulibus est permissa res publica. Num unum diem postea L. Saturninum tribunum plebi et C. Servilium praetorem mors ac rei publicae poena

---

§ 4. *patre, avo, maioribus*] Gemblac. *patre a maioribus* R. *patre natus a maioribus* T. — *occisus cum* R. (non T.) — *est permissa*] TR. *permissa est* Ern. — *praetorem mors ac rei publicae poena remorata est*] Scholiasta ad Catil. 3, § 15. TR. *praetorem rei publicae poena remorata est* Wunder cum Cod. Grimano in Museo Rhen. 3, 2. p. 383. — *At vero nos*] TR. *At nos* Ern. — *huiuscemodi consultum senatus* R. — *tamquam in vagina reconditum*] TR. *tamquam in vagina recon-*

---

cum magistratus annui essent. Vide pro Flacco 36. Idem. — *Sp. Maelium*] Livii Epitome Lib. 4. *Cum fame populus Ro. laboraret, Sp. Maelius, eques Romanus, frumentum populo sua impensa largitus est; et ob id factum conciliata sibi plebe, regnum affectans, a C. Servilio Ahala, magistro equitum, iussu Quintii Cincinnati dictatoris occisus est* a. u. c. 315.

§ 4. L. Opimius, qui praetor Fregellas exciderat, C. Gracchum persecutus armis unaque M. Fulvium Flaccum, consularem ac triumphalem virum, quem C. Gracchus in locum Tib. fratris triumvirum nominaverat, morte affecit. Flaccus in Aventino armatos ad pugnam ciens cum filio maiore iugulatus est; Gracchus profugiens, cum iam comprehenderetur ab iis, quos Opimius miserat, cervicem Euporo servo praebuit. Quinto, alteri Fulvii Flacci filio, qui bis ad senatum de condicionibus missus erat, permissum est genus mortis eligere a. u. c. 633. Velleius 2, 6 et 7. Appian. B. C. 1, 21—26. Philipp. 8, 4. — *patre*] Ti. Sempronio Graccho, bis consule (aa. 577 et 591.) et censore, qui de Celtiberis triumphavit. — *avo*] P. Scipione Africano maiore. — *simili senatus consulto*] Cfr. ad orat. pro C. Rabirio § 19. (a. u. c. 654.) — *vicesimum*] Asconius Pedianus in Pison. 2. p. 6. Ed. Bait. *Cicero in ea quoque, quam habuit in Catilinam in senatu, cum octavus decimus dies esset, posteaquam factum senatus consultum,* ut viderent consules, ne quid res publica detrimentum caperet, *vigesimum diem habere senatus consultum tamquam* (seqq. exciderunt.) Sed Ahrens optime demonstravit Ciceronem ex ea, quae tunc ipsum obtinebat, consuetudine locutum esse, ex sui temporis usu Asconium. „Antiquiores scil., etiam Cicero, affectos dies annosve pro confectis completisque ponebant eosque ea lege putabant, ut utrumque terminum, qui primus esset et qui ultimus, summa numerorum comprehenderent. — — Primus igitur est a. d. XII. Kal. Nov. (21 Octobr.) postremus a. d. VI. Id. Nov. (8 Nov.) Ex priore numero duodecim dierum mensis Octobris rationem subducimus; eisque quattuor dies addemus mensis Novembris, qui ante Nonas erant, tum Nonas, postea illum diem, quem nox, qua Catilina in domum M. Laecae cum sociis convenit, est secuta, id est, VIII. Id. Nov., deinde quo Cicero sena-

remorata est? At vero nos vicesimum iam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis. Habemus enim huiusmodi senatus consultum, verumtamen inclusum in tabulis, tamquam in vagina reconditum: quo ex senatus consulto confestim interfectum te esse, Catilina, convenit. Vivis: et vivis non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam. Cupio, Patres conscripti, me esse clementem; cupio in tantis rei publicae periculis me non dissolutum videri: sed iam
5 me ipsum inertiae nequitiaeque condemno. Castra sunt in Italia contra rem publicam in Etruriae faucibus collocata: crescit in dies singulos hostium numerus: eorum autem castrorum imperatorem ducemque hostium intra moenia atque adeo in senatu videmus intestinam aliquam cotidie perniciem rei publicae molientem. Si te iam, Catilina, comprehendi, si interfici iussero: credo, erit verendum mihi, ne non hoc potius omnes boni serius a me, quam quisquam crudelius factum esse dicat. Verum ego hoc, quod iam-

---

ditum gladium P. *tamquam gladium in vag. rec.* Ern. Vides gloss. diversam collocationem. Asconius autem, quem testem appellant F. A. Wolfius et Steinmetz. pro v. *gladium*, in sincera Ed. Baiteri p. 6. defectum habet post v. *tamquam.* — *quo senatus c.* R. (non T.) — *Cupio, P. C. me clementem, cupio in tantis R. P. periculis non dissolutum videri.* Wunderi susp. (*me* ante *non* omittunt Car. Stephanus et Lamb.) — *sed iam*] Ern. *sed etiam* TR. — *ipsum*] TR. *ipse* Ern.

§ 5. *contra P. R.* TR. — *castrorum imperatorem*] TR. *imp. castr.* Ern. — *videmus*] TR. Ern. *videtis* ex aliis Codd. praetulit Madvig. — *Catilina, iam* R. (non T.) — *si te interfici*] T., non R. — *potius hoc* TP., *non potius omnes boni hoc serius* R. — *interficiam te*] TRP. Ern. *interficiere* Cod. Lipsii. Sal. Madvig. (Illud nimis crudele videbatur et piis librariis et Grutero.)

---

tum vocavit (VII. Id. Nov.), denique quo in Catilinam in senatu dixit (VI. Id. Nov.), numeratisque omnibus plenissime summa viginti dierum efficitur." Nec vero Ciceroni repugnat Salustius c. 29., qui minime ita interpretandus, ac si dixisset S. C. illud *darent operam consules, nequid r. p. d. c.*, factum esse a. d. VII. Id. Nov., sed cum narrasset, quae Romae acta erant usque ad eum diem, transit ad ea, quae Mallius in Etruria patrarat atque, cum ea Romam nuntiata essent, ex Ciceronis relatione consulari S. C. illud factum tradit. cfr. huius orat. § 7., unde constat XII. Kal. Nov. (21 Octobr.) ex Ciceronis ratione dies putandi, nono die ante caedem optimatium in a. d. V. Kal. Nov. (28 Octobr.) a Catilina conlatam atque constitutam illud a senatu decretum esse. Re vera autem *Mallius arma cepit cum magna multitudine a. d. VI. Kal. Nov.* Sal. 30.

§ 5. *Castra - - in Etruria*] Sal. c. 28. *C. Mallius in Etruria plebem sollicitare - - praeterea latrones cuiusque generis - - nonnullos ex Sullanis colonis.*

pridem factum esse oportuit, certa de causa nondum adducor, ut faciam. Tum denique interficiam te, cum iam nemo tam improbus, tam perditus, tam tui similis inveniri poterit,
qui id non iure factum esse fateatur. Quamdiu quisquam 6
erit, qui te defendere audeat, vives: sed vives ita, ut vivis, multis meis et firmis praesidiis obsessus, ne commovere te contra rem publicam possis. Multorum te etiam oculi et aures non sentientem, sicut adhuc fecerunt, speculabuntur atque custodient.

III. Etenim quid est, Catilina, quod iam amplius exspectes, si neque nox tenebris obscurare coetus nefarios nec privata domus parietibus continere voces coniurationis [tuae] potest? si illustrantur, si erumpunt omnia? Muta iam istam mentem, mihi crede: obliviscere caedis atque incendiorum. Teneris undique: luce sunt clariora nobis tua consilia omnia: quae iam mecum licet recognoscas. Memini- 7
stine me ante diem XII. Kalendas Novembres dicere in senatu, fore in armis certo die, qui dies futurus esset ante diem VI. Kal. Novembres, C. Mallium, audaciae satellitem atque administrum tuae? Num me fefellit, Catilina, non modo res tanta, tam atrox, tam incredibilis, verum, id quod multo magis est admirandum, dies? Dixi ego idem in

§ 6. *sed vives*] Weiskii et Madvigii susp. — *et vives* TR. Ern. — *ut vivis*] TR. *ut nunc vivis* Ern. — *obsessus*] *oppressus* TR. — *coeptus* TR. Recepit Steinmetz vocabulum, quo semel utitur Cicero, propter insolentiam praeponens *quasi*. de Finn. 4, § 41. *primos suos quasi coeptus appetendi.* — *voces*] TRP. *vocem* Ern. — *tuae* om. TRP. — *erumpent* R. — Vv. *mihi crede* ante v. *teneris* transponenda censuerunt Heumannus et Wunderus. — *clariora nobis sunt* R. (non T.) *clariora luce sunt nobis consilia tua omnia* P. (Vv. *nobis* et *omnia*, quae retinent TRP., [ ] Madvig. — *iam*] RP. *etiam* T. Ern. — *licet mecum* R. (non T.)

§ 7. *Kalendarum Novembrium* e Prisciano 18. p. 1210. et Codd. aliq. dedit Steinmetz h. l. et infra; retinens tertio loco accus. Apud Cic. me non memini genitivum legere; et nostri contra stant. — *fore in armis certo die*] TRP. *certo die fore in armis* Ern. — *VI. Kal.*] T. *VIII. Kal.* R. — *C. Mallium*] Salust. Catil. 30. *C. Manlium* TR. (*militem* pro *satellitem* T. non R.) — *tamque incr.* TR. —

§ 7. *a. d. XII. Kal. Nov.*] Vide supra. Sal. c. 24. *Catilina pecuniam sua aut amicorum fide sumptam mutuam Faesulas ad Mallium quendam portare, qui postea princeps fuit belli faciundi.* — *multi principes*] de hoc nihil apud Salustium. Neque enim eo referri potest, quod *Senati decreto Q. Marcius Rex Faesulas, Q. Metellus Creticus in Apuliam circumque ea loca* (formulae ipsius haec verba sunt) — *prae-*

senatu, caedem te optimatium contulisse in ante diem V. Kalendas Novembres, tum, cum multi principes civitatis Roma non tam sui conservandi, quam tuorum consiliorum reprimendorum causa profugerunt. Num infitiari potes te illo ipso die meis praesidiis, mea diligentia circumclusum, commovere te contra rem publicam non potuisse, cum tu, discessu ceterorum, nostra tamen, qui remansissemus, caede
8 contentum te esse dicebas? Quid? cum tu te Praeneste Kalendis ipsis Novembribus occupaturum nocturno impetu esse confideres: sensistine illam coloniam meo iussu meis praesidiis custodiis vigiliisque esse munitam? Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, quod ego non modo audiam, sed etiam videam planeque sentiam.

---

admirandum est P. — *optimatium*] TR. *optimatum* Ern. — *Roma*] *Romae* TR. Omittit v. *Roma* h. l. Cod. Parc. transponitque ante v. *profugerunt*; quo suspectum fit de gloss. — *Nec infitiari* R. (non T.)

§ 8. *tu te*] T. *tute* Ern. *tu* RP. — *Novembribus*] TR. *Novembris* Ern. — *meis praesidiis*] TR. *praesidiis* Ern. coni. — *nihil cogitas, nihil moliris* P., non TR. — *quod ego*] Codd. noti. *quin ego* Madvig. coni., qua sane tollitur omnis loci difficultas. Sic pro Caecina § 39., ut in Madvigii emendatione, coniunctis verbis artissime connexis praeponitur negatio: *ne non modo intrare, verum etiam adspicere - - possim.* — *non modo audiam*] T. cum plerisque Codd. *non modo non audiam* RP. Ern. — *sed etiam videam*] TRP. cum cett. Codd. praeter Cuiacianum, qui: *sed etiam non videam* sicque Ern. — *mecum tandem* R. — *priore*] TR. *priori* Ern. — *Laecae*] Sic nummi et Cld. Graevii. *Leccae* TR. Ern. — *enim esse hic*] T. *enim hic esse* R. *enim hic* Wunder et Madvig. cum Cod. Lambini et Parcensi. — *fuerunt*] TR. *fuere* Ern.

---

tores Q. Pompeius Rufus Capuam, Q. Metellus Celer in agrum Picenum missi sunt. Sal. c. 30.

§ 8. *Praeneste*] hoc oppidum Latii, hodie *Palestrina*, cc. stadiis ab Urbe distans ac munitissimum in primis aptum erat ad res novas moliendas, ut ex altera parte Capua, quam tentavit per C. Marcellum a P. Sestio inde exterminatum; (v. Sestianae § 9.) Incepta haec Salustius his vv. c. 24. complexus esse videtur: *arma per Italiam locis opportunis parare.* et magis etiam apposite c. 27. *Mallium Faesulas, Septimium quendam Camertem in agrum Picenum, C. Iulium in Apuliam dimisit; praeterea alium alio, quem ubique opportunum sibi fore credebat.* Ibid. § 42. *Sed illi, quos ante Catilina dimiserat, inconsulte ac veluti per dementiam cuncta simul agebant; nocturnis conciliis, armorum atque telorum portationibus, festinando agitando omnia plus timoris quam periculi effecerant.* — *in M. Laecae*] pro Sulla § 52. et sqq. *Intempesta nocte coniurationis principes convocat per M. Porcium Laecam.*

IV. Recognosce tandem mecum noctem illam superio-
rem: iam intelliges multo me vigilare acrius ad salutem
quam te ad perniciem rei publicae. Dico te priore nocte ve-
nisse inter falcarios (non agam obscure) in M. Laecae domum:
convenisse eodem complures eiusdem amentiae scelerisque
socios. Num negare audes? Quid taces? Convincam, si
negas. Video enim [esse] hic in senatu quosdam, qui tecum
una fuerunt. O dii immortales! ubinam gentium sumus? 9
quam rem publicam habemus? in qua urbe vivimus? Hic,
hic sunt, nostro in numero, Patres conscripti, in hoc orbis
terrae sanctissimo gravissimoque consilio, qui de nostro
omnium interitu, qui de huius urbis atque adeo orbis ter-
rarum exitio cogitent. Hosce ego video consul, et de re
publica sententiam rogo! et, quos ferro trucidari oportebat,
eos nondum voce volnero! Fuisti igitur apud Laecam illa
nocte, Catilina: distribuisti partes Italiae: statuisti, quo
quemque proficisci placeret; delegisti, quos Romae relin-
queres, quos tecum educeres; descripsisti urbis partes ad
incendia; confirmasti te ipsum iam esse exiturum; dixisti
paullulum tibi esse etiam nunc morae, quod ego viverem.
Reperti sunt duo equites Romani, qui te ista cura libera-
rent et sese illa ipsa nocte paullo ante lucem me in meo
lectulo interfecturos esse pollicerentur. Haec ego omnia, 10
vixdum etiam coetu vestro dimisso, comperi: domum meam

---

§ 9. *quam rem* cet.] T. (sed: *qua in.*) *in qua urbe vivimus? quam remp. habemus?* R. — (*Hic sunt* T.) *in n.* R. — *qui de nostro omnium*] TR. *qui de nostrum omnium* P. *qui de meo nostroque omnium* Ern. — *adeo de orbis* P. — *consul ego video* R. — *paulum* R. (non T.) — *etiam nunc*] TR. *etiam tum* Ern. — *se illa* R. (non T.) — *me in meo*] RP. *me meo in* T. Ern. — *interfecturos esse*] TRP. *interfecturos* Ern.

§ 10. *ad me salutatum mane* T. Om. *mane* R. — *exi, egredere* P. — *tua illa*] TR. — *illa tua* Ern. — *Manliana* TR. Ern. — *sin minus* P.

---

§ 9. *duo equites Romani*] *C. Cornelius, eques Ro., — et cum eo L. Vargunteius senator constituere ea nocte paullo post cum armatis hominibus sicuti salutatum introire ad Ciceronem ac de improviso domi suae imparatum confodere; — sed ianua prohibiti tantum facinus frustra susceperant.* Sal. Cat. 28. cfr. Sullanae § 52., ubi unus C. Cornelius nominatur; sed ibid. 6. *Vargunteius* coniuratis postea iudicio publico condemnatis annumeratur. Neque vero ulla est diversitas inter Tullium et Sallustium. Tullius cum illa loqueretur, Varguntelum, equitem Ro., in senatum cum sexcentis aliis allectum indignum habuit, quem nominaret senatorem. cfr. etiam Sal. c. 17.

maioribus praesidiis munivi atque firmavi: exclusi eos, quos tu mane ad me salutatum miseras, cum illi ipsi venissent, quos ego iam multis ac summis viris ad me id temporis venturos esse praedixeram.

V. Quae cum ita sint, Catilina, perge, quo coepisti: egredere aliquando ex urbe: patent portae: proficiscere. Nimium diu te imperatorem tua illa Malliana castra desiderant. Educ tecum etiam omnes tuos: si minus, quam plurimos. Purga urbem. Magno me metu liberabis, dummodo inter me atque te murus intersit. Nobiscum versari iam diutius non potes: non feram, non patiar, non sinam.
11 Magna diis immortalibus habenda est atque huic ipsi Iovi Statori, antiquissimo custodi huius urbis, gratia, quod hanc tam tetram, tam horribilem tamque infestam rei publicae pestem toties iam effugimus. Non est saepius in uno homine summa salus periclitanda rei publicae. Quamdiu mihi consuli designato, Catilina, insidiatus es, non publico me praesidio, sed privata diligentia defendi. Cum proximis comitiis consularibus me consulem in campo et competitores tuos interficere voluisti, compressi conatus tuos nefarios amicorum praesidio et copiis, nullo tumultu publice concitato: denique, quotiescunque me petisti, per me tibi obstiti: quamquam videbam perniciem meam cum magna calamitate rei publicae esse coniunctam. Nunc iam aperte
12 rem publicam universam petis: templa deorum immortalium,

---

§ 11. *urbis, gratia*] TR. V. *gratia* habet post vv. *habenda est* Ern. — *tamque horr.* R. (non T.) — *iam totiens* P. — *Non est* cet.] T. *Non saepius in uno homine est summa salus* R. *Non est s. in u. h. salus summa* Ern. — *in campo per te et comp.* R. (non T.) — *conatus tuos nefarios*] TRP. *tuos nef. con.* Ern.

§ 12. *Italiam denique*] *Italiam* R. (non T.) — *ac*] TR. *et* Ern. — *quod est primum et quod*] TR. *quod primum atque* Ern. — Omittit *utilius* T. — *coniuratorum*

---

§ 11. *proximis comitiis*] quae habita sunt inter a. d. XII. Kal. Nov. et Non. Nov. De iis cfr. Sull. § 51. et Muren. c. 25. et 26. Competitores fuerunt D. Iunius Silanus et L. Licinius Murena. De insidiis, quibus Cicero petitus est, Sal. c. 26. *Catilinae neque petitio neque insidiae, quas consuli [in campo] fecerat, prospere cessere.* Ibid. 27. *Interea Catilina Romae multa simul moliri, consuli insidias tendere, parare incendia* cet. Ad v. *tuorum comitum - - sentina reip.* cfr. Sal. c. 37. *omnes quos flagitium aut facinus domo expulerat, ii Romam sicut in sentinam confluxerant.*

tecta urbis, vitam omnium civium, Italiam denique totam, ad exitium ac vastitatem vocas.

Quare, quoniam id, quod est primum et quod huius imperii disciplinaeque maiorum proprium est, facere nondum audeo, faciam id, quod est ad severitatem lenius et ad communem salutem utilius. Nam, si te interfici iussero, residebit in re publica reliqua coniuratorum manus; sin tu (quod te iamdudum hortor) exieris, exhaurietur ex urbe tuorum comitum magna et perniciosa sentina rei publicae.
Quid est, Catilina? num dubitas id me imperante facere, 13
quod iam tua sponte faciebas? Exire ex urbe iubet consul hostem. Interrogas me, num in exilium? Non iubeo: sed si me consulis, suadeo.

VI. Quid est enim, Catilina, quod te iam in hac urbe delectare possit? in qua nemo est extra istam coniurationem perditorum hominum, qui te non metuat; nemo, qui non oderit. Quae nota domesticae turpitudinis non inusta vitae tuae est? [quod privatarum rerum dedecus non haeret infamiae?] quae libido ab oculis, quod facinus a manibus unquam tuis, quod flagitium a toto corpore abfuit? cui tu adolescentulo, quem corruptelarum illecebris irretisses, non aut ad audaciam ferrum aut ad libidinem facem praetulisti?

---

comitum manus T. (non R.) — V. *rei publicae* [ ] Ern. (*magna sentina et perniciosa reip.* P.)

§ 13. *iubet consul hostem*] TRP. *consul hostem iubet* Ern. — *Quid est enim, Catilina*] TRP. *Quid enim, Catilina, est* Ern. — *te iam*] *te* R. (non T.) — *qui non od.*] R. *qui te non* T. — *in ista vita tua* TRP. — *non haeret infamiae*] TR. *non inhaeret* (quod significat corruptela *iuberet* Cod. P.) *in fama* ex Augustini coni. cum Mureto Madvig. Sed cum ne sic quidem oratio fiat Tulliana nec quidquam aliud dicatur quam quod priore membro continetur, cum Heumanno et Blochio hoc [ ]. — *libido oculis* R. — *ab eo corpore* T. (non R.)

---

§ 13. *cui tu adolescentulo*] Sal. c. 14. *Quod si quis etiam a culpa vacuus in amicitiam eius inciderat, cotidiano usu atque inlecebris facile par similisque ceteris efficiebatur. Sed maxume adulescentium familiaritates adpetebat; eorum animi molles et aetate fluxi dolis haud difficulter capiebantur. Nam ut quoiusque studium ex aetate flagrabat, aliis scorta praebere, aliis canes atque equos mercari, postremo neque sumptui neque modestiae suae parcere, dum illos obnoxios fidosque sibi faceret.*

14 Quid vero? nuper, cum morte superioris uxoris novis nuptiis domum vacuefecisses, nonne etiam alio incredibili scelere hoc scelus cumulasti? quod ego praetermitto, et facile patior sileri; ne in hac civitate tanti facinoris immanitas aut exstitisse aut non vindicata esse videatur. Praetermitto ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impendere tibi proximis Idibus senties: ad illa venio, quae non ad privatam ignominiam vitiorum tuorum, non ad domesticam tuam difficultatem ac turpitudinem, sed ad summam rem publicam

15 atque ad omnium nostrûm vitam salutemque pertinent. Potestne tibi haec lux, Catilina, aut huius caeli spiritus esse iucundus, cum scias horum esse neminem, qui nesciat te pridie Kalendas Ianuarias Lepido et Tullo consulibus stetisse in comitio cum telo? manum consulum et principum civitatis interficiendorum causa paravisse? sceleri ac furori tuo non mentem aliquam aut timorem tuum, sed fortunam populi Romani obstitisse? Ac iam illa omitto (neque enim sunt aut obscura aut non multa post commissa): quotiens tu me designatum, quotiens consulem interficere conatus es! quot

---

§ 14. *vacuefecisses*] TRP. *vacuam fecisses* Codd. volgg. — om. *sileri* T. (non R.) — *proximis tibi* Arusianus. — *summam rem publicam*] T. (*r. p.* (sic) R.) *summam reipublicae* Ern.

§ 15. *haec lux*] TRP. *huius vitae lux* Ern. — *horum esse*] *esse horum* R. *horum* T. — *te II. Kal. Ianuarii* R. — *stetisse comitio* T. (non R.) — *timorem tuum*] *timorem* R. (non T.) — *fortunam populi Ro.*] TRP. *fort. rei publicae* Ern. — *multa*] TR. *multo* Ern. — *commissa postea* TR. (Videtur tamen ab interprete profectum; recepit Steinmetz.) — *quotiens tu designatum consulem interficere voluisti* (sic) R. *quotiens tu me designatum, quotiens vero consulem i. conatus es* T. — *posse non*] TRP. *non posse* Ern. — *nihil agis*] Om. haec cum aliis T. — *nihil moliris* habent

---

§ 14. *a'io incredibili scelere*] Sal. c. 15. *Postremo captus amore Aureliae Orestillae, quoius praeter formam nihil unquam bonus laudavit, quod ea nubere illi dubitabat, timens privignum adultum aetate, pro certo creditur necato filio vacuam domum scelestis nuptiis fecisse. Quae quidem res mihi in primis videtur causa fuisse facinoris maturandi.* De coniuge necata nihil tradit Salustius.

§ 15. *Lepido et Tullo*] M'. Aemilius Lepidus et L. Volcatius Tullus coss. a. u. c. 688. Varr. Rem narrat Sal. c. 18. *Cum Cn. Pisone Catilina et Autronius consilio communicato parabant in Capitolio Kal. Ianuariis* (a. 689.) *L. Cottam et L. Torquatum coss. interficere.* Cic. Orat. in toga candida in Baiteri Asconio p. 93. *Praetereo illum nefarium conatum tuum et paene acerbum et luctuosum rei publicae diem, cum Cn. Pisone socio neque alio nemine caedem optimatum facere vo-*

ego tuas petitiones ita coniectas, ut vitari posse non viderentur, parva quadam declinatione et, ut aiunt, corpore effugi! [Nihil agis], nihil assequeris, [nihil moliris], neque tamen conari ac velle desistis. Quotiens tibi iam extorta 16
est sica ista de manibus! quotiens vero excidit casu aliquo et elapsa est! [tamen ea carere diutius non potes]: quae quidem quibus abs te initiata sacris ac devota sit, nescio, quod eam necesse putas esse in consulis corpore defigere.

VII. Nunc vero, quae tua est ista vita? Sic enim iam tecum loquar, non ut odio permotus esse videar, quo debeo, sed ut misericordia, quae tibi nulla debetur. Venisti paullo ante in senatum. Quis te ex hac tanta frequentia, tot ex tuis amicis ac necessariis salutavit? Si hoc post hominum memoriam contigit nemini, vocis exspectas contumeliam, cum sis gravissimo iudicio taciturnitatis oppressus? Quid? quod adventu tuo ista subsellia vacuefacta sunt, quod omnes consulares, qui tibi persaepe ad caedem constituti fuerunt, simul atque assedisti, partem istam subselliorum nudam atque inanem reliquerunt, quo tandem animo hoc tibi ferendum putas? Servi mehercule mei si me isto pacto metue- 17
rent, ut te metuunt omnes cives tui, domum meam relin-

Codd. noti, etiam mei. Om. Stephanus. Delevit etiam Madvig. Utique haec duo membra inculcata sunt ex § 8., ubi alia, sed rectiore sententia leguntur. Post *moliris* in T. ac plerisque (Ern.) sequitur: *quod mihi latere valeat in tempore.* Recte omittit R. — *conari ac velle*] TR. Ern. *velle ac conari* Graev. Madvig.

§ 16. *tibi iam*] TRP. *iam tibi* Ern. — *ista sica* R. (non T.) — *quoties vero*] TR. *quoties* Colon. Madvig. Vv. *tamen ea carere diutius non potes*, quae habent Codd. noti, etiam mei, de Heumanni sententia [ ]. Sunt petita ex Cap. 9. — *putas esse*] T. *putas* R. Ern. — *in consulis*] Arusianus. TR. *consulis in* Ern. — om. vv. *quo debeo* R. (non T.) — *tot ex*] TR. *ex tot* Ern. (*totque* P.) — *graviss. suplicio* (sic) T. — *vacuefacta*] TP. *vacua facta* R. — *animo hoc*] TR. *animo* Madvig.

§ 17. *mehercule*] TR. *mehercle* Ern. — om. *mei* R. (non T.) — *suspectum esse* P. (non TR.) — *oculis omnium*] TR. *omnium oculis* Madvig. — *diu tibi*] TR. *tibi diu* Ern. — *est parens omnium odit* R. — *iamdiu te*] Manut. Muret. *iamdiu de te* R. Ern. *iam de te diu* T. — *nec - - nec*] TR. *neque - - neque* Ern.

---

luisti. Ubi Asconius: *Fuit opinio, Catilinam et Cn. Pisonem, adolescentem perditum, coniurasse ad caedem senatus faciendam - - Cotta et Torquato coss. eamque caedem ideo non esse factam, quod prius, quam parati essent, coniuratis signum dedisset Catilina;* id quod desumpsisse videtur e Salustio l. l.

quendam putarem: tu tibi urbem non arbitraris? et, si me meis civibus iniuria suspectum tam graviter atque offensum viderem, carere me adspectu civium, quam infestis oculis omnium conspici mallem: tu, cum conscientia scelerum tuorum agnoscas odium omnium iustum et iam diu tibi debitum, dubitas, quorum mentes sensusque volneras, eorum adspectum praesentiamque vitare? Si te parentes timerent atque odissent tui neque eos ulla ratione placare posses, ut opinor, ab eorum oculis aliquo concederes: nunc te patria, quae communis est omnium nostrûm parens, odit ac metuit et iamdiu te nihil iudicat nisi de parricidio suo cogitare. Huius tu neque auctoritatem verebere nec iudicium sequere
18 nec vim pertimesces? Quae tecum, Catilina, sic agit et quodam modo tacita loquitur: „Nullum iam aliquot annis facinus exstitit nisi per te; nullum flagitium sine te; tibi uni multorum civium neces, tibi vexatio direptioque sociorum impunita fuit ac libera; tu non solum ad negligendas leges et quaestiones, verum etiam ad evertendas perfringen-

---

§ 18. *iam aliquot*] TRP. *aliquot iam* Ern. — *et quaest.*] TR. *ac quaest.* Ern. — *evertendas*] Satis munitur Codd. Steinmetzii. *evincendas* R. *vincendas* T. — *perstringendasque* T. (non R.) — *non ferenda* R. — *totam me* R. — *unum te*] R. Madvig. *te unum* T. Ern. — *nullum vero contra me consilium inire* (sic) *posse q. a. t. sc. non abhorreat* corrupte T. (non R.) — *sin est v.* T. (non R.)

---

§ 18. *multorum civium necem*] Q. Cicero de petit. cons. § 9. *Antonius* (Ciceronis collega) *umbram suam metuit;* (Catilina) *ne leges quidem, natus in patris egestate, educatus in sororis stupris, corroboratus in caede civium; cuius primus ad rem publicam aditus in equitibus Romanis occidendis fuit. Nam illis, quos meminimus, Gallis, qui tum Titiniorum ac Nanniorum ac Tanusiorum capita demetebant, Sulla unum Catilinam praefecerat; in quibus ille hominem optimum, Q. Caecilium, sororis suae virum, equitem Romanum, nullarum partium, cum semper natura, tum etiam aetate iam quietum suis manibus occidit - - hominem carissimum populo Romano, M. Marium* (Gratidianum) *vitibus per totam urbem cecidit; ad bustum egit; ibi omni cruciatu laceravit, collum gladio sua dextera secuit, cum sinistra capillum eius a vertice teneret; caput sua manu tulit, cum inter digitos eius rivi sanguinis fluerent* cet. Similia tradit Asconius in Or. in toga cand. p. 84. Bait. — *direptio sociorum*] Ascon. Ped. l. l. p. 86. *Catilina ex praetura Africam provinciam obtinuit. Quam cum graviter vexasset, legati Afri iam tum absente illo questi sunt - - ; cum redisset ex Africa Torquato et Cotta coss. accusatus est repetundarum à P. Clodio adolescente, (qui postea inimicus Ciceronis fuit:) — ita tamen, ut Clodius infamis fuerit praevaricatus esse* (ibid. p. 87.) Voc. *quaestiones* ad hanc ipsam repetundarum causam refertur. Cfr. Cic. Or. in toga cand. p. 86. Bait. *Stupris se omni-*

dasque valuisti. Superiora illa, quamquam ferenda non fuerunt, tamen, ut potui, tuli: nunc vero me totam esse in metu propter unum te, quidquid increpuerit, Catilinam timeri, nullum videri contra me consilium iniri posse, quod a tuo scelere abhorreat, non est ferendum. Quamobrem discede atque hunc mihi timorem eripe: si est verus, ne opprimar; sin falsus, ut tandem aliquando timere desinam."

VIII. Haec si tecum, ut dixi, patria loquatur, nonne 19
impetrare debeat, etiam si vim adhibere non possit? Quid? quod tu te ipse in custodiam dedisti? quod vitandae suspicionis causa ad M'. Lepidum te habitare velle dixisti? a quo non receptus, etiam ad me venire ausus es atque, ut domi meae te asservarem, rogasti. Cum a me quoque id responsi tulisses, me nullo modo posse iisdem parietibus tuto esse tecum, qui magno in periculo essem, quod iisdem moenibus contineremur, ad Q. Metellum praetorem venisti. A quo repudiatus, ad sodalem tuum, virum optimum, M. Marcellum demigrasti; quem tu videlicet et ad custodiendum te

---

§ 19. *Quia id quod* T. (non R.) — *quod vitandae*] R. *quid, quod vitandae* T. Ern. — *ad M'.*] Madvig. ex Servio, Cledonio (1934 P.) Pompeio (396 Lind.) *apud M.* (sic) TR. Ern. — *id responsi*] Codd. Mureti. Madvig. *id responsum* TR. Ern. — *tutum tecum esse* T. (non R.) — *videlicet ad* R. (non T.) — *et ad iudicandum* R. (non T.) — *ipse*] O1x. Heumann. Ern. *ipsum* TR. — *iudicarit*] TR. *iudicaverit* Ern.

---

bus ac flagitiis contaminavit; caede nefaria cruentavit; diripuit socios; leges quaestiones iudicia violavit. Quid ego, ut involaveris provinciam, praedicem? Nam ut te illic gesseris, non audeo dicere, quoniam absolutus es.

§ 19. *ad M'. Lepidum*] consulem a. u. c. 688. Rem ita narrat Cassius Dio 37, 32. *Τὰ δὲ ἐκ τῶν Τυρσηνῶν ἀγγελλόμενα τήν τε αἰτίαν ἐπιστώσατο καὶ βίας ἐπ' αὐτοῖς γραφὴν τῷ Κατιλίνᾳ παρεσκεύασε.* (Scil. *lege Plautia interrogatus est ab L. Paullo.* Sal. c. 31.) *Καὶ ὃς τὰ μὲν πρῶτα καὶ πάνυ αὐτὴν ἑτοίμως ὡς καὶ ἀπὸ χρηστοῦ τοῦ συνειδότος ἐδέξατο· πρός τε τὴν δίκην ἡτοιμάζετο καὶ τῷ Κικέρωνι αὐτῷ τηρεῖν ἑαυτὸν, ὅπως δὴ μὴ φύγῃ που, παρεδίδου· μὴ προσδεξαμένου δὲ ἐκείνου τὴν φρουρὰν αὐτοῦ, παρὰ τῷ Μετέλλῳ τῷ στρατηγῷ τὴν δίαιταν ἑκουσίως ἐποιεῖτο, ἵν' ὡς ἥκιστα ὑποπτευθῇ νεωτερίζων τι, μέχρις ἂν καὶ ἐκ τῶν αὐτόθι συνωμοτῶν ἰσχυρόν τι προσλάβῃ.* — Q. Caecilius Metellus Celer postea consul a. u. c. 694., ab uxore Clodia veneno sublatus a. u. c. 695. — *M. Marcellum*] Muretus opinatur hunc M. Marcellum illius C. Marcelli patrem fuisse, quem ex Capua exterminandum curavit Sestius (pro Sestio § 9.) Paulus Orosius 6, 6. *Motus etiam in Pelignis ortus a Metellis patre et filio per L. Vettium proditus, patefacta Catilinae coniuratione, quasi succisa radic*

te diligentissimum et ad suspicandum sagacissimum et ad vindicandum fortissimum fore putasti. Sed quam longe videtur a carcere atque a vinculis abesse debere, qui se ipse
20 iam dignum custodia iudicarit? Quae cum ita sint, Catilina' dubitas, si emori aequo animo non potes, abire in aliquas terras, et vitam istam, multis suppliciis iustis debitisque ereptam, fugae solitudinique mandare?

„Refer, inquis, ad senatum:“ id enim postulas, et, si hic ordo sibi placere decreverit te ire in exilium, obtemperaturum te esse dicis. Non referam, id quod abhorret a meis moribus: sed tamen faciam, ut intelligas, quid hi de te sentiant. Egredere ex urbe, Catilina: libera rem publicam metu: in exilium, si hanc vocem exspectas, proficiscere. Quid est, Catilina? ecquid attendis, ecquid animadvertis horum silentium? Patiuntur, tacent. Quid exspectas auctoritatem loquentium, quorum voluntatem tacitorum perspicis?
21 At si hoc idem huic adolescenti optimo, P. Sestio, si fortissimo viro, M. Marcello dixissem, iam mihi consuli hoc ipso in templo iure optimo senatus vim et manus intulisset. De te autem, Catilina, cum quiescunt, probant, cum patiun-

§ 20. *si emori*] TR. *si hic morari* Codd. nonnulli (plerique tamen *si morari*.) Muret. Ern. Nostrae lectioni melius conveniunt vv. *aequo animo*; neque vero de supplicio cogitandum, cum *emori* non dicatur nisi de morte aut naturali aut voluntaria. Sententia igitur haec est: „Conscientia scelerum oppressus, aequo animo mortem nec expectare nec tibi ipse consciscere potes: quin igitur abis cet.“ Cfr. etiam F. A. Wolfium in vermischten Schriften. Halle 1802. p. 142. cum Graevio nostram lect. scite defendentem. Etiam Madvig. Opuscc. p. 176. veram lect. nunc praefert. — *inquit* R. (non T.) — *id etiam p.* R. — *sibi placere*] TR. *placere sibi* Ern. — *placere* [*sibi*] Beier. Madvig. — *sed tamen*] TRP. *et tamen* Ern. — *de urbe*] T. (non R.) — *ecquid - - ecquid*] *quid - - et quid* TR. — *vol. tacentium* P. (non TR.)

§ 21. *Ac si*] T. (non R.) — *P. Sestio*] TR. *P. Sextio* Ern. — *iure optimo senatus*] T. Ern. *senatus optimo iure* R. *senatus iure optimo* cum Graevio Madvig. — *stant circum sen.* T. — *perspicere studia* P. (non TR.) — om. *iamdiu* R. (non T.) — *vastare iampridem* R. (non T.)

compressus est et de utroque per Bibulum in Pelignis, per Q. Ciceronem in Brutiis vindicatus est.

§ 21. *P. Sestio*] *Quaestor hic C. Antonii, collegae mei, fuit sorte, sed societate consiliorum meus. Impedior nonnullius officii, ut ego interpretor, religione, quo minus exponam, quam multa P. Sestius, cum esset cum collega meo, senserit, ad me detulerit, quanto ante providerit.* pro Sestio § 8. *M. Marcello*] consuli a. u. c. 703.

tur, decernunt, cum tacent, clamant. Neque hi solum, quorum tibi auctoritas est videlicet cara, vita vilissima: sed etiam illi equites Romani, honestissimi atque optimi viri, ceterique fortissimi cives, qui circumstant senatum, quorum tu et frequentiam videre et studia perspicere et voces paullo ante exaudire potuisti. Quorum ego vix abs te iamdiu manus ac tela contineo, eosdem facile adducam, ut te haec, quae iampridem vastare studes, relinquentem usque ad portas prosequantur.

IX. Quamquam quid loquor? te ut ulla res frangat? 22
tu ut unquam te corrigas? tu ut ullam fugam meditere? tu ut ullum exilium cogites? Utinam tibi istam mentem dii immortales duint! tametsi video, si mea voce perterritus ire in exilium animum induxeris, quanta tempestas invidiae nobis, si minus in praesens tempus recenti memoria scelerum tuorum, at in posteritatem impendeat. Sed est tanti; dummodo ista privata sit calamitas et a rei publicae periculis seiungatur. Sed tu ut vitiis tuis commoveare, ut legum poenas pertimescas, ut temporibus rei publicae cedas, non est postulandum. Neque enim is es, Catilina, ut te aut pudor a turpitudine aut metus a periculo aut ratio a furore revocarit. Quamobrem, ut saepe iam dixi, proficiscere: ac, 23
si mihi inimico, ut praedicas, tuo conflare vis invidiam, recta perge in exilium: vix feram sermones hominum, si id feceris; vix molem istius invidiae, si in exilium iussu consulis ieris, sustinebo. Sin autem servire meae laudi et glo-

§ 22. *loquor*] R. Ern. *loquar* T. — *ut res ulla* T. — *tu ut exilium animum cogites* T. sed v. *animum* linea subductum. — *duint*] Codd. Cuiacii. *donarent* TR. — *mem. tuorum scelerum* T. — *Sed est tanti*] TRP. *Sed est mihi tanti* Ern. — *dummodo tua ista* TR. — *sit pr.* R. — *cedas*] TR. *concedas* Ern. — *pudor unquam* e Quintil. 9, 3, 62. Madvig. Nostri Codd. *unquam* non agnoscunt.

§ 23. *si mihi non amico* T. — *rectam perge in* T. — *recta perge via in* R. — Om. vv. *si id feceris* Steph. Codd. Lamb. Madvig. [ ]. Habent TRP. — *iussu consulis ieris*] TRP. *ieris iussu consulis* Ern. — *Mallium*] Sic hoc loco T. *Manlium* R. Ern. — *cives perditos* R. (non T.) — *ad tuos ire* P. *ad tuos esse* TR.

ei, pro quo extat dubia oratio Marcelliana. (Exul Athenis interfectus a Magio Chilone. ad Famil. 4, 12.) Probe is distinguendus ab illo M. Marcello, quem supra carpit. (Confudit Matthiae ad h. l. Marcellos Catilinarios cum *Marcellis patre et filio*, Autronii, non Catilinae, propinquis, pro Sulla § 19.)

riae mavis, egredere cum importuna sceleratorum manu; confer te ad Mallium; concita perditos cives; secerne te a bonis, infer patriae bellum; exsulta impio latrocinio, ut a me non eiectus ad alienos, sed invitatus ad tuos isse videaris.
24 Quamquam quid ego te invitem, a quo iam sciam esse praemissos, qui tibi ad Forum Aurelium praestolarentur armati? cui sciam pactam et constitutam cum Mallio diem? a quo etiam aquilam illam argenteam, quam tibi ac tuis omnibus perniciosam esse confido ac funestam futuram, cui domi tuae sacrarium scelerum tuorum constitutum fuit, sciam esse praemissam? Tu ut illa carere diutius possis, quam venerari ad caedem proficiscens solebas? a cuius altaribus saepe istam impiam dexteram ad necem civium transtulisti?
25 X. Ibis tandem aliquando, quo te iampridem tua ista cupiditas effrenata ac furiosa rapiebat. Neque enim tibi haec res affert dolorem, sed quandam incredibilem voluptatem. Ad hanc te amentiam natura peperit, voluntas exercuit, fortuna servavit. Nunquam tu non modo otium, sed ne bellum quidem nisi nefarium concupisti. Nactus es ex perditis atque ab omni non modo fortuna, verum etiam spe
26 derelictis, conflatam improborum manum. Hic tu qua laetitia perfruere? quibus gaudiis exultabis? quanta in volu-

---

§ 24. *invitem te* T. (non R.) — *a quo scio iam esse* R. (non T.) — *qui te* - - *praestolentur* (sic) R. (non T.) — *cui sciam*] Gulielm. *cum sciam* TR. *sciam* Ern. — *sciam iam pactam* TR. — *constitutam*] TR. *constitutam esse* Ern. — *ac funestam*] TR. *et f.* Ern. — *domui* RP. (non T.) — *tuorum scelerum* P. (non TR.) — *carere diutius*] RP. *diutius carere* T. Ern. (Habent *istam impiam dexteram* TRP. non: *istam dexteram impiam.*)

§ 25. *ista tua* P. (non TR.) — *tu non otium* R. (non T.) — *Nanctus* T. (non R.)

§ 26. *quanta voluptate* R. a pr. m. superscr. *in.* (Om. *in* Lamb.) — *Ad huius*] TR. *At huius* Ern. err. typogr. — *sunt illi*] T. *illi sunt* R. Ern. (*illi meditati sunt* P.) —

---

§ 24. *Forum Aurelium (s. Aurelii)* parvum Etruriae oppidum inter flumina Armentam *(Fiora)* et Martam, non procul a mari remotum, quod nomen et originem habuisse videtur ab Aurelio quodam, qui viam Aureliam a Roma Pisas usque munivit. Steinmetz. — *aquilam*] Sal. c. 59. (In proelio Catilina) *ipse cum libertis et colonis propter aquilam adsistit, quam bello Cimbrico C. Marius in exercitu habuisse dicebatur.*

§ 26. *labores tui*] Sal. c. 5. *Corpus patiens inediae, algoris, vigiliae supra quam cuiquam credibile est.* pro Caelio § 12. *Studuit Catilinae Caelius. Et multi hoc*

ptate bacchabere, cum in tanto numero tuorum neque audies virum bonum quemquam neque videbis? Ad huius vitae studium meditati sunt illi, qui feruntur, labores tui: iacere humi non modo ad obsidendum stuprum, verum etiam ad facinus obeundum; vigilare non solum insidiantem somno maritorum, verum etiam bonis otiosorum. Habes, ubi ostentes illam tuam praeclaram patientiam famis, frigoris, inopiae rerum omnium, quibus te brevi tempore confectum esse senties. Tantum profeci [tum], cum te a consulatu reppuli, 27
ut exul potius tentare quam consul vexare rem publicam posses atque ut id, quod esset abs te scelerate susceptum, latrocinium potius quam bellum nominaretur.

XI. Nunc, ut a me, Patres conscripti, quandam prope iustam patriae querimoniam detester ac deprecer, percipite, quaeso, diligenter, quae dicam, et ea penitus animis vestris mentibusque mandate. Etenim, si mecum patria, quae mihi vita mea multo est carior, si cuncta Italia, si omnis res publica loquatur: „M. Tulli, quid agis? tune eum, quem esse hostem comperisti, quem ducem belli futurum vides, quem exspectari imperatorem in castris hostium sentis, auctorem sceleris, principem coniurationis, evocatorem servorum et civium perditorum, exire patiere, ut abs te non emissus ex urbe, sed immissus in urbem esse videatur? nonne hunc in vincula duci, non ad mortem rapi, non summo supplicio

non solum ad obs. TR. — *otiosorum*] TR. *occisorum* Ern. — *illam tuam praeclaram patientiam*] T. *tuam illam pr. pat.* R. *illam praecl. pat. tuam* P. *illam praecl. tuam pat.* Ern. — *omnium rerum* R.

§ 27. *profeci cum* TR. — *abs*] T. *a* R. Ern. — *quaeso percipite* TR. — *mentibus vestris animisque* P. — *mihi est vita mea multo carior* T. *mihi vita mea multo carior est* R. — *sic loquatur* Madvig. e Quintil. 9, 2, 32. — *hostem esse* R. — *hostium castris* P. *hostium vides* R. — *revocatorem* T. — *civiumque perd.* P. — *patiere*] TR. *patieris* Ern. — *nonne hunc*] TRP. Ern. *non hunc* Lamb. Madvig.

idem ex omni ordine atque ex omni aetate fecerunt. Habuit enim ille permulta maximarum non expressa signa, sed adumbrata virtutum. Utebatur hominibus improbis multis: et quidem optimis se viris deditum esse simulabat. Erant apud illum illecebrae libidinum multae; erant etiam industriae quidam stimuli et laboris. Flagrabant vitia libidinis apud illum; vigebant etiam studia rei militaris. Neque ego unquam fuisse tale monstrum in terris ullum puto tam ex contrariis diversisque inter se pugnantibus naturae studiis cupiditatibusque conflatum. — *te a consulatu reppuli*] paucis ante diebus. cfr. pro Murena c. 25 seqq.

28 mactari imperabis? Quid tandem te impedit? Mosne maiorum? At persaepe etiam privati in hac re publica perniciosos cives morte multarunt. An leges, quae de civium Romanorum supplicio rogatae sunt? At nunquam in hac urbe ii, qui a re publica defecerunt, civium iura tenuerunt. An invidiam posteritatis times? Praeclaram vero populo Romano refers gratiam, qui te hominem per te cognitum, nulla commendatione maiorum tam mature ad summum imperium per omnes honorum gradus extulit, si propter invidiam aut ali-
29 cuius periculi metum salutem civium tuorum negligis. Sed, si quis est invidiae metus, num est vehementius severitatis ac fortitudinis invidia quam inertiae ac nequitiae pertimescenda? An cum bello vastabitur Italia, vexabuntur urbes, tecta ardebunt, tum te non existimas invidiae incendio conflagraturum?" —

XII. His ego sanctissimis rei publicae vocibus et eorum hominum, qui hoc idem sentiunt, mentibus pauca respondebo. Ego, si hoc optimum factu iudicarem, Patres con-

---

§ 28. *te impedit*] RP. *impedit te* Ern. (*mactari impedit* mediis omissis T.) — (*rogatae sunt praeclaram* mediis omissis T.) *hi qui* R. — *referes* TR. — *tuorum civium* P.

§ 29. *non* (sic) *est vehementior* (sic) TR. — *eorum omnium* P. — *qui hoc idem*] TRP. *qui idem* Ern. — *opt. facto* TRP. — *contaminaverunt* RP. (non T.) — *verendum mihi*] TRP. *mihi ver.* Ern. — *non erit* R. — *invidiae in* Madvig. contra meos Codd. — *maxime mihi* R. (non T.)

---

§ 28. *leges*] Valeriae et Porciae. „P. Valerius Publicola consul a. 245., legem ad populum tulit eam, quae centuriatis comitiis prima lata est, ne quis magistratus civem Romanum adversus provocationem necaret neve verberaret. Cic. de Rep. 2, 31. Liv. 2, 8. Postea L. Valerii Potiti et M. Horatii Barbati consularis lex sanxit, ne qui magistratus sine provocatione crearetur a. u. c. 303. Cic. l. l. Liv. 3, 55. Denique anno 432. M. Valerius Corvus de provocatione legem tulit, diligentius sanctam. Tertia earum post reges exactos lata est, semper a familia eadem. Liv. 10, 9. Leges Porciae, quae tres sunt trium Porciorum (quorum unus fuisse videtur P. Porcius Laeca trib. pl. a. 555. Liv. 32, 7.) virgas ab omnium civium Romanorum corpore amoverunt, gravi poena sanciendo, si quis verberasset necassetve civem Romanum; neque vero quidquam praeter sanctionem attulerunt novi. Valeria lex. cum eum, qui provocasset, virgis caedi securique necari voluisset, si quis adversus ea fecisset, nihil ultra quam improbe factum adiecit. Cic. de Rep. l. l. et pro C. Rabir. 4. Liv. l. l." STEINMETZ.

§ 29. *Saturnini* cet.] Cfr. § 4.

scripti, Catilinam morte multari, unius usuram horae gladiatori isti ad vivendum non dedissem. Etenim, si summi viri et clarissimi cives Saturnini et Gracchorum et Flacci et superiorum complurium sanguine non modo se non contaminarunt, sed etiam honestarunt, certe verendum mihi non erat, ne quid hoc parricida civium interfecto invidiae mihi in posteritatem redundaret. Quod si ea mihi maxime impenderet, tamen hoc animo semper fui, ut invidiam virtute partam gloriam, non invidiam putarem. Quamquam 30
nonnulli sunt in hoc ordine, qui aut ea, quae imminent, non videant, aut ea, quae vident, dissimulent: qui spem Catilinae mollibus sententiis aluerunt, coniurationemque nascentem non credendo corroboraverunt: quorum auctoritatem secuti multi, non solum improbi, verum etiam imperiti, si in hunc animadvertissem, crudeliter et regie factum esse dicerent. Nunc intelligo, si iste, quo intendit, in Malliana castra pervenerit, neminem tam stultum fore, qui non videat coniurationem esse factam, neminem tam improbum, qui non fateatur. Hoc autem uno interfecto intelligo hanc rei publicae pestem paullisper reprimi, non in perpetuum comprimi posse. Quod si se eiecerit secumque suos eduxerit, et eodem ceteros undique collectos naufragos aggregaverit, exstinguetur atque delebitur non modo haec tam adulta rei publicae pestis, verum etiam stirps ac semen malorum omnium.

XIII. Etenim iamdiu, Patres conscripti, in his peri- 31
culis coniurationis insidiisque versamur, sed nescio quo pacto omnium scelerum ac veteris furoris et audaciae maturitas in nostri consulatus tempus erupit. Quod si ex tanto latrocinio iste unus tolletur, videbimur fortasse ad breve quoddam tempus cura et metu esse relevati: periculum autem

---

§ 30. *ea, quae videant* T. (non R.) — *aluerint* P. — *coni. crescentem* P. — *multi secuti* R. — *advertissem* R. — *factam esse* R. — *aggregarit* R. — *omnium malorum* R.

§ 31. *Hic si ex* T. (non RP.) — *metu esse liberati* P. (non TR.) — *aegri homines* R. — *vivis reliquis*] T. *reliquis vivis* RP. — *civibus reliquis* Ern.

---

§ 31. *iam diu*] „totum triennium a consulatu Lepidi et Tulli. Vide pro Murena § 81.“ MATTH.

M. TULLII CICERONIS

IN

L. CATILINAM

SECUNDA

AD

QUIRITES ORATIO.

---

1 I. Tandem aliquando, Quirites, L. Catilinam, furentem audacia, scelus anhelantem, pestem patriae nefarie molientem, vobis atque huic urbi ferro flammaque minitantem, ex urbe vel eiecimus vel emisimus vel ipsum egredientem verbis prosecuti sumus. Abiit, excessit, evasit, erupit. Nulla iam pernicies a monstro illo atque prodigio moenibus ipsis intra moenia comparabitur. Atque hunc quidem unum huius belli domestici ducem sine controversia vicimus. Non enim iam inter latera nostra sica illa versabitur; non in campo, non in foro, non in curia, non denique intra domesticos parietes pertimescemus. Loco ille motus est, cum est ex urbe depulsus. Palam iam cum hoste, nullo impediente, bellum iustum geremus. Sine dubio perdidimus hominem magnificeque vicimus, cum illum ex occultis insidiis in aper-

---

§ 1. Om. v. *aliquando* T. — *ferro flammaque*] Cod. Gemblac. Madvig. quae veri Ciceronis utique est consuetudo. Phil. 11, 14, 37. *huic urbi ferro ignique minitantur.* Ib. 13, 21, 47. *patriae igni ferroque minitatur.* Videndum tamen ne h. l. correctori debeatur. *ferrum flammamque* T. Ern. — *ferrum atque flammam* R. — *minantem* TP. (non R.) — *verbis*] Sic etiam TR. Ascens. 1531., non: *urbe.* — *belli ducem domestici* P. (non TR.) — *Non iam inter* om. *enim* T. (non R.) — *amotus* R. — *cum ex urbe* R. *cum hac ex urbe depulsus* Arusianus p. 248. L.

tum latrocinium coniecimus. Quod vero non cruentum mu- 2
cronem, ut voluit, extulit, quod vivis nobis egressus est,
quod ei ferrum e manibus extorsimus, quod incolumes cives,
quod stantem urbem reliquit: quanto tandem illum maerore
esse afflictum et profligatum putatis? Iacet ille nunc pro-
stratusque est et se perculsum atque abiectum esse sentit
et retorquet oculos profecto saepe ad hanc urbem, quam
e suis faucibus ereptam esse luget; quae quidem mihi laetari
videtur, quod tantam pestem evomuerit forasque proiecerit.

II. At si quis est talis, quales esse omnes oportebat, 3
qui in hoc ipso, in quo exultat et triumphat oratio mea,
me vehementer accuset, quod tam capitalem hostem non
comprehenderim potius, quam emiserim: non est ista mea
culpa, Quirites, sed temporum. Interfectum esse L. Cati-
linam et gravissimo supplicio affectum iampridem oporte-
bat: idque a me et mos maiorum et huius imperii severitas
et res publica postulabat. Sed quam multos fuisse putatis,
qui, quae ego deferrem, non crederent? [quam multos, qui
propter stultitiam non putarent?] quam multos, qui etiam
defenderent? [quam multos, qui propter improbitatem fave-
rent?] Ac si, illo sublato, depelli a vobis omne periculum
iudicarem, iampridem ego L. Catilinam non modo invidiae
meae, verum etiam vitae periculo sustulissem. Sed cum 4
viderem ne vobis quidem omnibus re etiam tum probata,

---

§ 2. *e manibus*] TR. *de man.* Ern. — *illum tandem* R. — *esse afflictum*] Arusianus. TR. *afflictum esse* Ern. *afflictum* [*esse*] Madvig. — *prostratusque est et*] TRP. *prostratus, Quirites, et* Ern. (*iacet nunc ille prostratusque ille est* R.) — *e suis*] TR. *ex s.* Ern. — *mihi laetari*] RP. (Donatus ad Ter. Hec. 3, 5, 65.) *laetari mihi* T. Ern.

§ 3. *Ac si* TR. — *omnes oportebat esse* P. — *atque triumphat* R. — *vehementer me* R. — *compr. prius quam* R. — *culpa mea culpa* R. — om. *Quirites* R. — *Interfectum*] TRP. *Interemptum* Ern. — *oportuit* P. (non TR.) — Cum vv. *quam multos qui etiam defenderent* in Codd. TR. praeposita sint inciso *quam multos qui propter stultitiam non putarent* (omisso in Ȯ1x. et Steph.), magnum pondus accedit Blochii iudicio probato etiam a Madvigio, ea, quae [ ], subditicia esse. — *illo sublato*] TRP. *sublato illo* Ern.

§ 4. *re tum etiam pr.* R. *re etiam dum pr.* T. *re tum pr.* P. — *rem eo d.* P. — *cum palam* R. *dum palam* T. — *palam vid.* R. — *timendum esse* P. — *intelligatis,*

---

§ 4. *Tongilium — Publicium — Munatium*] Hominum ignotorum nomina hic a rhetore consulto memorari nolo calumniari memor loci Q. Ciceronis de pet. cons. § 10. *Catilina, qui ex curia Curios et Annios, ab atriis Sapalas et Carvilios,*

si illum, ut erat meritus, morte multassem, fore, ut eius socios invidia oppressus persequi non possem, rem huc deduxi, ut tum palam pugnare possetis, cum hostem aperte videretis. Quem quidem ego hostem, Quirites, quam vehementer foris esse timendum putem, licet hinc intelligatis, quod etiam illud moleste fero, quod ex urbe parum comitatus exierit. Utinam ille omnes secum suas copias eduxisset! Tongilium mihi eduxit, quem amare in praetexta [calumnia] coeperat; Publicium et Munatium, quorum aes alienum contractum in popina nullum rei publicae motum afferre poterat: reliquit quos viros! quanto aere alieno! quam valentes! quam nobiles!

5 III. Itaque ego illum exercitum et Gallicanis legionibus et hoc delectu, quem in agro Piceno et Gallico Q. Metellus habuit, et his copiis, quae a nobis cotidie comparantur, magno opere contemno, collectum ex senibus desperatis, ex agresti luxuria, ex rusticis decoctoribus, ex iis, qui vadimonia deserere quam illum exercitum maluerunt; quibus ego non modo si aciem exercitus nostri, verum etiam si edictum praetoris ostendero, concident. Hos, quos video volitare in foro, quos stare ad curiam, quos etiam in senatum venire; qui nitent unguentis, qui fulgent purpura, mallem secum suos milites eduxisset: qui si hic permanent, mementote non tam exercitum illum esse nobis quam hos, qui exercitum deseruerunt, pertimescendos. Atque hoc etiam sunt timendi magis, quod, quid cogitent, me scire sentiunt

---

qui TRP. — *etiam illud*] T. Om. *illud* R. *illud etiam* Ern. — *amare in praetexta calumnia coeperat*] Sic etiam TR. *amare coeperat in praetextu calumnia* P. *Calumnia* est gloss. rhetoricum. — *popinam* P. — *aere alieno*] TR. *alieno aere* Ern. — *nobiles*] Sic etiam TRP. non: *nobiles, vos videtis.*

§ 5. *ex Gall.* TR. — *ex hoc* R. (non T.) — *et ex his* R. (non T.) — *et agresti* R. (non T.) — *debitoribus* superscr. *coct.* R. — *ex his, qui* TR.

---

ex equestri ordine Pompilios et Vettios sibi amicissimos comparavit. — *Publicium quendam temporibus illis* (actionis Verrinae) *in dividenda pecunia populo famosissimum* memorat Pseudoasconius in Act. I. Verr. § 22. *Munatium* (Plancum?) sic nude poni maxime mirari subit.

§ 5. Q. Metellus Celer praetor a senatu in agrum Picenum missus est eique et aliis alibi permissum, uti pro tempore atque periculo exercitum compararent. Sal. c. 30. — *Agrum Camertem, Picenum, Gallicum maxime quasi morbus quidam illius furoris pervaserat.* pro Sulla § 53.

neque tamen permoventur. Video, cui sit Apulia attributa, 6
quis habeat Etruriam, quis agrum Picenum, quis Gallicum, quis sibi has urbanas insidias caedis atque incendiorum depoposcerit. Omnia superioris noctis consilia ad me perlata esse sentiunt; patefeci in senatu hesterno die; Catilina ipse pertimuit, profugit: hi quid exspectant? Nae illi vehementer errant, si illam meam pristinam lenitatem perpetuam sperant futuram.

IV. Quod exspectavi, iam sum assecutus, ut vos omnes factam esse aperte coniurationem contra rem publicam videretis. Nisi vero si quis est, qui Catilinae similes cum Catilina sentire non putet. Non est iam lenitati locus: severitatem res ipsa flagitat. Unum etiam nunc concedam: exeant, proficiscantur, ne patiantur desiderio sui Catilinam miserum tabescere. Demonstrabo iter: Aurelia via profectus est. Si accelerare volent, ad vesperam consequentur. O fortunatam 7
rem publicam, si quidem hanc sentinam huius urbis eiecerit! Uno mehercule Catilina exhausto relevata mihi et recreata res publica videtur. Quid enim mali aut sceleris fingi aut cogitari potest, quod non ille conceperit? quis tota Italia veneficus, quis gladiator, quis latro, quis sicarius, quis parricida, quis testamentorum subiector, quis circumscriptor, quis ganeo, quis nepos, quis adulter, quae mulier infamis, quis corruptor iuventutis, quis corruptus, quis perditus inveniri potest, qui se cum Catilina non familiarissime vixisse fateatur? quae caedes per hosce annos sine illo facta est?

---

§ 6. *sit Apulia*] TR. *Apulia sit* Ern. — *quis*] quater TR. *qui* Ern. — *perlata*] TR. *delata* Ern. (*sentiunt ad me esse delata* P.) *delata* defendi potest ex Orat. 3, 3, 7. *ea, quae erant ad me delata.* — *hesterna* R. (non T.) — *pristinam meam* P. om. *meam* R. (non T.) — *assecutus sum* P. — *nisi vero* [*si*] Madvig. ooni. — *non putetur* P. deceptus a termin. *similis* TRP. — *demonstratur ire Aureliam viam* R. — *volunt* R. (non T.)

§ 7. *cogitari*] TRP. *excogitari* Ern. — *concepit* P. Om. vv. *qnis nepos* R. — *nisi per illum* P. (non TR.)

---

§ 6. *Apulia*] *C. Mallium Faesulas, Septimium quendam Camertem in agrum Picenum, C. Iulium in Apuliam dimisit.* Sal. c. 27. — *cladis* Cethegus et alii; *incendiorum* Gabinius et Statilius, auctore Salustio c. 43. —*perlata esse*] per Curium et Fulviam. Sal. c. 28. *Superior* nox h. l. eadem, quae etiam in Orationis primae § 1. *superior* et § 8. *prior* dicitur; hoc quidem loco satis improprie. — *Aurelia via*]

8 quod nefarium stuprum non per illum? Iam vero quae tanta
unquam in ullo homine iuventutis illecebra fuit, quanta in
illo? qui alios ipse amabat turpissime, aliorum amori flagi-
tiosissime serviebat, aliis fructum libidinum, aliis mortem
parentum non modo impellendo, verum etiam adiuvando
pollicebatur. Nunc vero quam subito non solum ex urbe,
verum etiam ex agris, ingentem numerum perditorum homi-
num collegerat? Nemo non modo Romae, sed [nec] ullo
in angulo totius Italiae oppressus aere alieno fuit, quem non
ad hoc incredibile sceleris foedus adsciverit.

9 V. Atque ut eius diversa studia in dissimili ratione per-
spicere possitis, nemo est in ludo gladiatorio paullo ad faci-
nus audacior, qui se non intimum Catilinae esse fateatur;
nemo in scena levior et nequior, qui se non eiusdem prope
sodalem fuisse commemoret. Atque idem tamen stuprorum
et scelerum exercitatione assuefactus frigori et fami et siti
et vigiliis perferendis, fortis ab istis praedicabatur, cum in-
dustriae subsidia atque instrumenta virtutis in libidine auda-
10 ciaque consumerentur. Hunc vero si secuti erunt sui comi-
tes; si ex urbe exierint desperatorum hominum flagitiosi
greges: o nos beatos, o rem publicam fortunatam, o prae-
claram laudem consulatus mei! Non enim iam sunt medio-
cres hominum libidines, non humanae audaciae ac toleran-
dae: nihil cogitant nisi caedes, nisi incendia, nisi rapinas:
patrimonia sua profuderunt: fortunas suas obligaverunt:

---

§ 8. *unquam in ullo*] TR. *in ullo unquam* Ern. — *flagitiosissime amori* P. — *in agris* P. — *perditorum hominum numerum* P. — *sed* [*nec*] *ullo*] Madvig. Sine [ ] Ern. *sed ne ullo in ang.* T. *sed ne ullo quidem angulo* superscr. *in* R.

§ 9. *in diversa rat.* P. — *sodalem esse fateatur* vel *commemoret* P. — *frigori et fami*] Lamb. Wunder. *frigore et fame* Ern. cum Codd. etiam TRP. — *et vig.* TR. — *ac vig.* Ern. — *consumeret* P. (non TR.)

§ 10. *si secuti erunt sui comites*] TRP. *si sui fuerint comites secuti* Ern. — *humanae audaciae ac tolerandae; nihil*] Hoc ordine TP. — *humanae ac* (*et* R.) *tolerandae audaciae; nihil* R. Ern. Vv. *ac tol.* [ ] Madvig. — *caedem* R. (non T.) — *obligaverunt*] TR. Madvig. *abligurierunt* e Cod. (?) Mureti Ern. — *nuper deficere*] TRP. *deficere nuper* Ern. — *comesationes* T. *comessationes* R. — *qui ferre* P. — Habent *ebriosos* TRP., non *ebrios* Madvig. — *conferti*] TRP. *confecti* Ern. — *incendium* P.

---

per Etruriam ducens. Philipp. 12, 9. *Tres viae sunt ad Mutinam, a supero mari Flaminia, ab infero Aurelia, media Cassia.*

res eos iampridem, fides nuper deficere coepit: eadem tamen
illa, quae erat in abundantia, libido permanet. Quod si in
vino et alea comissationes solum et scorta quaererent, essent
illi quidem desperandi, sed tamen essent ferendi. Hoc vero
quis ferre possit, inertes homines fortissimis viris insidiari,
stultissimos prudentissimis, ebriosos sobriis, dormientes vi-
gilantibus? qui mihi accubantes in conviviis, complexi mulie-
res impudicas, vino languidi, conferti cibo, sertis redimiti,
unguentis obliti, debilitati stupris, eructant sermonibus suis
caedem bonorum atque urbis incendia. Quibus ego con- 11
fido impendere fatum aliquod et poenam iamdiu improbi-
tati, nequitiae, sceleri, libidini debitam aut instare iam
plane aut certe appropinquare. Quos si meus consulatus,
quoniam sanare non potest, sustulerit, non breve nescio
quod tempus, sed multa secula propagarit rei publicae.
Nulla est enim natio, quam pertimescamus; nullus rex, qui
bellum populo Romano facere possit. Omnia sunt externa
unius virtute terra marique pacata: domesticum bellum ma-
net; intus insidiae sunt; intus inclusum periculum est; intus
est hostis. Cum luxuria nobis, cum amentia, cum scelere
certandum est. Huic ego me bello ducem profiteor, Quirites;
suscipio inimicitias hominum perditorum. Quae sanari po-
terunt, quacunque ratione sanabo: quae resecanda erunt,
non patiar ad perniciem civitatis manere. Proinde aut exeant
aut quiescant aut, si et in urbe et in eadem mente perma-
nent, ea, quae merentur, exspectent.

VI. At etiam sunt, qui dicant, Quirites, a me in exi- 12
lium eiectum esse Catilinam. Quod ego si verbo assequi

---

§ 11. *poenam - - debitam*] TRP. *poenas - - debitas* Ern. — *improbitatis. iamdiu* R. — *certe*] TRP. *certe iam* Ern. — *enim est* RP. (non T.) — Habent *facere* TRP. non *inferre*. — *ducem profiteor, Quirites*] TRP. *Quirites, profiteor ducem* Ern. — (*Quirites, rei p. causa suscipio* R., non TP.) — Habent *manere* Scholiasta et TRP. non *manare*, quod ex errore typogr. ortum videtur Madvigio Opuscc. p. 176.

§ 12. *At etiam sunt*] Sic TRP. Ern. *At sunt etiam* Madvig. — *qui dicant, Quirites*] TRP. *Quirites, qui dicant* Ern. — *in exilium a me* R. — *Homo videlicet*]

---

§ 12. *hesterno die*] Haec conciliari cum Orationis I. § 1, 9, 10. omnino non possunt; etsi nuper conciliare studuit Madvig. Opuscc. p. 194. Nam ex sinceris illis locis necessario colligitur habitam esse primam orat. VI. Id. Novembr.

possem, istos ipsos eiicerem, qui haec loquuntur. Homo videlicet timidus aut etiam permodestus vocem consulis ferre non potuit: simul atque ire in exilium iussus est, paruit, ivit. Hesterno die, cum domi meae paene interfectus essem, senatum in aedem Iovis Statoris convocavi; rem omnem ad patres conscriptos detuli. Quo cum Catilina venisset, quis eum senator appellavit? quis salutavit? quis denique ita adspexit ut perditum civem, ac non potius ut importunissimum hostem? Quin etiam principes eius ordinis partem illam subselliorum, ad quam ille accesserat, nudam atque
13 inanem reliquerunt. Hic ego vehemens ille consul, qui verbo cives in exilium eiicio, quaesivi a Catilina, nocturno conventu apud M. Laecam fuisset necne. Cum ille, homo audacissimus, conscientia convictus primo reticuisset, patefeci cetera; quid ea nocte egisset, quid proxima constituisset, quemadmodum esset ei ratio totius belli descripta, edocui. Cum haesitaret, cum teneretur, quaesivi, quid dubitaret proficisci eo, quo iampridem pararet: cum arma, cum secures, cum fasces, cum tubas, cum signa militaria, cum aquilam illam argenteam, cui ille etiam sacrarium scelerum

---

P. Ern. *homo enim videlicet* TR. — *aut etiam permod.*] TR. *et permod.* Ern. — *paruit, ivit. Hesterno*] Cod. Duisb. Ern. (cum corruptionis signo Madvig.) *paruit. Qui ut hesterno* TR. *paruit. Hesterna* (sic) *quidem die* P. *paruit, quievit, Hesterno* Cod. Mureti. Excidisse hic versus aliquos ratus est Buherius. Verum declamatoris ipsius culpa hiulca est oratio. — *convocavi*] R. *vocavi* T. Ern. — *ita non adspexit* R. (non T.)

§ 13. *nocturno*] Priscian. lib. 18. p. 144. Kr. *in nocturno* TP. *an nocturno* Ern. — (*quaesivi, an Catilina nocturno* R.) Habet *M. Laecam* T. (non *M. Leccam* Ern.) — *egisset*] Priscian. R. *egisset*, [*ubi fuisset*] Ern. Habet vv. suspecta T. — *proxima*] Priscian. *in proxima* R. *in proximam* T. Ern. — *docui* R. (non TP.) — *teneretur* TRP. non *cunctaretur* (Lamb.) — *proficisci eo*] TR. *eo prof.* Ern. Madv. cum Charisio p. 202. et Diomede p. 387. — *pararet*] TR. *pararat* Ern. — *cum secures. cum dignitas.* (sic) *cum fasces* T. Item P. sed: *cum dignitates* (non R.) — *faces* R. — *domui* TR. — *Et in exilium* R.

(8 Nov.); ex hoc autem loco VII. Id. Nov. (7 Novembr.) In tali autem re personatus Cicero facile errare poterat; non item verus. — *tabulas novas*] Sal. c. 21. *Catilina polliceri tabulas novas, proscriptionem locupletium* cet.

§ 13. *quid in proximam constituisset*] in prima oratione nihil extat, quod huc referri queat, notante Cludio.

domi suae fecerat, scirem esse praemissam. In exilium eiiciebam, quem iam ingressum esse in bellum videbam? Etenim, credo, Mallius iste centurio, qui in agro Faesulano castra posuit, bellum populo Romano suo nomine indixit; et illa castra nunc non Catilinam ducem exspectant et ille eiectus in exilium se Massiliam, ut aiunt, non in haec castra conferet. 14

VII. O condicionem miseram, non modo administrandae, verum etiam conservandae rei publicae! Nunc, si L. Catilina consiliis laboribus periculis meis circumclusus ac debilitatus subito pertimuerit, sententiam mutaverit, deseruerit suos, consilium belli faciundi abiecerit, ex hoc cursu sceleris et belli iter ad fugam atque in exilium converterit, non ille a me spoliatus armis audaciae, non obstupefactus ac perterritus mea diligentia, non de spe conatuque depulsus, sed indemnatus, innocens, in exilium eiectus a consule vi et minis esse dicetur: et erunt, qui illum, si hoc fecerit, non improbum, sed miserum, me non diligentissimum consulem, sed crudelissimum tyrannum existimari velint. Est 15
mihi tanti, Quirites, huius invidiae falsae atque iniquae tempestatem subire, dummodo a vobis huius horribilis belli ac nefarii periculum depellatur. Dicatur sane eiectus esse a me, dummodo eat in exilium. Sed mihi credite, non est iturus. Nunquam ego a diis immortalibus optabo, Quirites, invidiae meae levandae causa, ut L. Catilinam ducere exercitum hostium atque in armis volitare audiatis; sed triduo tamen audietis: multoque magis illud timeo, ne mihi sit invidiosum aliquando, quod illum emiserim potius, quam quod eiecerim. Sed cum sint homines, qui illum, cum profectus sit, eiectum esse dicant, iidem, si interfectus esset, quid dicerent? Quamquam isti, qui Catilinam Mas- 16

---

§ 14. *ingressum esse in bellum*] TRP. *ingressum in b.* Wunder et Madvig. cum Diomede p. 466. — *iste Manlius* R. [*Mallius*] Madvig. „Cod. unus omittit.“ *quae in* R. — *non nunc* P. (non TR.) — *se in Massiliam* T. (non R.) — *et ex hoc* T. (non R.) — *atque exilium* P. (non TR.) — *miserum*] TRP., ut Ern. (non *timidum* Manut.)

§ 15. *Est mihi tanti* TRP. (non *est tanti*, ut Orat. 1, 9, 22.) — *huiusmodi invidiae* R. (non T.) — *esse eiectus* P. (non TR.) — *timeo illud* R. (non T.)

§ 16. *mehercules* T. — *antea* TR. — *exeat in* R. (non T.)

siliam ire dictitant, non tam hoc queruntur, quam verentur. Nemo est istorum tam misericors, qui illum non ad Mallium quam ad Massilienses ire malit. Ille autem, si mehercule hoc, quod agit, nunquam ante cogitasset, tamen latrocinantem se interfici mallet quam exulem vivere. Nunc vero, cum ei nihil adhuc praeter ipsius voluntatem cogitationemque acciderit, nisi quod vivis nobis Roma profectus est, optemus potius, ut eat in exilium, quam queramur.

17 VIII. Sed cur tamdiu de uno hoste loquimur, et de eo hoste, qui iam fatetur se esse hostem, et quem, quia, quod semper volui, murus interest, non timeo: de his, qui dissimulant, qui Romae remanent, qui nobiscum sunt, nihil dicimus? quos quidem ego, si ullo modo fieri possit, non tam ulcisci studeo quam sanare sibi ipsos, placare rei publicae; neque id quare fieri non possit, si me audire volent, intelligo. Exponam enim vobis, Quirites, ex quibus generibus hominum istae copiae comparentur; deinde singulis medicinam consilii atque orationis meae, si quam potero, afferam.

18 Unum genus est eorum, qui magno in aere alieno maiores etiam possessiones habent, quarum amore adducti dissolvi nullo modo possunt. Horum hominum species est honestissima; sunt enim locupletes: voluntas vero et causa impudentissima. Tu agris, tu aedificiis, tu argento, tu familia, tu rebus omnibus ornatus et copiosus sis, et dubites de possessione detrahere, acquirere ad fidem? Quid enim exspectas? Bellum? Quid? Ergo in vastatione omnium tuas possessiones sacrosanctas futuras putas? An tabulas novas?

---

§ 17. *et de illo hoste, qui se fateatur* (sic) *esse hostem* P. (non TR. R. tamen *fateatur*.) — *de iis* Manut. Muret. — *possit*] R. Ern. *posset* T. — *sanare sibi ipsos, placare*] TRP. Madvig. (Clare sic legitur in Codd. meis; id quod moneo propter Steinmetzium.) *sanare et ipsos placare* Ern. — *volent*] P. Ern. *volunt* TR. — *Exponam ergo v.* T. (non RP.) — om. *hominum* P.

§ 18. *unum*] TRP. Ern. (non *primum*. Manut.) — *Horum omnium* TR. — *putes* R. (non T.) — *Neque isti* P. (non TR.) — *usuris et fructibus* TRP. (non ut est apud Steinmetzium: *et praed. fruct.*) — *de sententia leviter possunt* P. (non TR.)

---

§ 18. Primum genus desumptum est ex orat. pro Sulla § 59. quam vide. Scite Cludius demonstravit rationem et causam divisionis horum sex generum frustra quaeri, sed futili diligentia abusum esse rhetorem ad ea quocunque demum modo constituenda.

Errant, qui istas a Catilina exspectant. Meo beneficio tabulae novae proferentur, verum auctionariae. Neque enim isti, qui possessiones habent, alia ratione ulla salvi esse possunt. Quod si maturius facere voluissent, neque (id quod stultissimum est) certare cum usuris fructibus praediorum, et locupletioribus his et melioribus civibus uteremur. Sed hosce homines minime puto pertimescendos, quod aut deducti de sententia possunt; aut, si permanebunt, magis mihi videntur vota facturi contra rem publicam quam arma laturi.

IX. Alterum genus est eorum, qui quamquam premun- 19
tur aere alieno, dominationem tamen exspectant, rerum potiri volunt, honores, quos quieta re publica desperant, perturbata consequi se posse arbitrantur. Quibus hoc praecipiendum videtur, unum scilicet et idem, quod reliquis omnibus, ut desperent, se id, quod conantur, consequi posse: primum omnium, me ipsum vigilare, adesse, providere rei publicae; deinde magnos animos esse in bonis viris, magnam concordiam, maximam multitudinem, magnas praeterea copias militum; deos denique immortales huic invicto populo, clarissimo imperio, pulcherrimae urbi contra tantam vim sceleris praesentes auxilium esse laturos. Quod si iam sint id, quod cum summo furore cupiunt, adepti, num illi in cinere urbis et in sanguine civium, quae mente conscelerata ac nefaria concupierunt, consules se aut dictatores, aut etiam reges sperant futuros? Non vident id se cupere, quod si adepti sint, fugitivo alicui aut gladiatori concedi
sit necesse? Tertium genus est aetate iam affectum, sed 20

---

§ 19. *perturbata se consequi* P. (non TR.) — *reliquis omnibus*] TRP. *ceteris omnibus* Ern. *omnibus* Madvig. Mox v. *se* transponit ante v. *consequi* R. (non T.) — *magnam mult.* P. (non TR.) — *copias praeterea* R. (non T.) — *contra vim tantam sc.* P. — *summo scelere* P. — *et in sanguine*] TR. *et sang.* Ern. — *scelerata* P. — *consules se aut dict.*] T. *se consules aut dict.* R. *se consules ac dict.* Ern. — *id se cupere*] TRP. Ern. (non *se cupere id.*) — *adepti sint*] TRP. *adepti fuerint* Ern. — *necesse sit* P. (non TR.)

§ 20. *affectum*] Sic TRP. (non *confectum* neque *effetum.*) (*genus iam aetate affectum* P.) — *sed tamen exerc.*] TR. *sed exerc.* P. del. *sed tamen* Manut. Madvig. —

---

§ 20. *Catilinam* (in consulatus petitione) *stipatum choro iuventutis, vallatum in-*

tamen exercitatione robustum: quo ex genere iste est Mallius, cui nunc Catilina succedit. Hi sunt homines ex iis coloniis, quas Faesulis Sulla constituit; quas ego universas civium esse optimorum et fortissimorum virorum sentio: sed tamen hi sunt coloni, qui se in insperatis ac repentinis pecuniis sumptuosius insolentiusque iactarunt. Hi dum aedificant, tamquam beati, dum praediis, lecticis, familiis magnis, conviviis apparatis delectantur, in tantum aes alienum inciderunt, ut, si salvi esse velint, Sulla sit iis ab inferis excitandus. Qui etiam nonnullos agrestes, homines tenues atque egentes, in eandem illam spem rapinarum veterum impulerunt; quos ego, Quirites, in eodem genere praedatorum direptorumque pono. Sed eos hoc moneo: desinant furere et proscriptiones et dictaturas cogitare. Tantus enim illorum temporum dolor inustus est civitati, ut iam ista non modo homines, sed ne pecudes quidem mihi passurae esse videantur.

21 X. Quartum genus est sane varium et mixtum et turbulentum; qui iampridem premuntur, qui nunquam emergunt; qui partim inertia, partim male gerendo negotio, partim etiam sumptibus in vetere aere alieno vacillant; qui vadimoniis, iudiciis, proscriptionibus bonorum defatigati, permulti et ex urbe et ex agris se in illa castra conferre dicuntur. Hosce ego non tam milites acres, quam infitiatores lentos esse arbitror. Qui homines primum si stare non possunt, corruant: sed ita, ut non modo civitas, sed ne vicini quidem proximi sentiant. Nam illud non intelligo,

---

est ipse (sic) *Manlius* R. — *ex his* TR. — *quas Fesulas Sulla* TRP. *quas* [*Fesulis*] *Sulla* Ern. *quas Sulla* Brutus. Muretus. Cfr. Orat. 3, 6. Vide ne imperitiae ipsius declamatoris debeatur v. falsum. — *se insperatis* TR. — *ac repentinis*] TRP. *repentinisque* Ern. — *sit his* TR. — om. *iis* TP. — *intulerunt* P. — *ego*] TR. *ego utrosque* P. Ern. — *et proscr.*] TRP. *ac proscr.* Ern. — *videantur mihi passurae esse* T. (non R.)

§ 21. *emergunt*] TR. *emergent* Ern. — *incuria* alias *inertia* P. — *sumptibus vetere* R. (non T.) — *qui proscr.* R. (non T.) — *defetigati* TR. ex antiquiore scriptura ei recipienda, cui Ciceronis ipsius ὀρθογραφίαν restituere propositum est. — *permulti ex* P. — om. *lentos* R. (non T.)

---

dicibus atque sicariis, - - circumfluentem colonorum Arretinorum et Faesulanorum exercitu. pro Murena § 49.

quamobrem, si vivere honeste non possunt, perire turpiter velint, aut cur minore dolore perituros se cum multis, quam si soli pereant, arbitrentur. Quintum genus est parrici- 22
darum, sicariorum, denique omnium facinorosorum; quos ego a Catilina non revoco; nam neque divelli ab eo possunt, et pereant sane in latrocinio, quoniam sunt ita multi, ut eos carcer capere non possit. Postremum autem genus est, non solum numero, verum etiam genere ipso atque via, quod proprium Catilinae est, de eius delectu, immo vero de complexu eius ac sinu; quos pexo capillo, nitidos aut imberbes aut bene barbatos videtis, manicatis et talaribus tunicis, velis amictos, non togis; quorum omnis industria vitae et vigilandi labor in antelucanis coenis expromitur. In his gregibus omnes aleatores, omnes adulteri, omnes 23
impuri impudicique versantur. Hi pueri tam lepidi ac delicati non solum amare et amari, neque cantare et psallere, sed etiam sicas vibrare et spargere venena didicerunt; qui nisi exeunt, nisi pereunt, etiam si Catilina perierit, scitote hoc in re publica seminarium Catilinarium futurum. Verumtamen quid sibi isti miseri volunt? num suas secum mulierculas sunt in castra ducturi? quemadmodum autem illis carere poterunt, his praesertim iam noctibus? quo autem pacto illi Apenninum atque illas pruinas ac nives perferent? nisi idcirco se facilius hiemem toleraturos putant, quod nudi in conviviis saltare didicerunt.

XI. O bellum magno opere pertimescendum, cum hanc 24
sit habiturus Catilina scortorum cohortem praetoriam! In-

---

§ 22. *ab eo divelli* R. (non T.) Om. vv. *ab eo* P. — *carcer capere*] TRP. *capere carcer* Ern. — *aut bene barbatos*] Sic etiam TRP. Corruptionis signum ante v. *bene* posuit Madvig. — *et tritis talaribus tunicis* P. *et tritis tunicis* TR. — *exprimitur* RP. (non T.)

§ 23. *cantare et psallere*] T. Manut. *cantare et saltare* RP. Ern. — *saltare et cantare* Madvig. *psallere et saltare* Garatonius. — *exeant - - pereant* P. (non TR.) — *Catilinarium*] Sic etiam TR. (T. certe ex mea collat. Steinmetz ei tribuit: *Catilinanum* (sic) — *Catilinarum* Madvig. — *secum suas* P. — *praesertim noctibus* R. — om. *illi* P. — *in conviviis nudi* P. — *didicerant* R.

§ 24. *contraque has* R. — *illi glad.* R. — *urbes*] Sic TRP. *arces* Garatonii susp.— *ac mancipiorum*R. — *Neque ego*] TRP.. *Neque vero* Ern. — *copias vestras* P. — *praesidia cum* P. — *conferre debeo*] Sic TRP. Ern. *debeo conferre* Edd. ante Grut.

struite nunc, Quirites, contra has tam praeclaras Catilinae copias vestra praesidia vestrosque exercitus; et primum gladiatori illi confecto et saucio consules imperatoresque vestros opponite: deinde contra illam naufragorum eiectam ac debilitatam manum florem totius Italiae ac robur educite. Iam vero urbes coloniarum ac municipiorum respondebunt Catilinae tumulis silvestribus. Neque ego ceteras copias, ornamenta, praesidia vestra, cum illius latronis inopia atque
25 egestate conferre debeo. Sed, si, omissis his rebus omnibus, quibus nos suppeditamur, eget ille, senatu, equitibus Romanis, populo, urbe, aerario, vectigalibus, cuncta Italia, provinciis omnibus, exteris nationibus, si his rebus omissis, causas ipsas, quae inter se confligunt, contendere velimus: ex eo ipso, quam valde illi iaceant, intelligere possumus. Ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc stuprum: hinc fides, illinc fraudatio: hinc pietas, illinc scelus: hinc constantia, illinc furor: hinc honestas, illinc turpitudo: hinc continentia, illinc libido: denique aequitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes certant cum iniquitate, luxuria, ignavia, temeritate, cum vitiis omnibus: postremo copia cum egestate, bona ratio cum perdita, mens sana cum amentia, bona denique spes cum omnium rerum desperatione confligit. In huiusmodi certamine ac proelio nonne, etiam si hominum studia deficiant, dii ipsi immortales cogent ab his praeclarissimis virtutibus tot et tanta vitia superari?

26 XII. Quae cum ita sint, Quirites, vos, quemadmodum iam antea, vestra tecta custodiis vigiliisque defendite: mihi, ut urbi sine vestro motu ac sine ullo tumultu satis esset

---

§ 25. *Sed enim omissis* P. — V. *omnibus* habent TRP. Om. Carolus Stephanus. — *suppeditamur*] Arusianus. Scholiasta. TRP. *suppeditamus* Ern. prob. Madvig. Opuscc. p. 176. — *ille eget* P. — *populo*] Habent TRP. Om. Steph. [ ] Madvig. — *si his rebus omissis*] Sic TR. Ern. *si his, inquam, rebus omnibus omissis* (sic) P. — *causas ipsas*] TRP. *ipsas causas* Ern. — *attendere velimus* P. — *hinc denique aequitas* R. (non T.) — *luxuria, ignavia, temeritate*] TR. *cum l., cum i., cum t.* Ern. — *copiae* TR. — *in eiusmodi* TR. — *cogant* TR. — *clarissimis* R.

§ 26. *antea dixi, vestra* TRP. — *metu* TR. — *atque*] TRP. *ac* Ern. — *defendant* T. — *sibi ille manum certissimam*] T. Madvig. *sibi ille maximam manum et certissimam* R. Ern. — *tamen vestra* R. (non T.) — *hoc prospiciens*] TRP. *prospi-*

praesidii, consultum atque provisum est. Coloni omnes municipesque vestri certiores a me facti de hac nocturna excursione Catilinae facile urbes suas finesque defendent: gladiatores, quam sibi ille manum certissimam fore putavit, quamquam meliore animo sunt quam pars patriciorum, potestate tamen nostra continebuntur. Q. Metellus, quem ego hoc prospiciens in agrum Gallicum Picenumque praemisi, aut opprimet hominem aut eius omnes motus conatusque prohibebit. Reliquis autem de rebus constituendis maturandis agendis iam ad senatum referemus, quem vocari videtis.

Nunc illos, qui in urbe remanserunt atque adeo qui 27
contra urbis salutem omniumque nostrûm in urbe a Catilina relicti sunt, quamquam sunt hostes, tamen, quia nati sunt cives, monitos eos etiam atque etiam volo. Mea lenitas adhuc si cui solutior visa est, hoc exspectavit, ut id, quod latebat, erumperet. Quod reliquum est, iam non possum oblivisci meam hanc esse patriam, me horum esse consulem, mihi aut cum his vivendum aut pro his esse moriendum. Nullus est portis custos, nullus insidiator viae: si qui exire volunt, connivere possum; qui vero se in urbe commoverit, cuius ego non modo factum, sed inceptum ullum conatumve contra patriam deprehendero, sentiet in hac urbe esse consules vigilantes, esse egregios magistratus, esse fortem senatum, esse arma, esse carcerem, quem vindicem nefariorum ac manifestorum scelerum maiores nostri esse voluerunt.

XIII. Atque haec omnia sic agentur, Quirites, ut res 28
maxima minimo motu, pericula summa nullo tumultu, bel-

---

ciens hoc Ern. — *Gallicum*] TRP. *Gallicanum* Ern. — *eius omnes*] T. *omnes eius* R. Ern. — *construendis, mat.* TR. *constituendis, conservandis, mat.* P.

§ 27. *Nunc illos*] Sic TRP. *Nunc* [*illos*] Madvig. — *nostrum* TR. *vestrum* Ern. — *sunt nati* R. (non T.) — *monitos eos etiam*] TR. *monitos etiam* Ern. — *meorum esse* T. *me esse horum* P. — *portis*] Arusianus. Madvig. *portae* TR. Ern. — *connivere possum*] Valerius Probus p. 1482. Scholiasta. T. *consulere possunt* R. *consulere sibi possunt* Ern. — *se in urbe*] TRP. *in urbe se* Ern. — *sed ne inceptum* R. — *consules esse* P.

§ 28. *maxima*] TRP. Ed. 1474. *maximae* Ern. — *pericula maxima* P. — *et max.*] TRP. *ac max.* Ern. — *imp. solvatur* P. — *Quirites, si* R. (non T.) — *deduxerit*] TR. *deduxerint* Ern. — *deiecerit* P. — *videretur* TP. (non R.) — *ut neque bonus quisquam*] TRP. *ut ne quis bonus* Ern.

lum intestinum ac domesticum post hominum memoriam crudelissimum et maximum me uno togato duce et imperatore sedetur. Quod ego sic administrabo, Quirites, ut, si ullo modo fieri poterit, ne improbus quidem quisquam in hac urbe poenam sui sceleris sufferat. Sed si vis manifestae audaciae, si impendens patriae periculum me necessario de hac animi lenitate deduxerit, illud profecto perficiam, quod in tanto et tam insidioso bello vix optandum videtur, ut neque bonus quisquam intereat paucorumque
29 poena vos iam omnes salvi esse possitis. Quae quidem ego neque mea prudentia neque humanis consiliis fretus polliceor vobis, Quirites; sed multis et non dubiis deorum immortalium significationibus, quibus ego ducibus in hanc spem sententiamque sum ingressus; qui iam non procul, ut quondam solebant, ab externo hoste atque longinquo, sed hic praesentes suo numine atque auxilio sua templa atque urbis tecta defendunt; quos vos, Quirites, precari, venerari [atque] implorare debetis, ut, quam urbem pulcherrimam, florentissimam potentissimamque esse voluerunt, hanc omnibus hostium copiis terra marique superatis a perditissimorum civium nefario scelere defendant.

---

§ 29. *providentia* Ed. 1474. — *polliceor, Quirites* R. (non T.) — *externo*] TRP. *extero* Muret. — *defendent* R. (non TP.) — *atque implorare*] TRP. Ern. *implorare* C. Steph. Madvig. cfr. Eiusd. Opuscula p. 335. — *pulch. florentissimam potentissimamque esse*] T. Ern. *pulch. flor. potentissimam esse* R. *pulch. florentissimamque* Steph. Madvig.

Adde ad § 25. Semper offendi in cumulatis istis *ἀντιθέσεσιν*, haustis, ut puto, ex Philipp. 13, 5, 10., ubi iustus modus servatur: *In Sex. Pompeio pudor, gravitas, moderatio, integritas; in illis* (in M. Antonio eiusque asseclis) *libidines, scelera, ad omne facinus immanis audacia.*

M. TULLII CICERONIS

IN

L. CATILINAM

ORATIO TERTIA

AD

QUIRITES.

I. Rem publicam, Quirites, vitamque omnium vestrûm, 1
bona fortunas, coniuges liberosque vestros atque hoc domicilium clarissimi imperii, fortunatissimam pulcherrimamque urbem hodierno die deorum immortalium summo erga vos amore, laboribus consiliis periculis meis ex flamma atque ferro ac paene ex faucibus fati ereptam et vobis conservatam
ac restitutam videtis. Et, si non minus nobis iucundi atque 2
illustres sunt ii dies, quibus conservamur, quam illi, quibus nascimur, quod salutis certa laetitia est, nascendi incerta condicio, et quod sine sensu nascimur, cum voluptate servamur, profecto, quoniam illum, qui hanc urbem condidit, ad deos immortales benevolentia famaque sustulimus, esse apud vos posterosque vestros in honore debebit is, qui ean-

---

§ 1. *periculis*] Scholiasta. TRP. *periculisque* Ern. — *meis e flamma* RP. *meis flamma* T.

§ 2. *sunt hi* TR. *sunt ii dies atque illustres* P. — *servamur*] TRP. Ern. *conservamur* Muretus. — *condidit, ad*] Cod. Mureti. Steph. *condidit R. ad* TR. (sic: *R.* non *Romulum*, ut P. Ern.) — *apud* R. — *toti urbi* TRP. Ern. (non *totius urbis.*) — *tectis ac moenibus subi.*] RP. Ern. *tectis omnibus subi.* T. — *itemque gladios* P. — Habent *deiecimus* TR. non *reiecimus.*

dem hanc urbem conditam amplificatamque servavit. Nam toti urbi, templis delubris, tectis ac moenibus subiectos prope iam ignes circumdatosque restinximus iidemque gladios in rem publicam destrictos retudimus mucronesque eorum a
3 iugulis vestris deiecimus. Quae quoniam in senatu illustrata, patefacta, comperta sunt per me, vobis iam exponam breviter, Quirites, ut et quanta et quam manifesta et qua ratione investigata et comprehensa sint, vos, qui ignoratis, ex actis scire possitis.

Principio, ut Catilina paucis ante diebus erupit ex urbe, cum sceleris sui socios, huiusce nefarii belli acerrimos duces Romae reliquisset, semper vigilavi et providi, Quirites, quemadmodum in tantis et tam absconditis insidiis salvi esse possemus.

II. Nam tum, cum ex urbe Catilinam eiiciebam, (non enim iam vereor huius verbi invidiam, cum illa magis sit timenda, quod vivus exierit), sed tum, cum illum exterminari volebam, aut reliquam coniuratorum manum simul exituram aut eos, qui restitissent, infirmos sine illo ac debiles
4 fore putabam. Atque ego, ut vidi, quos maxime furore et scelere esse inflammatos sciebam, eos nobiscum esse et Romae remansisse, in eo omnes dies noctesque consumpsi, ut,

---

§ 3. Habent *comperta* TRP. non *compertaque*. — Om. vv. *et quam manifesta* T. — (Habent TRP. *qui ignoratis*, non *qui et ign*. Muret.) — *ex actis*] TR. Ern. *et expectatis* Cod. Paris. 3 et 8. Naug. — (Habent *exierit* TRP. non *egressus est*.) — *restitissent*] Cod. Salisburg. *remansissent* TRP.

§ 4. *Atque ego*] TR. Ern. *atqui ego* P. *at ego* Ed. 1480. Beck. — *maxime*] T. *maximo* R. Ern. — *esse nobiscum* P. — *quidve molirentur* T. (non R.) — *adminiculum saluti* P. [ ] *animis* Madvig. omissum in Codd. aliq. Retinent TR. Hinc venit glossema Orat. 1, § 2. *notat* [*animo*] *et designat oculis* in Ed. Paris. 1474. — (Habent *eodemque* TRP. non *eodem*.) — *his* TR. — *adiunctum Volturcium* R. *adiunctum esse Volturcium* T. — *huic esse ad Cat. datas*] TR. *huic datas esse ad Cat*. Ern. — *ut tota*] TR. *tota* Ern.

---

§ 4. *ut comperi* per Q. Fabium Sangam, *cuius patrocinio plurimum civitas Allobrogum utebatur;* Salust. 41. Allobrogum autem legati Romam venerant questum de avaritia magistratuum, ut ait idem c. 40. Plut. Cic. 18. *πραττομένων δὲ τούτων, ἔτυχον ἐπιδημοῦντες Ἀλλοβρόγων δύο πρέσβεις, ἔθνους μάλιστα δὴ τότε πονηρὰ πράττοντος καὶ βαρυνομένου τὴν ἡγεμονίαν· τούτους οἱ περὶ Λέντλον ὠφελίμους ἡγούμενοι πρὸς τὸ κινῆσαι καὶ μεταβαλεῖν τὴν Γαλατίαν ἐποιήσαντο συνωμότας.* — Volturcium quendam Crotoniensem. Salust. 44.

quid agerent, quid molirentur, sentirem ac viderem: ut, quoniam auribus vestris propter incredibilem magnitudinem sceleris minorem fidem faceret oratio mea, rem ita comprehenderem, ut tum demum animis saluti vestrae provideretis, cum oculis maleficium ipsum videretis. Itaque ut comperi 5
legatos Allobrogum belli Transalpini et tumultus Gallici excitandi causa a P. Lentulo esse sollicitatos eosque in Galliam ad suos cives eodemque itinere cum litteris mandatisque ad Catilinam esse missos comitemque iis adiunctum T. Volturcium atque huic esse ad Catilinam datas litteras, facultatem mihi oblatam putavi, ut, quod erat difficillimum quodque ego semper optabam a diis immortalibus, ut tota res non solum a me, sed etiam a senatu et a vobis manifesto deprehenderetur. Itaque hesterno die L. Flaccum et C. Pomptinum, praetores, fortissimos atque amantissimos rei publicae viros, ad me vocavi; rem omnem exposui; quid fieri placeret, ostendi. Illi autem, qui omnia de re publica praeclara atque egregia sentirent, sine recusatione ac sine ulla mora negotium susceperunt et, cum advesperasceret, occulte ad pontem Mulvium pervenerunt atque ibi in proximis villis ita bipartito fuerunt, ut Tiberis inter eos et pons interesset. Eodem autem et ipsi sine cuiusquam suspicione multos fortes viros eduxerunt, et ego ex praefectura Reatina complures delectos adolescentes, quorum opera utor assidue in re publica, praesidio cum gladiis miseram. Interim tertia fere 6

§ 5. *Promptinium* (sic) R. *Promptimum* T. — *viros advocavi* T. — Habent *rem omnem* TRP. Del. *omnem* Steph. Madvig. — *quod omnia* Arusiani Codd. nonnulli et Edd. Sed Cod. Gud. *qui.* — *egregia atque praeclara* P. contra Arusianum et TR. — *sine excusatione ac sine mora ulla* P. — *bipertiti* TR. — *eduxerant* R. (non T.) — *utor assidue in re publica*] P. (item TR. sed hi duo: *in reip.*) *in reip. assidue utor* Ern. *in reip. utor assidue* Madvig.

§ 6. *pontem Mulvium* TR. Ern. *pontem* [*Mulvium*] Madvig. — *educuntur ab* T. —

§ 5. L. Valerius Flaccus (cfr. orationem pro eo habitam § 102.) et C. Pomptinus, qui postea Ciceronis in Cilicia provincia fuit legatus. *Viros militares* eos vocat Salustius c. 45. — *pontem Mulvium*] Factus a M. Aemilio Scauro censore a. u. c. 643. in via Flaminia, tria distabat milia passuum ab urbe. Hodie *Ponte Molle*. *Reate*, h. *Rieti*, Sabinorum urbs ad Velinum flumen. Reatinos non prorsus temere, quod non nemo opinatus est, memorat orator; etenim in fide Ciceronis (eius clientes) erant, ut nunc constat ex Scaurianae § 27.

§ 6. *educuntur et ab illis gladii et a nostris* cet.] Probabilior est Salustii nar-

vigilia exacta, cum iam pontem Mulvium magno comitatu legati Allobrogum ingredi inciperent unaque Volturcius, fit in eos impetus; educuntur et ab illis gladii et a nostris. Res erat praetoribus nota solis; ignorabatur a ceteris.

III. Tum interventu Pomptini atque Flacci pugna, quae erat commissa, sedatur. Litterae, quaecunque erant in eo comitatu integris signis praetoribus traduntur; ipsi comprehensi ad me, cum iam dilucesceret, deducuntur. Atque horum omnium scelerum improbissimum machinatorem Cimbrum Gabinium statim ad me nihil dum suspicantem vocavi. Deinde item arcessitur L. Statilius et post eum [C.] Cethegus. Tardissime autem Lentulus venit, credo quod in litteris his dandis praeter consuetudinem proxima nocte vigilaverat.
7 Cum vero summis et clarissimis huius civitatis viris, qui audita re frequentes ad me mane convenerant, litteras a me prius aperiri quam ad senatum referri placeret, ne, si nihil esset inventum, temere a me tantus tumultus iniectus civitati videretur, negavi me esse facturum, ut de periculo publico non ad consilium publicum rem integram deferrem. Etenim, Quirites, si ea, quae erant ad me delata, reperta non essent, tamen ego non arbitrabar in tantis rei publicae periculis esse mihi nimiam diligentiam pertimescendam. Sena-

---

et Flacci R. (non T.) — *cum diluc.* P. — *nihil tum* TRP. — *arcersitur* (sic) T. *arcessitus est* R. — *L. Statilius*] TP. *P. Statilius* R. Ern. — *eum Cethegus* TRP. — *in litteris his*] TR. *litteris* Ern. *in litteris* Madvig. — *vigilaverat*] T. *vigilarat* R. Ern. *vigilaverit* P.

§. 7. *Cum summis* R. Madvig. (non T.) — *et clar.*] TR. *ac clar.* Ern. — *litteras a me aperiri prius* P. *litteras aperiri prius* R. (*non* T.) — *referri*] TP. re-

---

ratio c. 45. *utrimque clamor exortus est; Galli cito cognito consilio sine mora praetoribus se tradunt. Volturcius primo cohortatus suos, gladio se a multitudine defendit* cet. Coniurati memorantur a Salustio c. 17. In his *ex equestri ordine P. Gabinius Capito;* quod familiae nomen longe probabilius est, quam *Cimber.* Puto rhetorem memoriae vitio errasse. *C. Annius Cimber* famosus fuit M. Antonii administer, *L. Tillius Cimber*, notus Caesaris interfector. — *L. Statilius* item eques Ro. — *C. Cornelius Cethegus*, post Lentulum princeps in illa coniuratione. *Natura ferox, vehemens, manu promptus erat.* Sal. c. 43. — *P. Cornelius Lentulus Sura* consul a. u. c. 683. Ἀνὴρ γένους μὲν εὐδόξου, βεβιωκὼς δὲ φαύλως καὶ δι' ἀσέλγειαν ἐξεληλαμένος τῆς βουλῆς πρότερον· τότε δὲ στρατηγῶν τὸ δεύτερον, ὡς ἔθος ἐστὶ τοῖς ἐξ ὑπαρχῆς ἀνακτωμένοις τὸ βουλευτικὸν ἀξίωμα. Plut. Cic. 17. — *Excogitandi et loquendi tarditatem tegebat formae dignitas, corporis motus plenus et artis et venustatis, vocis et suavitas et magnitudo.* Cic. Brut. 66.

tum frequentem celeriter, ut vidistis, coëgi. Atque interea 8
statim admonitu Allobrogum C. Sulpicium praetorem, fortem virum, misi, qui ex aedibus Cethegi, si quid telorum esset, efferret; ex quibus ille maximum sicarum numerum et gladiorum extulit.

IV. Introduxi Volturcium sine Gallis; fidem ei publicam iussu senatus dedi; hortatus sum, ut ea, quae sciret, sine metu indicaret. Tum ille dixit, cum vix se ex magno timore recreasset, a P. Lentulo se habere ad Catilinam mandata et litteras, ut servorum praesidio uteretur et ad urbem quam primum cum exercitu accederet: id autem eo consilio, ut, cum urbem ex omnibus partibus, quemadmodum descriptum distributumque erat, incendissent caedemque infinitam civium fecissent, praesto esset ille, qui et fugientes exciperet et se cum his urbanis ducibus coniungeret. Introducti autem Galli 9
ius iurandum sibi et litteras a Lentulo, Cethego, Statilio ad suam gentem datas esse dixerunt, atque ita sibi ab his et

---

ferrem R. *deferri* Ern. Correctio est ex seqq. *Referri* non „litteras," sed significat: relationem a me consule fieri. — om. *tantus* P. — *a me delata* R. (non T.) — *esse mihi*] TRP. *mihi esse* Ern.

§ 8. *Gn. Sulpicium* TR. — *metu*] T. *timore* R. Ern. — *ille dixit*] TR. *ille* Ern. — *cum ille vix* T. — *recreasset*] TR. *recreasset, dixit* Ern. — *servorum manu* P. (non TR.) — *ut ad urbem* TRP. — *id eo autem* R. (non T.) — *ex omnibus*] TR. *omnibus ex* Ern. — *urbanis his* P. — *iungeret* P.

§ 9. *a Lentulo*] TR. *a P. Lentulo* Ern. — *suas gentes* R. (non T.) — *a Cassio* TR. — *sibi pedestres* R. (non T.) — *ex libris Sib.* P. (non TR.) — *esse se*] TR. *se esse* Ern. — *eundemque Lentulum dixisse* TR. — om. *annum* R.

---

§ 8. *C. Sulpicius* praetor a. u. c. 691. hoc uno loco a Cicerone eiusque similis memoratur. — Ceterum semper miratus sum, cur orator praeterierit illud: *Lentulum, quod praetor erat, ipse manu tenens, in senatum perduxit* Salust. c. 46., quod quidem et calamistris inuri et amplificari egregie poterat. An ignoravit?

§ 9. *L. Cassius Longinus*, Ciceronis competitor in consulatu petendo. Ascon. Ped. in arg. Or. in toga cand. p. 82. Bait. *Cassium, qui iners ac stolidus tum magis quam improbus videretur, post paucos menses in coniuratione Catilinae esse apparuit ac cruentissimarum sententiarum fuisse auctorem.* — *post Virginum absolutionem*] Incredibilem in modum etiam recentissimi editores hic miscent iudicia Virginum Vestalium diversa, adeo ut oratorem hic verba facere putent de eo,' cui praefuit L. Cassius Longinus, homo severissimus, praetor a. u. c. 623. de quo iudicio, ut arbitratur Pighius, a. u. c. 640. (641. Varr.) habito, in quo damnatae, non absolutae, Licinia et Marcia, cfr. Ascon. Pedian. in Milon. c. 12, § 32. p. 46. Ed. Baiteri. Verum cum hic decem ante annis eiusmodi iudicium habitum

a L. Cassio esse praescriptum, ut equitatum in Italiam quam primum mitterent; pedestres sibi copias non defuturas; Lentulum autem sibi confirmasse ex fatis Sibyllinis haruspicumque responsis esse se tertium illum Cornelium, ad quem regnum huius urbis atque imperium pervenire esset necesse; Cinnam ante se et Sullam fuisse; eundemque dixisse fatalem hunc esse annum ad interitum huius urbis atque imperii, qui esset decimus annus post Virginum absolutionem, post Capitolii autem incensionem vicesimus. Hanc autem Cethego cum ceteris controversiam fuisse dixerunt, quod Lentulo et aliis caedem Saturnalibus fieri atque urbem incendi placeret, Cethego nimium id longum videretur.

---

§ 10. *caedem Saturn.*] TR. Ern. — *Saturn. caedem* Madvig. — *id nimium* RP. (non T.) — *videretur*] TR. Manut. Muret. *videri* P. Ern., qui tamen cum Heumanno illud malebat. — *tabulas* T. (non R.) — *facturum esse*] TR. *esse facturum* Ern. *facturum* P. — *ut illi idem* (sic) R. (non T.) — *eorum legati*] TRP. *leg. eorum* Ern. — *recepissent*] T. Ern. *praecepissent* R. Edd. ante Graev. — *aliquid tamen de*] TP. *aliquid tm* (cum lin.) *de* R. *aliquid de* Ern. — *ac de sicis* R. — *apud ipsum*] TR. Ern. *apud se* Madvig. e Codd. Oxonn. Cfr. Eius Opuscc. acad. p. 189. — om. *convictus* R. — *obticuit* P. — *introductus est*] TRP. *introductus* Ern. — *et signum*] TR. *signum* Ern. — *sunt tabulae* R. — *Est vero, inquam, notum signum*] T. *Est vero notum signum, inquam* R. *Est vero, inquam, notum quidem signum* P. *Est vero, inquam, signum notum* Ern. — *patriam suam et* TR. — *debuit revocare* P.

---

memoretur, non aliud potest esse quam illud, de quo Cicero in Bruto c. 67. *M.* Pupius *Piso* Calpurnianus (cos. a. u. c. 693., etsi Cicerone natu maior) *cum satis floruisset adulescens, minor haberi est coeptus postea. Deinde ex Virginum iudicio magnam laudem est adeptus.* — *post Capitolii incensionem*] Appianus Civ. 1, 86.: *Καὶ τὸ Καπιτώλιον ἐνεπίμπρατο· καὶ τὸ ἔργον τινὲς ἐλογοποίουν Κάρβωνος ἢ τῶν ὑπάτων ἢ Σύλλα πέμψαντος εἶναι· τὸ δὲ ἀκριβὲς ἄδηλον ἦν.* Cassiodorus in Chronico memorat, L. Scipione et C. Norbano coss. a. u. c. 671. Capitolium custodum negligentia concrematum esse, et Tacitus Hist. 3, 72.: *Arserat et ante Capitolium civili bello, sed fraude privata.* Restitutum postea auctore L. Sulla et dedicatum a Q. Lutatio Catulo cos. a. u. c. 676. STEINMETZ.

§ 10. *Saturnalibus*] Macrob. 1, 10.: *Apud maiores nostros Saturnalia die uno finiebantur, qui erat a. d. XIV. Kal. Ian.* (19 Decbr.) *Sed postquam C. Caesar huic mensi duos addidit dies, sexto decimo* (17 Decbr.) *coepta celebrari,* (Et sic: *XVI. Kal. Ian.* notantur in Kalendario Antiatino. Inscriptt. mear. Lat. Vol. 2. p. 405.) — *avi tui*] P. Cornelii Lentuli cos. a. u. c. 592. „principis senatus" (Philipp. 4, 14.) Quae Ahrens p. 143. disputat, ut demonstret Lentulum, qui hic et Catil. 4, 6. memoratur, non avum, sed patrem potius fuisse Lentuli Surae a Cicerone necati, vel eo corruunt, quod Scholium in Divinationis c. 22. p. 69. Ed. Bait. p. 124. non Asconii esse, sed grammatici seculi fortasse quarti post Chr. n. ignoravit.

V. Ac, ne longum sit, Quirites, tabellas proferri ius-
simus, quae a quoque dicebantur datae. Primum ostendi-
mus Cethego signum; cognovit. Nos linum incidimus; legi-
mus. Erat scriptum ipsius manu Allobrogum senatui et
populo, sese, quae eorum legatis confirmasset, facturum
esse: orare, ut item illi facerent, quae sibi eorum legati
recepissent. Tum Cethegus, qui paullo ante aliquid tamen
de gladiis ac sicis, quae apud ipsum erant deprehensae,
respondisset dixissetque se semper bonorum ferramentorum
studiosum fuisse, recitatis litteris debilitatus atque abiectus,
conscientia convictus, repente conticuit. Introductus est
Statilius; cognovit et signum et manum suam. Recitatae
sunt tabellae in eandem fere sententiam: confessus est. Tum
ostendi tabellas Lentulo et quaesivi, cognosceretne signum.
Annuit. — „Est vero, inquam, notum signum, imago avi
tui, clarissimi viri, qui amavit unice patriam et cives suos:
quae quidem te a tanto scelere etiam muta revocare debuit.“
Leguntur eadem ratione ad senatum Allobrogum populumque 11
litterae. Si quid de his rebus dicere vellet, feci potestatem.
Atque ille primo quidem negavit; post autem aliquanto, toto
iam indicio exposito atque edito, surrexit; quaesivit a Gallis,
quid sibi esset cum iis; quamobrem domum suam venissent;
itemque a Volturcio. Qui cum illi breviter constanterque
respondissent, per quem ad eum quotiensque venissent,
quaesissentque ab eo, nihilne secum esset de fatis Sibyllinis
locutus, tum ille subito scelere demens, quanta conscientiae
vis esset, ostendit. Nam, cum id posset infitiari, repente
praeter opinionem omnium confessus est. Ita eum non
modo ingenium illud et dicendi exercitatio, qua semper
valuit, sed etiam propter vim sceleris manifesti atque depre-
hensi impudentia, qua superabat omnes, improbitasque defecit.
Volturcius vero subito litteras proferri atque aperiri iussit, 12

§ 11. *aliquando* T. Manut. (non R.) — *cum his* TR. — *quotiens venissent* T. — *de fastis* RP. *de factis* T. — *vis esset conscientiae* P. — *posset vel inficiari infirmarique repente* T. — *ita enim non modo* T. *ita enim cum non modo* R.

§ 12. *litteras proferri*] TR. *prof. litt.* Ern. — *iussit* TRP. Ern. — *iubet* Steph. Madvig. — *et signum et manum suam cognovit*] TRP. *et signum suam et manum*

§ 12. Apud Salustium c. 44. epistolae hoc est exemplum: *Qui sim, ex eo, quem ad te misi, cognosces. Fac cogites, in qua calamitate sis, et memineris te*

quas sibi a Lentulo ad Catilinam datas esse dicebat. Atque ibi vehementissime perturbatus Lentulus, tamen et signum et manum suam cognovit. Erant autem scriptae sine nomine, sed ita: *Qui sim, scies ex eo, quem ad te misi. Cura, ut vir sis, et cogita quem in locum sis progressus, et vide, quid iam tibi sit necesse. Et cura, ut omnium tibi auxilia adiungas, etiam infimorum.* Gabinius deinde introductus, cum primo impudenter respondere coepisset, ad extremum nihil ex iis, quae Galli insimulabant, negavit.
13 Ac mihi quidem, Quirites, cum illa certissima sunt visa argumenta atque indicia sceleris tabellae, signa, manus, denique unius cuiusque confessio, tum multo certiora illa, color oculi, voltus taciturnitas. Sic enim obstupuerant, sic terram intuebantur, sic furtim nonnunquam inter se adspiciebant, ut non iam ab aliis indicari, sed ipsi a se viderentur.

VI. Indiciis expositis atque editis, Quirites, senatum consului, de summa re publica quid fieri placeret. Dictae sunt a principibus acerrimae ac fortissimae sententiae, quas senatus sine ulla varietate est consecutus. Et quoniam nondum est perscriptum senatus consultum, ex memoria vobis,
14 Quirites, quid senatus censuerit, exponam. Primum mihi

---

cognovit Ern. *et signum suam cognovit et manum* ex Edd. vett. Madvig. — *scies ex eo, quem ad te misi*] TP. Madvig. *ex eo scies, quem ad te misi* R. *ex eo, quem ad te misi, cognosces* Ern. — *et cogita, quem in locum sis progressus*] TRP. *et, quem in l. s. progressus, cogita* Ern. — *progressus. Vide* Steinmetz tamquam ex suis Codd. In tribus meis est *et vide.* — *Et cura*] TRP. *Cura* Ern. — *cum primum* T. (non R.) — *ex his* TR.

§ 13. *tabulae* R. — *certiora illa*] TRP. *illa certiora* Ern. — *inter se se* (divise) R. *inter sese nonnunquam* P. — *sed ipsi a se viderentur*] TR. *sed ipsi se viderentur indicare* P. *sed indicare se ipsi viderentur* Ern. — *de summa rep.*] Salisburg. Ern. *de summa rei publicae salute* TR. — *acerrimae ac fortissimae a principibus* R. (non T.) — *consecutus est* T. *est secutus* RP.

§ 14. *maximis periculis sit*] TRP. *periculis sit maximis* Ern. — om. *ac iure* P. — *et reip.*] TR. Ern. *et a reip.* ex aliquot suis Steinmetz. — *in cust.* Scho-

---

virum esse; consideres, quid tuae rationes postulent; auxilium petas ab omnibus, etiam ab infumis. Aut variare voluit rhetor, et male res ei cessit, maxime in vv. *cura* bis posito; aut Lentuli totum dicendi genus correxit Salustius. Illud probabilius, etsi pro certo res definiri nequit.

§ 13. Cfr. pro Sulla § 41.

§ 14. Ahrens p. 147. „*Collegae meo*, inquit orator, - - *removisset.* Quo decreto senatus miram tribuisset Antonio laudem, primum quod aperte eum fuisse

gratiae verbis amplissimis aguntur, quod virtute consilio providentia mea res publica maximis periculis sit liberata; deinde L. Flaccus et C. Pomptinus, praetores, quod eorum opera forti fidelique usus essem, merito ac iure laudantur: atque etiam viro forti, collegae meo, laus impertitur, quod eos, qui huius coniurationis participes fuissent, a suis et rei publicae consiliis removisset. Atque ita censuerunt, ut P. Lentulus, cum se praetura abdicasset, in custodiam traderetur: atque idem hoc decretum est in L. Cassium, qui

---

liasta. T. *tum in cust.* R. Ern. — *esse tributam* R. — *ex his coloniis, quas* TRP. — *Q. Mallium Ch.* T. *Q. Magium Ch.* Sylvius.

---

non solum conscium coniurationis, sed etiam socium iudicasset. Praeterea loco illo diligenter lecto et explorato non poterit dubitari, quin praesenti videatur laus impertita; in quo minus aliorum consentiunt testimonia. Nam videtur illo tempore (circa Nonas Decembr.) iam urbe exisse Catilinae persequendi causa. Ego vero si aliquatenus sermonem consuetudinemque Ciceronis perspexi, vehementer in illis verbis non potui non offendi. Hic enim non solet eos, quibus orationes edidit, de iis rebus celare, quas scire multum interest. Multum vero interfuit scire, praesenti an absenti Antonio gratias egerit senatus. Itaque *collegae meo praesenti* aut *absenti* Cicero scripsisset. Quod ego eo vehementius requiro, quo ille diligentius semper desiderio lectorum satisfecit. Denique si genuina oratio tertia, cur quae in ea composita sunt pericula, quarta rursus citantur?" — *Caeparium*] *Caeparius Tarracinensis, qui in Apuliam ad concitanda servitia proficisci parabat - - cognito indicio ex urbe profugerat.* Salust. c. 46.: *Perlectis litteris, cum prius omnes signa sua recognovissent, Senatus decernit, uti abdicato magistratu Lentulus itemque ceteri in liberis custodiis* (εἰς ἄδεσμον φυλακήν Plut. Cic. c. 19.) *habeantur. Itaque Lentulus Lentulo Spintheri, qui tum aedilis erat, Cethegus Q. Cornificio, Statilius C. Caesari, Gabinius M. Crasso, Caeparius (nam is paullo ante ex fuga retractus erat) Cn. Terentio senatori traduntur;* et c. 50. *Silanus de iis, qui in custodiis tenebantur, praeterea de L. Cassio, P. Furio, P. Umbreno, Q. Annio, si deprehensi forent, supplicium sumendum decrevit. Q. autem Annium* memorat Salustius c. 17. inter homines senatorii ordinis, quapropter Manutius haec annotavit: *Q. Magium* (quae Sylvii fuit coniectura rhetorem potius quam librarios corrigens:) *Chilonem*] Salustius (bis) *Q. Annium* vocat: ego *Magium* ut magis probem cognomine, Chilonis adducor. Cfr. Sulpicium ad Fam. 4, 12." — *novem hominum*] Sal. c. 55. *In Tullianum postquam demissus est Lentulus, vindices rerum capitalium, quibus praeceptum erat, laqueo gulam fregere. De Cethego, Statilio, Gabinio, Caepario eodem modo supplicium sumptum est.* pro Sulla 11, 33. *meis consiliis, meis laboribus, mei capitis periculis, sine tumultu, sine delectu, sine armis, sine exercitu* *q u i n q u e* *hominibus comprehensis atque confessis incensione urbem, internecione cives, vastitate Italiam, interitu rem publicam liberavi.* Quid quattuor reliquis postea factum sit, ignoramus. Nam etiam in Sullanae c. 13., ubi L. Cassii Longini mentio fit, ne verbo quidem eius exitus significatur.

sibi procurationem incendendae urbis depoposcerat: in M. Caeparium, cui ad sollicitandos pastores Apuliam esse attributam erat indicatum: in P. Furium, qui est ex iis colonis, quos Faesulas L. Sulla deduxit: in Q. Manlium Chilonem, qui una cum hoc Furio semper erat in hac Allobrogum sollicitatione versatus: in P. Umbrenum, libertinum hominem, a quo primum Gallos ad Gabinium perductos esse constabat.
15 Atque ea lenitate senatus usus est, Quirites, ut ex tanta coniuratione tantaque vi ac multitudine domesticorum hostium novem hominum perditissimorum poena, re publica conservata reliquorum mentes sanari posse arbitraretur. Atque etiam supplicatio diis immortalibus pro singulari eorum merito meo nomine decreta est, Quirites; quod mihi primum post hanc urbem conditam togato contigit: et his decreta verbis est, QVOD VRBEM INCENDIIS, CAEDE CIVES, ITALIAM BELLO LIBERASSEM. Quae supplicatio si cum ceteris supplicationibus conferatur, Quirites, hoc intersit, quod ceterae bene gesta, haec una conservata re publica constituta est. Atque illud, quod faciendum primum fuit, factum atque transactum est. Nam P. Lentulus, quamquam patefactus indiciis et confessionibus suis, iudicio senatus non modo praetoris ius, verum etiam civis amiserat, tamen magistratu se abdicavit: ut, quae religio C. Mario, clarissimo viro, non fuerat, quo minus C. Glauciam, de quo nihil nominatim erat decretum, praetorem occideret, ea nos religione in privato P. Lentulo puniendo liberaremur.

16 VII. Nunc, quoniam, Quirites, sceleratissimi periculosissimique belli nefarios duces captos iam et comprehensos

---

§ 15. *usus est*] TR. *est usus* Ern. — *sanare* T. — *post urbem* TR. — *est; quod, Quirites* P. — *ceteris supplicationibus*] TRP. *ceteris* Ern. — *intersit*] R. Ern. *interest* TP. Cfr. § 22. — *primum faciendum* R. — *patefactis* TRP. Praeterea Torrentius notavit: *patefactis insidiis ex conf.* — *erat nominatim* T.

§ 16. *depellebam* TR. — *non mihi*] TR. *nec mihi* Ern. (*P. Lentuli, qui dicebat imperatorem se esse anno illo cum interitu urbis futurum somnium nec* T. *somnium* etiam R.) — *adipes*] Scholiasta. TR. *adipem* Ern. — *C. Cethegi*] T.

---

§ 15. De supplicatione ipsa, sententiam dicente L. Aurelio Cotta, Ciceroni decreta dubitari nequit, cum multis ipsius Ciceronis testimoniis firmetur, (pro Sulla 30. in Pis. 3. Philipp. 2, 6. ad Fam. 15, 4.) sed, ut Ahrensio, mihi

tenetis, existimare debetis omnes Catilinae copias, omnes spes atque opes his depulsis urbis periculis concidisse. Quem quidem ego cum ex urbe pellebam, hoc providebam animo, Quirites, remoto Catilina non mihi esse P. Lentuli somnum, nec L. Cassii adipes, nec C. Cethegi furiosam temeritatem pertimescendam. Ille erat unus timendus ex his omnibus, sed tamdiu, dum moenibus urbis continebatur. Omnia norat, omnium aditus tenebat; appellare, tentare, sollicitare poterat, audebat; erat ei consilium ad facinus aptum; consilio autem neque lingua neque manus deerat; iam ad certas res conficiendas certos homines delectos ac descriptos habebat. Nihil erat, quod non ipse obiret occurreret, vigilaret laboraret; frigus sitim famem ferre poterat. Hunc ego hominem 17
tam acrem, tam paratum, tam audacem, tam callidum, tam in scelere vigilantem, tam in perditis rebus diligentem, nisi ex domesticis insidiis in castrense latrocinium compulissem, (dicam id, quod sentio, Quirites,) non facile hanc tantam molem mali a cervicibus vestris depulissem. Non ille nobis Saturnalia constituisset neque tanto ante exitii ac fati diem rei publicae denuntiavisset nec commisisset, ut signum, ut litterae suae testes manifesti sceleris deprehenderentur. Quae nunc illo absente sic gesta sunt, ut nullum in privata domo furtum unquam sit tam palam inventum, quam haec in tota re publica coniuratio manifesto inventa atque deprehensa est. Quod si Catilina in urbe ad hanc diem remansisset, quamquam, quoad fuit, omnibus eius consiliis occurri atque obstiti, tamen, ut levissime dicam, dimicandum nobis

---

Cethegi R. Ern. — *Ille Catilina erat* R. — *omnium auditus* R. — *ad ceteras* R. (non TP.)

§ 17. *tam paratum ad facinus* P. — *ille vobis* R. (non TP.) — *exitii*] TRP. Ern. non *exitium*. — *ac fati*] TRP. *et fati* Ern. — *denuntiavisset*] TR. *denuntiasset* Ern. — *nec comm.*] T. *neque comm.* R. Ern. — *testes*] R. Madvig. *testes denique* T. Ern. Cfr. Madvigii Opuscc. acadd. p. 179. — *in tota*] T. et plures Steinmetzii. — *tanta in* R. Ern. — *manifeste* TR. — *hanc etiam* TR. non *hunc*. — *unquam nos* P. — *cum ille*] T. Madvig. *dum* R. Ern. — *hostis in urbe* R. (non T.) — *esset*] R. Cod. C. Stephani. Oxon. χ. Graev. primus. Madvig. (Opuscc. acad. p. 190.) *fuisset* TRP. Ern.

---

quoque nimia videntur illa: *quod Italiam bello liberassem;* quod bellum tum cum maxime oriebatur.

cum illo fuisset, neque nos unquam, cum ille in urbe hostis esset, tantis periculis rem publicam tanta pace, tanto otio, tanto silentio liberassemus.

18 VIII. Quamquam haec omnia, Quirites, ita sunt a me administrata, ut deorum immortalium nutu atque consilio et gesta et provisa esse videantur. Idque cum coniectura consequi possumus, quod vix videtur humani consilii tantarum rerum gubernatio esse potuisse, tum vero ita praesentes his temporibus opem et auxilium nobis tulerunt, ut eos paene oculis videre possemus. Nam, ut illa omittam, visas nocturno tempore ab occidente faces ardoremque caeli, ut fulminum iactus, ut terrae motus ceteraque, quae tam multa nobis consulibus facta sunt, ut haec, quae nunc fiunt, canere dii immortales viderentur: hoc certe, Quirites, quod sum dicturus, neque praetermittendum neque relinquendum
19 est. Nam profecto memoria tenetis Cotta et Torquato consulibus complures in Capitolio res de caelo esse percussas, cum et simulacra deorum immortalium depulsa sunt et statuae veterum hominum deiectae et legum aera liquefacta; tactus est etiam ille, qui hanc urbem condidit, Romulus,

---

§ 18. *sunt admin.* R. — *vix videretur*] T. (non R.) — *humanis consiliis tantam molem rerum gubernatio consequi potuisse* TR. *humanis consiliis tantarum rerum gubernationem quis consequi potuisse* P. Volgata firmatur a Salisburg. — *motus cetera quaeque tam nobis consulibus multa facta* T. *motus relinquam, ut omittam cetera quae ita multa* RP. — *derelinquendum est* T. (non R.)

§ 19. *res*] TRP. non *turres.* — *depulsa* habent TRP. non *delapsa.* — *regum aera* TR. — *lactantem* T. Om. hoc v. R. (Habet etiam Arusianus p. 234. L.) *e tota* R. (non T.) — *ac totius* TR.

---

§ 19. Ad totum locum conferendi sunt versus ipsius Ciceronis de Divinat. I, 12. *Nunc ea Torquato quae quondam et consule Cotta* (a. u. c. 689.) *Lydius ediderat Tyrrhenae gentis haruspex, Omnia fixa tuus glomerans determinat annus. Nam pater altitonans, stellanti nixus Olympo Ipse suos quondam tumulos ac templa petivit Et Capitolinis iniecit sedibus ignes. Tum species ex aere vetus generosaque Nattae Concidit elapsaeque vetusto nomine leges Et Divom simulacra peremit fulminis ardor. Hic silvestris erat, Romani nominis altrix Martia, quae parvos Mavortis semine natos Uberibus gravidis vitali rore rigabat; Quae tum cum pueris flammato fulminis ictu Concidit atque avolsa pedum vestigia liquit. Tum quis non, artis scripta ac monumenta volutans, Voces tristificas chartis promebat Etruscis? Omnes civili generosa ab stirpe profectam Vitare ingentem cladem pestemque monebant, Vel legum exitium constanti voce ferebant, Templa deumque adeo flammis urbesque iubebant Eripere et stragem horribilem caedemque vereri. Atque haec fixa gravi fato ac fun-*

quem inauratum in Capitolio parvum atque lactentem, uberibus lupinis inhiantem fuisse meministis. Quo quidem tempore cum haruspices ex tota Etruria convenissent, caedes atque incendia et legum interitum et bellum civile ac domesticum et totius urbis atque imperii occasum appropinquare dixerunt, nisi dii immortales omni ratione placati suo numine prope fata ipsa flexissent. Itaque illorum responsis 20
tunc et ludi per decem dies facti sunt, neque res ulla, quae ad placandos deos pertineret, praetermissa est: iidemque iusserunt simulacrum Iovis facere maius et in excelso collocare et contra, atque ante fuerat, ad orientem convertere: ac se sperare dixerunt, si illud signum, quod videtis, solis ortum et forum curiamque conspiceret, fore, ut ea consilia, quae clam essent inita contra salutem urbis atque imperii, illustrarentur, ut a senatu populoque Romano perspici possent. Atque illud signum ita collocandum consules illi locaverunt, sed tanta fuit operis tarditas, ut neque a superioribus consulibus neque a nobis ante hodiernum diem collocaretur.

IX. Hic quis potest esse, Quirites, tam aversus a 21
vero, tam praeceps, tam mente captus, qui neget haec omnia, quae videmus, praecipueque hanc urbem deorum immortalium nutu ac potestate administrari? Etenim cum

---

§ 20. *per decem*] TR. *decem per* Ern. — *placandos*] TRP. Madvig. *placandum* Ern. — *antea f.* T. — Om. *et forum* R. (non T.) — *illud signum*] TRP. *illud* Ern. — *locaverunt*] R. Ern. *collocaverunt* P. — *statuerunt* T.

§ 21. *ac pot.*] TR. *atque pot.* Ern. — *ita esset* R. (non T.) — *et ea per cives*] Cod. Mureti. Salisb. *et ea a perditis civibus* T. (errat Steinmetz.) R. Ern. *et ea per cives vel a perditis civibus* P. — Om. *factum* R. (non T.) — *quo collato* R.

---

data teneri, Ne post excelsa ad columen formata decore, Sancta Iovis species claros spectaret in ortus; Tum fore, ut occultos populus sanctusque senatus Cernere conatus posset, si solis ad ortum Conversa inde patrum sedes populique videret. Haec tardata diu species multumque morata Consule te tandem celsa est in sede locata; Atque una fixi ac signati temporis hora Iuppiter excelsa clarabat sceptra columna; Et clades patriae flammae ferroque parata Vocibus Allobrogum patribus populoque patebat. — *simulacrum Iovis*] de Divin. 2, 20. *Eo ipso tempore, quo fieret indicium coniurationis in senatu, signum Iovis biennio post, quam erat locatum, in Capitolio collocabatur.* Callido id Ciceronis consilio tum cum maxime factum esse, quo populo religione imponeret, demonstravit Boettiger in Prolusione ad h. l. Budissae 1791. 4.

esset ita responsum, caedes, incendia interitumque rei publicae comparari, et ea per cives, quae tum propter magnitudinem scelerum nonnullis incredibilia videbantur, ea non modo cogitata a nefariis civibus, verum etiam suscepta esse sensistis. Illud vero nonne ita praesens est, ut nutu Iovis Optimi Maximi factum esse videatur, ut, cum hodierno die mane per forum meo iussu et coniurati et eorum indices in aedem Concordiae ducerentur, eo ipso tempore signum statueretur? quo collocato atque ad vos senatumque converso omnia et senatus et vos, quae erant contra salu-
22 tem omnium cogitata, illustrata et patefacta vidistis. Quo etiam maiore sunt isti odio supplicioque digni, qui non solum vestris domiciliis atque tectis, sed etiam deorum templis atque delubris sunt funestos ac nefarios ignes inferre conati. Quibus ego si me restitisse dicam, nimium mihi sumam et non sim ferendus: ille, ille Iuppiter restitit: ille Capitolium, ille haec templa, ille hanc urbem, ille vos omnes salvos esse voluit. Diis ego immortalibus ducibus hanc mentem, Quirites, voluntatemque suscepi atque ad haec tanta indicia perveni. Iam vero illa Allobrogum sollicitatio † sic a P. Lentulo ceterisque domesticis hostibus tam dementer tanta res credita et ignotis et barbaris commissaeque litterae nunquam essent profecto, nisi ab diis immortalibus huic tantae audaciae consilium esset ereptum. Quid vero? ut homines Galli ex civitate male pacata, quae gens una restat, quae bellum populo Romano facere et posse et non nolle videatur, spem imperii ac rerum am-

---

§ 22. *isti sunt* T. (non RP.) — *ille cunctam urbem* R. (non TP.) — *nos omnes* P. — om. *Quirites* RP. — *tam illa* R. (non T.) — „In v. *sic* latet participium.“ Madvig. — *a P. Lentulo*] P. *ab Lentulo* TR. *a Lentulo* Ern. — *tam dementer tanta res*] TRP. *tanta res tam dementer* Ern. — *ab*] T. *a* R. Ern. — *bellum p. R.*] TR. *p. R. bellum* Ern. — *ac r.*] TR. *et r.* Ern. — *id non*] Sic TR. Ern. non *nonne*. — *superare potuerunt*] TR. *superare potuerint* Madvig. coni. *superarent* Waldarf. Ern.

---

§ 22. *civitate male pacata*] Cfr. Orat. de prov. cons. 13. *Modo ille meorum laborum, periculorum, consiliorum socius, C. Pomptinus, fortissimus vir, ortum repente bellum Allobrogum atque hac scelerata coniuratione excitatum, proeliis fregit eosque domuit, qui lacessierant; et ea victoria contentus, re publica liberata quievit.* Liv. Epit. 103. *C. Pomptinus praetor Allobroges, qui rebellaverant, ad Solonem* (Torre di Sole) *domuit* a. u. c. 693.

plissimarum ultro sibi a patriciis hominibus oblatam neglígerent vestramque salutem suis opibus anteponerent, id non divinitus factum esse putatis? praesertim qui nos non pugnando, sed tacendo superare potuerunt.

X. Quamobrem, Quirites, quoniam ad omnia pulvinaria supplicatio decreta est, celebratote illos dies cum coniugibus ac liberis vestris. Nam multi saepe honores diis immortalibus iusti habiti sunt ac debiti, sed profecto iustiores nunquam. Erepti enim estis ex crudelissimo ac miserrimo interitu, et erepti sine caede, sine sanguine, sine exercitu, sine dimicatione; togati me uno togato duce et imperatore vicistis. Etenim recordamini, Quirites, omnes civiles dissensiones, non solum eas, quas audistis, sed eas, quas vosmet ipsi meministis atque vidistis: L. Sulla P. Sulpicium oppressit: ex urbe eiecit C. Marium, custodem huius urbis, multosque fortes viros partim eiecit ex 23 24

---

§ 23. *Erepti enim estis*] TRP. *Erepti enim* Ern. — *ex miserrimo ac crudelissimo* R. *a mis. et crud.* P.

§ 24. *non solum*] TR. *neque solum* Ern. — *sed eas*] Arusianus. TR. *sed et has* Ern. — *atque vid.*] TR. *et vid.* Ern. — *ex urbe eiecit* [ ] Madvig. cum aliis. Servant TR. — *viros fortes* R. — *expulit ex urbe c. s.*] TR. *ex urbe c. s. expulit* Ern. (Om. v. *suum* P.) — om. *postea* T. (Habet tamen Scholiasta. R.) — *ne dici*] TR. *nec dici* P. Ern. — *calamitate P. R.* T. — *ac*] TR. *et* Ern.

---

§ 24. P. Sulpicius tr. pl. auctore C. Mario, cum Sulla, cui sorte obvenerat Asia provincia bellumque cum Mithridate, circa Nolam moraretur, leges promulgavit, ut exules revocarentur, novi cives libertinique distribuerentur in tribus, et ut Marius adversus Mithridatem dux crearetur. Cum deinde adversantibus consulibus vim intulisset, occiso Q. Pompeii Rufi cos. filio, genero Sullae, L. Sulla consul cum sex legionibus in Urbem venit et adversus factionem Sulpicii et Marii in ipsa urbe pugnavit, eamque expulit, ex qua XII. a senatu hostes iudicati sunt. Sulpicius indicio servi sui ex villa retractus, ab equitibus in Laurentinis paludibus iugulatus est, Marius vero Minturnas pervenit a. u. c. 666. Liv. Ep. 77. Velleius 2, 18 — 19. Appian. B. C. 1, 55 — 60. STEINMETZ. — Cn. Octavius cos. a. u. c. 667. L. Cornelium Cinnam collegam, cum perniciosas leges, ut novi cives in omnibus tribubus suffragia ferrent, per vim atque arma ferret, cum globo hominum confertissimo per sacram viam in forum irrumpens, Urbe expulit imperiumque ei abrogavit; quo quidem in tumultu non multo minus decem milibus ex novis civibus caesi sunt. Liv. Ep. 79. Appian. B. C. 1, 64 et 65. ID. — *Cinna*] Cinna et Marius cum Carbone et Sertorio tandem in Urbem recepti velut captam caedibus et rapinis vastarunt, Cn. Octavio cos. occiso et omnibus adversae partis nobilibus trucidatis, inter quos M. Antonio, eloquentissimo viro,

civitate, partim interemit. Cn. Octavius, consul, armis expulit ex urbe collegam suum; omnis hic locus acervis corporum et civium sanguine redundavit. Superavit [postea] Cinna cum Mario. Tum vero clarissimis viris interfectis lumina civitatis exstincta sunt. Ultus est huius victoriae crudelitatem postea Sulla; ne dici quidem opus est, quanta deminutione civium et quanta calamitate rei publicae. Dissensit M. Lepidus a clarissimo ac fortissimo viro, Q. Catulo. Attulit non tam ipsius interitus rei publicae luctum, quam
25 ceterorum. Atque illae tamen omnes dissensiones erant eiusmodi, Quirites, quae non ad delendam, sed ad commutandam rem publicam pertinerent; non illi nullam esse rem publicam, sed in ea, quae esset, se esse principes, neque hanc urbem conflagrare, sed se in hac urbe florere voluerunt. Atque illae tamen omnes dissensiones, quarum nulla exitium

---

§ 25. *illae tamen omnes diss.*] TRP. *illae diss.* Ern. — *eiusmodi*] TR. Madvig. *huiusmodi* Ern. — Vv. *Atque illae tamen omnes dissensiones, quarum - - - diiudicatae sint* [ ] Madvig. — *Cethego et Cassio*] TR. *Cassio, Cethego* Ern. — *superfuturum esse*] T. *superfuturum* R. Ern. *urbis superfuturum esse* T. — *non posset* P. Habent *et cives* TR. non *et omnes cives.*

L. et C. Caesaribus, Q. Catulo, P. Crasso, L. Merula, Q. Scaevola a. u. c. 667 et 668. Liv. Ep. 80. Appian, B. C. 1, 65—75. Cic. de Orat. 3, 2. Id. — *deminutione civium*] Sulla, victo Mithridate, reversus a. u. c. 671., pluribus proeliis contra Marianos editis, a. 672. urbe potitus, pulcherrimam victoriam crudelitate, quanta in nullo hominum unquam fuit, inquinavit. Liv. Ep. 88. Florus 3, 21, 24: *Minus est, quod apud Sacriportum* (Latii portum) *et apud Collinam portam septuaginta amplius milia Sulla concidit; bellum erat. Quattuor milia deditorum inermium civium in villa publica interfici iussit. — Quis autem illos potest computare, quos in urbe passim, quisquis voluit, occidit? donec admonente Furfidio, vivere aliquos debere, ut essent, quibus imperaret, proposita est ingens illa tabula, et ex ipso equestris ordinis flore ac senatus duo milia electi, qui mori iuberentur.* Cfr. Cic. pro S. Roscio Am. 32. Id. — *M. Aemilius Lepidus* (θρασὺς ἀνὴρ καὶ πολέμιος καὶ ἐμπληκτικώτατος Plut. Sull. 34.) consul a. u. c. 676. cum Q. Lutatio Catulo, qui Sullanarum partium erat, acta Sullae rescindere tentabat revocareque proscriptos. Ergo civitate turbidis contionibus territa, ipse Transalpinam Galliam sortitus non rediit ad comitia. Revocatus a patribus, ex Etruria arma et exercitum Urbi admovit. Sed a Q. Catulo et Cn. Pompeio, qui iam Mulvium pontem Ianiculumque insederant, non longe a campo Martio primo statim impetu retro pulsus hostisque a senatu iudicatus, incruenta fuga in Etruriam, inde in Sardiniam recessit; ibique morbo et poenitentia interiit. Victores pace contenti fuerunt. Liv. Ep. 90. Appianus B. C. 103—107. Id. Cfr. Orationes e Salustii libris Hist. deperditas a me editas. Turici 1831.

rei publicae quaesivit, eiusmodi fuerunt, ut non reconciliatione concordiae, sed internecione civium diiudicatae sint. In hoc autem uno post hominum memoriam maximo crudelissimoque bello, quale bellum nulla unquam barbaria cum sua gente gessit, quo in bello lex haec fuit a Lentulo, Catilina, Cethego et Cassio constituta, ut omnes, qui salva urbe salvi esse possent, in hostium numero ducerentur, ita me gessi, Quirites, ut omnes salvi conservaremini; et, cum hostes vestri tantum civium superfuturum esse putassent, quantum infinitae caedi restitisset, tantum autem urbis, quantum flamma obire non potuisset, et urbem et cives integros incolumesque servavi.

XI. Quibus pro tantis rebus, Quirites, nullum ego a 26
vobis praemium virtutis, nullum insigne honoris, nullum monumentum laudis postulabo praeterquam huius diei memoriam sempiternam. In animis ego vestris omnes triumphos meos, omnia ornamenta honoris, monumenta gloriae, laudis insignia, condi et collocari volo. Nihil me mutum potest delectare, nihil tacitum, nihil denique eiusmodi, quod etiam minus digni assequi possint. Memoria vestra, Quirites, nostrae res alentur, sermonibus crescent, litterarum monumentis inveterascent et corroborabuntur: eandemque diem intelligo, quam spero aeternam fore et ad salutem urbis et ad memoriam consulatus mei propagatam † unoque tempore in hac re publica duos cives exstitisse, quorum alter fines vestri imperii non terrae, sed caeli regionibus terminaret, alter eiusdem imperii domicilium sedemque servaret.

---

§ 26. *postulabo*] TR. *postulo* Ern. — *praeter huius* R. (non T.) — *eiusmodi*] TR. *huiusmodi* Ern. — *possunt* TR. — *eademque diem* (sic) T. — *propagata* T. *propagatam* ponit ante vv. *et ad* P. — *uno quoque* R. (non T.) (*propagatam esse et ad salutem urbis et ad memoriam consulatus mei, omnique tempore* [hoc praedicatum iri, simul] *in hac re publica* Madvig. Opuscc. academ. p. 191. Scil. ordinem praefert Codd. P. Colon. Duisb. *omnique* est in Codd. Oxonn. Verba illa *hoc pr. iri, simul* vel similia excidisse arbitratur. — *duos dies* TR. — *vestri imperii vestri non* R. — *sedesque* R.

---

§ 26. *caeli regionibus*] Similis laus Pompeio tribuitur in fragm. or. de aere alieno Milonis 1, 4.: *qui populi Romani imperium non terrarum regionibus, sed caeli partibus terminavit.*

27 XII. Sed, quoniam earum rerum, quas ego gessi, non
eadem est fortuna atque condicio, quae illorum, qui externa
bella gesserunt: quod mihi cum iis vivendum est, quos vici
ac subegi, illi hostes aut interfectos aut oppressos reliquerunt:
vestrum est, Quirites, si ceteris recte facta sua prosunt,
mihi mea ne quando obsint, providere. Mentes enim
hominum audacissimorum sceleratae ac nefariae ne vobis
nocere possent, ego providi: ne mihi noceant, vestrum est
providere. Quamquam, Quirites, mihi quidem ipsi nihil ab
istis iam noceri potest. Magnum enim est in bonis praesidium,
quod mihi in perpetuum comparatum est; magna
in re publica dignitas, quae me semper tacita defendet;
magna vis conscientiae, quam qui negligent, cum me vio-
28 lare volent, se ipsi indicabunt. Est etiam in nobis is animus,
Quirites, ut non modo nullius audaciae cedamus, sed
etiam omnes improbos ultro semper lacessamus. Quod si
omnis impetus domesticorum hostium depulsus a vobis se
in me unum converterit, vobis erit videndum, Quirites,
qua condicione posthac eos esse velitis, qui se pro salute
vestra obtulerint invidiae periculisque omnibus. Mihi quidem
ipsi quid est, quod iam ad vitae fructum possit acquiri,
praesertim cum neque in honore vestro neque in gloria virtutis
quidquam videam altius, quo mihi libeat ascendere?
29 Illud perficiam profecto, Quirites, ut ea, quae gessi in consulatu,
privatus tuear atque ornem; ut, si qua est invidia
in conservanda re publica suscepta, laedat invidos, mihi

---

§ 27. *eadem est*] TR. *est eadem* Ern. — *cum iis vivendum est*] P. *cum illis vivendum est* R. *cum his viv. sit* T. Ern. — *illi hostes*] TR. *isti h.* Ern. — *recte facta sua*] TR. *sua facta* om. *recte* Ern. — *ne nobis* R — *ab istis iam*] TR. *iam ab istis* Ern. — *magna in*] TR. *magna est in* Ern. — *vis consc.*] TR. *vis est consc.* Ern. — *negligunt* R. a sec. m.

§ 28. *improbos omnes* P. Om. *omnes* R. (non T.) — *converterit*] TR. *convertit* Ern. *verterit* P. — *videndum*] Salisburg. Alii Codd. *providendum* TR. Ern. — *quo mihi*] TRP. *quo quidem mihi* Ern.

§ 29. *invidia est* R. (non T.) — *laedat invidiis* T. — *quae gessi* R. (non T.) — *iam est nox* T. — *veneramini* superscr. „vel *venerati*" R. — *ac in vestra* disc. om. v. *tecta* R. (non T.) — *priore*] TR. *priori* Ern. — *nocte*] TR. Ern. *nocte fecistis* Codd. plerique. — *ut perpetua* T. — *providebo, Quirites*] TR. Ern. *providebo* Salisburg. Lambinus.

valeat ad gloriam. Deinde ita me in re publica tractabo, ut meminerim semper, quae gesserim, curemque, ut ea virtute, non casu gesta esse videantur. Vos, Quirites, quoniam iam nox est, veneramini illum Iovem, custodem huius urbis ac vestrum, atque in vestra tecta discedite: et ea, quamquam iam periculum est depulsum, tamen aeque ac priore nocte custodiis vigiliisque defendite. Id ne vobis diutius faciendum sit atque ut in perpetua pace esse possitis, providebo, Quirites.

M. TULLII CICERONIS

IN

L. CATILINAM

ORATIO QUARTA

HABITA IN SENATU.

1 I. Video, Patres conscripti, in me omnium vestrûm ora atque oculos esse conversos. Video vos non solum de vestro ac rei publicae, verum etiam, si id depulsum sit, de meo periculo esse sollicitos. Est mihi iucunda in malis et grata in dolore vestra erga me voluntas: sed eam, per deos

§ 1. Vv. *in me* P. ponit ante v. *esse*; v. *periculo* post vv. *de reip.* — *deponite*] TR. *quaeso, deponite* Ern. — *vestris liberis*] T. *lib. vestris* R. Ern. — *Mihi si*] TRP. *Mihi quidem si* Ern. — *verum etiam*] TRP. *sed etiam* Ern. — *Romano P. C. dignitas* T.

Qui hanc orationem composuit totam rem ita exponit, ac si, cum Nonis Decembribus a. u. c. 691. Silanus et Caesar sententias in senatu dixissent, in Caesaris autem sententiam multi transirent, Cicero multo ante, quam Ti. Nero (Sal. c. 50.) et M. Cato verba fecissent, hanc orationem habuisset, qua quidem id potissimum egerit, ut utramque sententiam inter se compararet multaque et recondita cum arte eam, quam dixerat Silanus, potiorem esse significaret. Sed toti huic artificio aperte repugnat primum Salustii de iis, quae Nonis Decembr. in senatu acta sint, narratio c. 50. „*Consul convocato senatu refert, quid de iis fieri placeat, qui in custodiam traditi erant. — Tum D. Iunius Silanus primus sententiam rogatus, quod eo tempore consul designatus erat, de iis, qui in custodiis tenebantur, praeterea de L. Cassio, P. Furio, P. Umbreno, Q. Annio, si deprehensi forent, supplicium sumundum decreverat.* Tum verba fecere C. Caesar (c. 51.) postquam hic dicendi finem fecit, ceteri verbo alius alii varie assensi sunt (c. 52.); maxime autem memorabilis fuit sententia Ti. Neronis, in quam Silanus ipse, per-

immortales! deponite atque obliti salutis meae de vobis ac de vestris liberis cogitate. Mihi si haec condicio consulatus data est, ut omnes acerbitates, omnes dolores cruciatusque

---

motus oratione Caesaris pedibus iturum se dixit (c. 50.) (Errat igitur Appianus B. C. 2, 5., qui Neronem ante Caesarem sententiam dixisse refert.) M. autem Cato rogatus sententiam, luculentam illam orationem habuit, quam refert scriptor c. 52. Senatus decretum fit, sicuti ille censuerat (c. 53.) Iam si praeter relationem aliam ante Catonem et tam longam habuisset orationem Cicero, quo modo aut cur id taceri potuerit a Salustio, non intelligimus. Quid? quod idem confirmat Cicero ipse ad Att. 12, 21. (a. u. c. 709.) *Legi Bruti epistolam eamque tibi remisi sane non prudenter rescriptam ad ea, quae requisieras. Sed ipse viderit. Quamquam illud turpiter ignorat: Catonem primum sententiam putat de animadversione dixisse, quam omnes ante dixerant praeter Caesarem; et cum ipsius Caesaris tam severa fuerit, qui tum praetorio loco dixerit, consularium putat leniores fuisse, Catuli, Servilii, Lucullorum, Curionis, Torquati, Lepidi, Gellii, Volcatii, Figuli, Cottae, L. Caesaris, C. Pisonis, etiam M'. Glabrionis, Silani, Murenae, designatorum consulum. Cur ergo in sententiam Catonis? Quia verbis luculentioribus et pluribus rem eandem comprehenderat. Me autem hic laudat, quod rettulerim, non quod patefecerim, quod cohortatus sim, quod denique* a n t e, q u a m c o n s u l e r e n t, *ipse iudicaverim. Quae omnia, quia Cato laudibus extulerat in caelum perscribendaque censuerat, idcirco in eius sententiam est facta discessio. Hic autem se etiam tribuere multum mihi putat, quod scripserit* „optimum consulem.“ *Quis enim ieiunius dixit inimicus?* Ad M. Brutum igitur id tantum pervenerat, quod legimus etiam apud Salustium, rettulisse Ciceronem: conqueritur autem hic, quod tam ieiuna ac frigida laude usus sit, nec verbo saltem adiecerit, in ipsa relatione consulem patefecisse totam coniurationem, cohortatum esse senatores ad severitatem, immo ipsum prope iudicasse, antequam senatum consuleret, id est, singulos senatores sententiam rogaret. Similia igitur iis, quae in hac oratione leguntur, utique Nonis Decembr. exposuerat Cicero, sed, quod identidem repetendum est, cum referret, qua in relatione certe nullam Silani et Caesaris mentionem facere poterat. Bis eo die si verba fecisset, id profecto in hac epistola admodum stomachosa minime Atticum celasset, sed verbo monuisset vacillantes inter utramque sententiam senatores a sese in rectam viam reductos esse atque ad severiorem sententiam proniores factos iam ante Catonis orationem. Haec ita subtiliter demonstravit Ahrens, ut, quomodo eius opinio confutari possit, nequaquam perspiciam. Neque enim quidquam praesidii peti potest ex Appiani verbis B. C. 2, 6. *Κάτων — καὶ ὁ Κικέρων — ἔπεισαν ὡς αὐτοφώρων ἄνευ κρίσεως καταγνῶναι.* Sensit autem ipse rhetor fingi a se nequaquam posse orationem a Cicerone habitam, postquam Cato sententiam dixisset, utpote quae summis laudibus a toto senatu excepta esset (Sal. c. 53.), adeo ut prorsus supervacanea, immo inepta fuisset eiusmodi exhortatio, qualem hic legimus, utramque sententiam et capitalem et leniorem summa cum cautione inter se contendentem. Facili quidem opera, immo festive totius rei difficultatem removet Reiff *Geschichte der römischen Bürgerkriege 2, p. 334. Bei solcher veränderten Stimmung im Senate blickte jedermann ängstlich auf den Consul, so dass Cicero es allen Senatoren anse-*

perferrem, feram non solum fortiter, verum etiam libenter, dummodo meis laboribus vobis populoque Romano dignitas
2 salusque pariatur. Ego sum ille consul, Patres conscripti, cui non forum, in quo omnis aequitas continetur, non campus consularibus auspiciis consecratus, non curia, summum auxilium omnium gentium, non domus, commune perfugium, non lectus ad quietem datus, non denique haec sedes honoris, sella curulis, unquam vacua mortis periculo atque insidiis fuit. Ego multa tacui, multa pertuli, multa concessi, multa meo quodam dolore in vestro timore sanavi. Nunc, si hunc exitum consulatus mei dii immortales esse voluerunt, ut vos, Patres conscripti, populumque Romanum ex caede miserrima, coniuges liberosque vestros virginesque Vestales ex acerbissima vexatione, templa atque delubra, hanc pulcherrimam patriam omnium nostrûm ex foedissima flamma, totam Italiam ex bello et vastitate eriperem, quaecunque mihi uni proponetur fortuna, subeatur. Etenim, si P. Lentulus suum nomen, inductus a vatibus, fatale ad perniciem populi Romani fore putavit, cur ego non laeter meum consulatum ad salutem rei publicae prope fatalem exstitisse?

---

§ 2. Habent *in quo* TRP. — *sedes honoris, sella curulis*] RP. *sedes honoris, id est, sella curulis* T. *sedes honoris* Ern. Madvig. — *ut vos populum P. C. ex* T. *ut vos populumque Romanum ex* R. — *caede miserrima*] Schollasta. Erf. *caede misera* T. Ern. *caede, miseria* R. *caede et miseria* P. — *perniciem populi Romani*] TP. *pern. rei publicae* R. Ern. — *ad salutem populi Romani* R.

---

hen konnte, man wünsche zu wissen, für welche Strafe er selbst gestimmt sei. Der Consul unterbrach daher das Abstimmen der Senatoren und hielt seine vierte Catilinarische Rede. Madvigius autem hanc declamationem Tullio vindicans (Opusc. acad. p. 192.) sapientissime quidem generatim atque universe nos dehortatur de nimia temeritate in veterum, in primis Tullii scriptis propter dicendi genus singulaque interdum verba in suspicionem adducendis, sed argumenta historica, quae dilucide ac subtiliter proposuit Ahrens, non modo non refutavit, sed ne verbo quidem attigit. Donec igitur contrariis maioris ponderis argumentis nostra sententia elevata et erroris convicta erit, neque ad Ahrensium neque ad me pertinere arbitrabor ῥῆσιν illam utique gravem atque eloquentem, veram etiam, si quis Verrinarum, Philippicarum aliarumve Tullii ipsius orationum aliquam impugnasset.

§ 3. Memorat Q. fratrem, Terentiam uxorem, Marcum filium tum vix bimum, generum C. Calpurnium Pisonem Frugi, cui Tulliam a. u. c. 689. desponderat, quique ante soceri restitutionem a. u. c. 697. decessit. Is cum nondum senator esset, fingitur adstare ad valvas aedis Concordiae.

II. Quare, Patres conscripti, consulite vobis, prospicite patriae, conservate vos, coniuges, liberos fortunasque vestras, populi Romani nomen salutemque defendite, mihi parcere ac de me cogitare desinite. Nam primum debeo sperare omnes deos, qui huic urbi praesident, pro eo mihi, ac mereor, relaturos esse gratiam; deinde, si quid obtigerit, aequo animo paratoque moriar. Nam neque turpis mors forti viro potest accidere neque immatura consulari nec misera sapienti. Nec tamen ego sum ille ferreus, qui fratris carissimi et amantissimi praesentis maerore non movear horumque omnium lacrimis, a quibus me circumsessum videtis. Neque meam mentem non domum saepe revocat exanimata uxor et abiecta metu filia et parvolus filius, quem mihi videtur amplecti res publica tamquam obsidem consulatus mei; neque ille, qui exspectans huius exitum diei adstat in conspectu meo gener. Moveor his rebus omnibus, sed in eam partem, uti salvi sint vobiscum omnes, etiam si me vis aliqua oppresserit, potius quam et illi et nos una rei publicae peste pereamus. Quare, Patres conscripti, incumbite ad salutem rei publicae; circumspicite omnes procellas, quae

3 (at "II. Quare, Patres conscripti, consulite vobis, prospi-") · 4 (at "peste pereamus. Quare, Patres conscripti, incumbite ad")

§ 3. *salutem defendite* R. (non T.) — *ac merito rel.* R. (non T.) — *esse gratiam*] TRP. *gratiam esse* Ern. — Habent *obtigerit* Scholiasta. TRP. — *Nam neque*] RP. *Neque enim* T. Ern. — *misera aspicienti* R. — *tamen ille sum f.* om. *ego.* R. (non T.) — *et amant.*] TR. Erf. *atque amant.* Ern. — Om. *saepe* R. (non T.) — *et abiecta*] TR. Erf. *abiecta* Ern. — om. *huius* R. (non T.) — *diei adstat*] P. Ern. *dieidstat* T. *diei stat* R. Erf. — *uti* TR. *ut* Ern. — *me vis aliqua*] RP. Erf. *vis me aliqua* T. *vis aliqua me* Ern. — *una reip. peste*] Sic etiam TR. Vim declamatoriam infregit interpolator: *una cum re publica* Ed. 1474. Lamb.

§ 4. *ad salutem reip.*] TRP. Erf. *ad reip. sal.* Ern. — *quod - quod - quod*] TR. Erf. *qui - qui - qui* Ern. — *sed tenentur ii qui* T. *tenentur enim qui* R. *tenen-*

§ 3. *nam neque turpis mors*, cet.] Philipp. 2, § 119. *Etenim si abhinc annos prope viginti hoc ipso in templo* (Concordiae) *negavi posse mortem immaturam esse consulari, quanto verius nunc negabo seni!* Iure Ahrens significat Ciceronis hoc ἀπόφθεγμα referendum esse ad a. u. c. 692., cum *consularis* esset, non iam *consul.* Rhetor autem cum ex Philippica secunda sententiam surriperet, in eo peccavit, quod *consulari* retinuit sperans fortasse fore, ut lectores id non animadverterent aut excusarent etiam construentes *forti viro*, *consulari viro*, (qui nunc ipsum consul est), *sapienti viro.*

§ 4. *C. Memmium*] qui cum Glaucia consulatum petebat a. u. c. 654. et suffragia laturus videbatur. Appian. B. C. 1, 32. Matth.

impendent, nisi providetis. Non Ti. Gracchus, quod iterum tribunus plebi fieri voluit, non C. Gracchus, quod agrarios concitare conatus est, non L. Saturninus, quod C. Memmium occidit, in discrimen aliquod atque in vestrae severitatis iudicium adducitur: tenentur ii, qui ad urbis incendium, ad vestram omnium caedem, ad Catilinam accipiendum Romae restiterunt. Tenentur litterae signa manus, denique uniuscuiusque confessio; sollicitantur Allobroges; servitia excitantur; Catilina arcessitur; id est initum consilium, ut interfectis omnibus nemo ne ad deplorandum quidem populi Romani nomen atque ad lamentandam tanti imperii calamitatem relinquatur.

5 III. Haec omnia indices detulerunt, rei confessi sunt; vos multis iam iudiciis iudicastis: primum, quod mihi gratias egistis singularibus verbis, et mea virtute atque diligentia perditorum hominum coniurationem patefactam esse decrevistis: deinde quod P. Lentulum, ut se abdicaret praetura, coëgistis; tum quod eum et ceteros, de quibus iudicastis, in custodiam dandos censuistis, maximeque, quod meo nomine supplicationem decrevistis, qui honos togato habitus ante me est nemini; postremo hesterno die praemia legatis Allobrogum Titoque Volturcio dedistis amplissima. Quae sunt omnia eiusmodi, ut ii, qui in custodiam nominatim dati sunt, sine ulla dubitatione a vobis damnati esse videantur.

6 Sed ego institui referre ad vos, Patres conscripti, tamquam integrum et de facto, quid iudicetis, et de poena, quid censeatis. Illa praedicam, quae sunt consulis. Ego

tur vero ii, qui P. — *vestram*] TR. Ern. *vestrum* Edd. ante Grut. — *manus signa* R. — *accersitur* R. (non T.) — *populi Romani nomen*] TRP. Erf. *rei publicae nomen* Ern. — *lamentandum* R.

§ 5. *iam multis* Scholiasta et R. (non T.) om. *iam* P. — *iudicavistis* T. bis. — *coniur. patef. esse*] TRP. Erf. *patef. esse coni.* Ern. — *P. Lentulum se abdicare* RP. (Excidit hoc membrum ex T.) — om. *praetura* R. — *tum quidem cum eum* P. Habent *postremo hesterno* TRP. — *uti qui* TRP.

§ 6. *mentes vestrae* R. — *inclinant*] Sic TR. Ern. *se incl.* P. Erf. Madvig. — *statuundum* T. — *putatis affines*] Sic TR. Ern. *affines putatis* Erf. Madvig.

§ 5. *Paullo ante frequens senatus iudicaverat eos contra rem publicam fecisse.* et paullo ante: *Legatis Allobrogum et T. Volturcio comprobato eorum indicio praemia decernuntur.* Sal. c. 50.

magnum in re publica versari furorem et nova quaedam misceri et concitari mala iampridem videbam; sed hanc tantam, tam exitiosam haberi coniurationem a civibus nunquam putavi. Nunc, quidquid est, quocunque vestrae mentes inclinant atque sententiae, statuendum vobis ante noctem est. Quantum facinus ad vos delatum sit, videtis. Huic si paucos putatis affines esse, vehementer erratis. Latius opinione disseminatum est hoc malum; manavit non solum per Italiam, verum etiam transcendit Alpes et obscure serpens multas iam provincias occupavit. Id opprimi sustentando ac prolatando nullo pacto potest. Quacunque ratione placet, celeriter vobis vindicandum est.

IV. Video duas adhuc esse sententias: unam D. Silani, 7
qui censet, eos, qui haec delere conati sunt, morte esse multandos; alteram C. Caesaris, qui mortis poenam removet, ceterorum suppliciorum omnes acerbitates amplectitur. Uterque et pro sui dignitate et pro rerum magnitudine in summa severitate versatur. Alter eos, qui nos omnes, qui populum Romanum vita privare conati sunt, qui delere imperium, qui populi Romani nomen exstinguere, punctum temporis frui vita et hoc communi spiritu non putat oportere, atque hoc genus poenae saepe in improbos cives in hac re publica esse usurpatum recordatur. Alter intelligit mortem a diis immortalibus non esse supplicii causa constitutam, sed aut necessitatem naturae aut laborum ac miseriarum quietem esse. Itaque eam sapientes nunquam inviti, fortes saepe etiam libenter appetiverunt. Vincula vero, et ea sempiterna, certe ad singularem poenam nefarii sceleris inventa sunt. Municipiis dispertiri iubet. Habere videtur ista res iniquitatem, si imperare velis, difficultatem, si rogare. Decernatur tamen, si placet. Ego enim suscipiam et, 8
ut spero, reperiam, qui id, quod salutis omnium causa sta-

§ 7. *adhuc duas* R. (non T.) — *quae censet* TR. — *sui*] TR. Erf. *sua* Ern. — Vv. *qui populum Romanum* [ ] Madvig. de Blochii sententia. — *punctum*] TR. Ern. *per punctum* P. — *vita frui* R. — *saepe etiam*] TR. Erf. *etiam saepe* Ern. — *lubenter* T. — *appetiverunt* TR.

§ 8. *putet*] TRP. *putent* Ern. coni. — *municipiis*] R. Erf. Madvig. *municipibus* T. Ern. — *vincula eorum* R. (non T.) — *circumdat et dignas scelere h. perditorum; sancit* Madvig. cum Lamb. et Mureto, contra Codd. meos. — *homines*] TRP. (*in miseriis homines* P.) *hominem* Ern. — *si eruisset* T. — *multos* cet.] Sic

tueritis, non putet esse suae dignitatis recusare. Adiungit gravem poenam municipiis, si quis eorum vincula ruperit; horribiles custodias circumdat et digna scelere hominum perditorum sancit, ne quis eorum poenam, quos condemnat, aut per senatum aut per populum levare possit; eripit etiam spem, quae sola homines in miseriis consolari solet. Bona praeterea publicari iubet: vitam solam relinquit nefariis hominibus; quam si eripuisset, multas uno dolore animi atque corporis et omnes scelerum poenas ademisset. Itaque ut aliqua in vita formido improbis esset posita, apud inferos eiusmodi quaedam illi antiqui supplicia impiis constituta esse voluerunt; quod videlicet intelligebant his remotis non esse mortem ipsam pertimescendam.

9 V. Nunc, Patres conscripti, ego mea video quid intersit. Si eritis secuti sententiam C. Caesaris, quoniam hanc is in re publica viam, quae popularis habetur, secutus est, fortasse minus erunt hoc auctore et cognitore huiusce sententiae mihi populares impetus pertimescendi: sin illam alteram, nescio, an amplius mihi negotii contrahatur. Sed tamen meorum periculorum rationes utilitas rei publicae vincat. Habemus enim a C. Caesare, sicut ipsius dignitas et maiorum eius amplitudo postulabat, sententiam tamquam obsidem perpetuae in rem publicam voluntatis. Intellectum est, quid intersit inter levitatem contionatorum et animum vere popu-
10 larem, saluti populi consulentem. Video de istis, qui se populares haberi volunt, abesse non neminem, ne de capite

---

etiam TRP. Erf. Orator tamen ipse scripsisse videtur, ut vidit Graevius: *multos uno dolore dolores animi* cet. Habent: *atque corp.* TR. non: *ac corp.* — *improbis formido* P. — om. *ipsam* P.

§ 9. *auctore et cognitore*] P. Ern. *auctore et genitore* TR. — *pop. imp. mihi* P. — *alteram secuti eritis* RP. (non T.) — *negotii mihi* P. — *reip. vindicat* TRP. Erf. (*vincat* firmat Scholiasta.) — *a Caesare* TRP. Erf. — *quid interesset* TRP. Erf. — *saluti civium* „alias“ *populi* P.

§ 10. *videl. civis Romani* P. — *in custodiam G. P. dedit* (sic) T. ex male intellecto compendio *C. R.*, quod est in Cod. R. — *maxumis* T. — *praemium decrerit* Madvig. cum Cod. in marg. rep. Lamb. Mei habent *decrevit.* — *indica-*

---

§ 10. *non neminem*] Scholiasta Gronovianus Q. Metellum Nepotem significari putat; sed Bobiensis: *Erant autem P. Clodius, L. Calpurnius Piso et A. Gabinius, qui in senatum venire noluerunt, ne quod in coniuratos supplicium depromere cogeren-*

videlicet civium Romanorum sententiam ferat. Is et nudiustertius in custodiam cives Romanos dedit et supplicationem mihi decrevit et indices hesterno die maximis praemiis affecit. Iam hoc nemini dubium est, qui reo custodiam, quaesitori gratulationem, indici praemium decrevit, quid de tota re et causa iudicarit. At vero C. Caesar intelligit legem Semproniam esse de civibus Romanis constitutam; qui autem rei publicae sit hostis, eum civem esse nullo modo posse: denique ipsum latorem Semproniae legis iussu populi poenas rei publicae dependisse. Idem ipsum largitorem Lentulum et prodigum non putat, cum de pernicie populi Romani, exitio huius urbis tam acerbe tamque crudeliter cogitarit, etiam

---

verit R. — *Semproniae legis*] TR. Erf. *legis Semproniae* Ern. — *iussu*] TRP. *iniussu* Buherii et Ernestii coni., quam forsitan aliquis firmet ex Scholiasta p. 412. Ed. meae: „*Lege Sempronia iniussu populi non licebat quaeri de capite civis Romani.*" — *largitorem Lentulum*] TP. Manut. *Lentulum larg.* R. Ern. — *de pernicie r. p.* T. (non RP.) — *exitio*] TR. Ern. *et exitio* Edd. ante Gruterum, qui tacite emendavit. — *tam crud.* R. *quam crud.* T. — *etiam appellari*] TR. Erf. *appellari* Ern. — *in pernicie r. p.* TR. — *popularis posthac* P.

---

tur; quos scilicet adsentatores Catilinae fuisse compertum est. Cum Ahrensio haec *non neminem* suo arbitratu finxise rhetorem puto. Ἄκυρον deinceps esse pron. singul. *is* ad *non neminem* relatum recte adnotavit Ahrens. — *quaesitori*] „Quaesitoris nomen non convenit Ciceroni neque exercenti iudicium publicum aut quaestionem neque ad id negotium creato a populo. Omnino ne iudicium quidem, in quo de coniuratis iudicaretur, coactum erat." Ahrens. — *Semproniae legis*] Verr. Acc. 5, 63. *O lex Porcia legesque Semproniae!* pro Rab. perduell. c. 4. *C. Gracchus legem tulit, ne de capite civium Ro. iniussu vestro* (populi Ro.) *iudicaretur*, id est, ne quis esset magistratus, qui iniussu populi iudicium cogeret, quo in iudicio de capite civis iudicaretur. (Cfr. Ahrens p. 214.) id quod longe diversum est ab eo, quod per errorem tradit Scholiasta Bobiensis p. 370. Ed. meae: *ut ne quis in civem Ro. capitalem sententiam diceret.* — *iussu populi*] Cum hoc per se falsissimum sit, in eam quidam cogitationem incidit, ut Gracchum occisum putaret iussu populi, quia Opimio, qui interemerit, senatus decreto commissa res publica fuerit. Mira sane explicatio; ac si quod senatus decrerit, populi iussu fieret. Ahrens. Prorsus autem friget Buherii coniectura; inepte enim vv. *iniussu populi* iniustam atque arbitrariam C. Gracchi mortem, sequentibus eandem iustissimam fuisse diceret. Alia coniectura, quam factam a quodam comperi, *visu populi* pro *in conspectu populi, inspectante populo*, ne Latina quidem est. — *largitorem*] Plutarch. in Cic. 17. Κορνήλιος Λέντλος, Σούρας ἐπίκλησιν, δι' ἀσέλγειαν ἐξεληλαμένος τῆς βουλῆς πρότερον (a. u. c. 684. ab L. Gellio et Cn. Cornelio Lentulo censoribus) ἐν τοῖς κατὰ Σύλλαν χρόνοις ταμιεύων, συχνὰ τῶν δημοσίων χρημάτων ἀπώλεσε καὶ διέφθειρε.

appellari posse popularem. Itaque homo mitissimus atque
lenissimus non dubitat P. Lentulum aeternis tenebris vincu-
lisque mandare et sancit in posterum, ne quis huius supplicio
levando se iactare et in pernicie populi Romani posthac po-
pularis esse possit. Adiungit etiam publicationem honorum,
ut omnes animi cruciatus et corporis etiam egestas ac men-
dicitas consequatur.

11 VI. Quamobrem sive hoc statueritis, dederitis mihi comi-
tem ad contionem populo carum atque iucundum; sive Silani
sententiam sequi malueritis, facile me atque vos crudelitatis
vituperatione populo Romano exsolvetis atque obtinebo eam
multo leniorem fuisse. Quamquam, Patres conscripti, quae
potest esse in tanti sceleris immanitate punienda crudelitas?
Ego enim de meo sensu iudico. Nam ita mihi salva re
publica vobiscum perfrui liceat, ut ego, quod in hac causa
vehementior sum, non atrocitate animi moveor, (quis enim
est me mitior?) sed singulari quadam humanitate et miseri-
cordia. Videor enim mihi videre hanc urbem, lucem orbis
terrarum atque arcem omnium gentium, subito uno incendio
concidentem; cerno animo sepultam patriam, miseros atque
insepultos acervos civium; versatur mihi ante oculos ad-
12 spectus Cethegi et furor in vestra caede bacchantis. Cum
vero mihi proposui regnantem Lentulum, sicut ipse se ex
fatis sperasse confessus est, purpuratum esse huic Gabinium,

---

§ 11. *vos crudelitatis vituperatione populo Romano exsolvetis*] Sic Salisburg. eodemque ducunt Colon. aliorumque Codd. vestigia. — *vos a crudelitatis vituperatione defendetis* TR, Erf. Ern. (*vos crud. vit. res publica exsolvet ipsa* Madvigii suspicio.) — *leniorem*] TRP. *leviorem* Ern. — *quae tanta potest* P. — *ita salva* T. — Om. *animi* R. — *movear* R. *moveat* T. — *quid enim est* R. (non T.) Del. *est* Madvig. — *videre hanc urbem*] TR, Erf. *hanc urbem videre* Ern. — *sepultam patriam*] TP, *sepulta in patria* R. Ern. Madvig.

§ 12. *ipse ex fatis* (*fastis* R.) *se* RP. *ipse manis cum factis sperasse* (sic) T. — *purpuratum esse huic* (scil. Lentulo) *Gabinium*] Scholiasta. *purpuratum esse hunc G.* TR. Ern. *hunc purp. esse G.* P. — *purpuratum hunc G.* Erf. Madvig. — *Vestalium virginum* R. (non T.) — *praebebo*] Arusianus p. 241. L. TRP. *praebeo* Ern. — *de servis quam*] RP. Erf. *de servo quam* C2dd. apud Steinmetz. *de servo non quam* Lactant *de servis non quam* Ern. *supplicium quam* om. *de servis* T. — Firmant *inhumanissimus* TRP. *inhumanus* Lactant. Edd. vett. — *qui non dolorem cruciatu lenierit* TRP. Nostra lectio nititur auctoritate Cod. in marg. Lamb. et Salisb. — *si vehementes f. misericordissimi* P. — *in patriae c. pernicie crudelitatis* P.

cum exercitu venisse Catilinam, tum lamentationem matrumfamilias, tum fugam virginum atque puerorum ac vexationem virginum Vestalium perhorresco: et, quia mihi vehementer haec videntur misera atque miseranda, idcirco in eos, qui ea perficere voluerunt, me severum vehementemque praebebo. Etenim quaero, si quis paterfamilias liberis suis a servo interfectis, uxore occisa, incensa domo supplicium de servis quam acerbissimum sumpserit, utrum is clemens ac misericors, an inhumanissimus et crudelissimus esse videatur? Mihi vero importunus ac ferreus, qui non dolore ac cruciatu nocentis suum dolorem cruciatumque lenierit. Sic nos in his hominibus, qui nos, qui coniuges, qui liberos nostros trucidare voluerunt, qui singulas unius cuiusque nostrûm domos et hoc universum rei publicae domicilium delere conati sunt, qui id egerunt, ut gentem Allobrogum in vestigiis huius urbis atque in cinere deflagrati imperii collocarent, si vehementissimi fuerimus, misericordes habebimur; sin remissiores esse voluerimus, summae nobis crudelitatis in patriae civiumque pernicie fama subeunda est. Nisi 13
vero cuipiam L. Caesar, vir fortissimus et amantissimus rei publicae, crudelior nudiustertius visus est, cum sororis suae, feminae lectissimae, virum praesentem et audientem vita privandum esse dixit, cum avum iussu consulis interfectum filiumque eius impuberem, legatum a patre missum, in carcere necatum esse dixit. Quorum quod simile factum?

---

§ 13. *electissimae* TR. Erf. (Falsa lectio *cuius avi iussu consularem* reperitur in Manutiana 1554.) — *quid* (sic) *simile factum est?* R. (non TP.) — *vir clariss.* P. — *ille etiam tum grave* RP. *ille avus Lentuli etiam grave tum* T. — *de summa rei publicae* TR. — *hic ad vertenda* R. *hic Lentulus ad vertenda* T. — *accersit* TRP. (qui habent praesentia, non perfecta.) — *et ceteros* TR. Erf. — om. *Cassio* TR. Erf. — *diripiendam vastandamque* P. — *Vereamini*] TRP. *Veremini* Ern. coni. — *nefando nimis aliquid severius*] TRP. *nefando nimis aliquid severe* Ern. *nefario aliquid severius* Madvig. — *multo magis est*] T. Erf. *cum multo magis sit* RP. Ern.

---

§ 13. L. Iulius Caesar consul fuit cum C. Marcio Figulo a. u. c. 690. — *sororis suae*] Iuliae, quam post mortem M. Antonii Cretici, ex quo mater M. Antonii triumviri fuit, P. Lentulus Sura duxerat uxorem. — *avum*] M. Fulvium Flaccum (Catil. 1, 2.) Eius filia Fulvia nupta L. Caesari consuli cum C. Rutilio Lupo a. 664. ex eo mater huius L. Caesaris fuit. — *huius avus*] Consul cum Cn. Domitio Aënobarbo a. u. c. 591.

quod initum delendae rei publicae consilium? Largitionis voluntas tum in re publica versata est et partium quaedam contentio. Atque illo tempore huius avus Lentuli, clarissimus vir, armatus Gracchum est persecutus: ille etiam grave tum volnus accepit, ne quid de summa re publica minueretur: hic ad evertenda fundamenta rei publicae Gallos arcessit, servitia concitat, Catilinam vocat, attribuit nos trucidandos Cethego, ceteros cives interficiendos Gabinio, urbem inflammandam Cassio, totam Italiam vastandam diripiendamque Catilinae. Vereamini, censeo, ne in hoc scelere tam immani ac nefando nimis aliquid severius statuisse videamini. Multo magis est verendum, ne remissione poenae crudeles in patriam, quam ne severitate animadversionis nimis vehementes in acerbissimos hostes fuisse videamur.

14 VII. Sed ea, quae exaudio, Patres conscripti, dissimulare non possum. Iaciuntur enim voces, quae perveniunt ad aures meas, eorum, qui vereri videntur, ut habeam satis praesidii ad ea, quae vos statueritis hodierno die, transigunda. Omnia et provisa et parata et constituta sunt, Patres conscripti, cum mea summa cura atque diligentia, tum multo etiam maiore populi Romani ad summum imperium retinendum et ad communes fortunas conservandas voluntate. Omnes adsunt omnium ordinum homines, omnium denique aetatum; plenum est forum, plena templa circum forum, pleni omnes aditus huius templi et loci. Causa est enim post urbem conditam haec inventa sola, in qua omnes sentirent unum atque idem praeter eos, qui, cum sibi viderent esse pereundum, cum omnibus potius quam soli perire

15 voluerunt. Hosce ego homines excipio et secerno libenter

---

§ 14. *iactantur* R. (non TP.) — *hodierna* R. (non T.) (*transigunda* habent TR.) — *ordines homines omnium* R. — *circum*] RP. Erf. Madvig. *circa* T. Ern. — *templi et loci*] TR. *loci ac templi* Ern. — *est enim*] TR. Erf. *enim est* Ern.

§ 15. *lubenter* TR. — *neque in*] T. Erf. Madvig. *neque enim in* R. Ern. — *salutem dignitatemque*] T. Erf. *dignitatem salutemque* R. Ern. — *Quid ergo* T. —

---

§ 14. *plenum est*] De hac re Cicero in Philipp. 2, 7. *Quis eques Ro., quis praeter te adolescens nobilis, quis ullius ordinis, qui se civem meminisset, cum senatus in hoc templo esset, in clivo Capitolino non fuit? quis nomen non dedit? Quamquam nec scribae sufficere, nec tabulae nomina eorum capere potuerunt.* Steinmetz.

§ 15. *qui vobis ita summam ordinis* cet.] Sane hoc dixit rhetor: libenter con-

neque in improborum civium, sed in acerbissimorum hostium numero habendos puto. Ceteri vero, dii immortales! qua frequentia, quo studio, qua virtute ad communem salutem dignitatemque consentiunt? Quid ego hic equites Romanos commemorem? qui vobis ita summam ordinis consiliique concedunt, ut vobiscum de amore rei publicae certent; quos ex multorum annorum dissensione huius ordinis ad societatem concordiamque revocatos hodiernus dies vobiscum atque

---

ordinis auxiliique TP. (non R.) — *huius ordinis ad*] TR. Erf. *ad huius ord.* Ern. — *si coniunct.*] TRP. *coniunct. si* Ern. — *defendundae* T. — *hic dies*] TRP. *haec dies* Ern. — *frequentes advocasset* P. *frequentes advocavit* R. (*frequentasset* habent T. Salisb. Erf.) — *video ab expectatione huius sortis* R. (non TP.) (*video ab amore debitae pecuniae, ab exp. s.* Glossema Codd. Colon. Erf. non habent tres nostri.) — *ad salutem communem*] TR. *ad comm. sal.* Ern.

---

cedi ab equitibus primum locum inter civitatis ordines senatui atque ius de re publica deliberandi ac decernendi; (id quod utique aliter fieri non poterat, cum ex totius rei publicae Romanae forma princeps ordo senatus esset:) sed tamen se praeclarum cum senatu de amore rei publicae inituros certamen." Quae quidem sententia per se spectata non tam acerbe exagitanda videtur, quam fecit Ahrens p. 116., etsi fateor mihi quoque ambigue, obscure atque ἀκύρως expressam videri. Quod ad *dissensionem* utriusque ordinis pertinet, ita explicat inter alios Steinmetz: „propter iudicia, quae cum C. Gracchus lege Sempronia a senatoribus ad equites transtulisset, post XL. annos victor Sulla legem tulit, ut senatorius ordo iudicaret; et iudicavit per X. annos turpiter. Postea lege Aurelia L. Cottae praetoris a. u. c. 684. iudicia inter senatores, equestrem ordinem, tribunos aerarios communicata sunt." Verum recte significat Ahrens p. 120. lege illa Aurelia offensum esse potius senatum, iudiciorum iure magna ex parte spoliatum, non equites eadem lege honore ac potentia auctos; nequaquam igitur dici potuisse, Nonas illas Decembres a. 691. equites repente cum senatu coniunxisse: praesertim cum septem iam per annos novae iudiciorum formae assuefacta esset civitas. — *scribas - universos*] Praeclare Ahrens p. 126. demonstravit prorsus ineptum et perversum esse totum hunc de scribis locum. Eius disputationis summa huc redit: primum, falsa esse, quae Scholiasta Gronovianus ad h. l. tradit: „*Ipso die convenerunt ad aerarium scribae, ut sortirentur officia, qui scriba esset consulis, qui tribuni plebis. Viderunt coniuratos adduci ad senatum* (qui tamen in liberis custodiis retinebantur, donec in Tullianum deducerentur:) *dimiserunt sortem et omnes promiserunt praesidium:* et quae Bobiensis ad Or. in Clod. et Cur. 2, 6. p. 332. *Apud aerarium sortiri provincias et quaestores solebant et scribae* (miram utrorumque compositionem!)' *ut pro certo appareret, in quam provinciam vel cum quo praeside proficiscerentur:* falsa haec, inquam, ideo esse, quod scriptus publicus partim emi poterat, ubi sorti locus non erat, partim quod quisque magistratus suos scribas ipse deligebat suis ex libertis vel aliis, qui hunc quaestum exercebant. Deinde omnino fieri non potuisse, ut illo ipso die Nonis Decembr.

haec causa coniungit; quam si coniunctionem in consulatu confirmatam meo perpetuam in re publica tenuerimus, confirmo vobis nullum posthac malum civile ac domesticum ad ullam rei publicae partem esse venturum. Pari studio defendendae rei publicae convenisse video tribunos aerarios, fortissimos viros; scribas item universos; quos cum casu hic dies ad aerarium frequentasset, video ab exspectatione
16 sortis ad salutem communem esse conversos. Omnis ingenuorum adest multitudo, etiam tenuissimorum. Quis est enim, cui non haec templa, adspectus urbis, possessio liber-

---

§ 16. *Quis enim* R. (non T.) — *ipsa haec* R. — *et commune* T. Erf. — *qui sua virtute fortunam huius civitatis*] TRP. *qui virtute sua fortunam civitatis* Ern. — *vere hanc*] TR. Erf. *hanc vere* Ern. (*hanc vere iam suam* P.) — *hostium iudicant esse* T. *hostium iudicaverunt* om. v. *esse* R. — *hic*] TRP. *hinc* Ern. — *huiusce ordinis homines*] TR. Erf. Ern. *hos et huiuscemodi ordinis homines* P. *hosce homines ordinesque* e Codd. Beck. — *commemoro*] TRP. Erf. *commemorem* Ern. — *defendundam* T. — *hic stare* P. (non TR.) — *qui non quantum audet et quantum potest, conferat*] Sic etiam de Madvigii sententia constituendus videbatur locus. *qui non quantum audet et in quantum potest, conferat* T. *qui non in quantum a. et in q. potest, conferat* P. *qui non quantum a. et quantum potest, tantum conferat* R. *qui non tantum, quantum a. et q. potest, conferat* Ern. — om. *communem* T. In Erf. est superscriptum voc. hoc suspectum. Habet R.

---

eum ad finem, quem tradunt Scholiastae, convenirent, cum optime scirent magistratus omnes in senatu adesse. — Cum tamen vix credibile sit oratorem, in quo versamur, quique ipse scriba fuisse videtur, paucis post Ciceronis mortem annis adeo errare potuisse in re sibi notissima, eo inclinabat animus, ut ineptam hanc mentionem esse scribarum facile concederem, putarem tamen rhetorem meminisse moris, qui etiam tunc obtineret, ut iis diebus, quibus senatus haberetur, scribae consulares, praetorii, aedilicii, quaestorii ad aerarium sortem ducerent, a quibusnam perscribenda essent senatus consulta, qua in re esset aliquid emolumenti, ita ut iustum videretur, ut id omnibus quidem proponeretur, sorti autem, quibus obtingeret, permitteretur. Sed eam quoque interpretationem evertere videtur infelix istud vocabulum *casu*, (quis enim credat *casu* scribas universos sese congregasse?) adeo ut, quid sibi voluerit scriptor, exputari nequeat totusque locus aequiparandus sit illi, qui est in similis scriptoris oratione pro domo Ciceronis § 73. (Post ordinem equestrem) *scribae, qui nobiscum in actionibus monumentisque publicis versantur* cet. Praeterea apud verum Ciceronem nusquam reperitur v. *frequentare* pro congregare, cogere; reperitur apud personatum pro domo § 89. *quem tu tamen populum nisi tabernis clausis frequentare non poteras*, ubi cur Wolfius „dissimile genus loquendi" in hoc, quem tractamus, loco sibi agnovisse visus sit, non intelligo. Id quoque mirum, post scribas, libertini plerumque generis homines, ingenuos produci, tum rursus libertinos alios a scribis.

atis, lux denique haec ipsa et hoc commune patriae solum um sit carum, tum vero dulce atque iucundum?

VIII. Operae pretium est, Patres conscripti, libertinoum hominum studia cognoscere; qui sua virtute fortunam nius civitatis consecuti vere hanc suam patriam esse iudiant, quam quidam hic nati et summo nati loco non patriam uam, sed urbem hostium esse iudicaverunt. Sed quid ego iuiusce ordinis homines commemoro, quos privatae forunae, quos communis res publica, quos denique libertas, a, quae dulcissima est, ad salutem patriae defendendam xcitavit? Servus est nemo, qui modo tolerabili condicione sit servitutis, qui non audaciam civium perhorrescat; qui non haec stare cupiat; qui non quantum audet et quantum potest conferat ad communem salutem voluntatis. Quare si 17
quem vestrûm forte commovet hoc, quod auditum est lenonem quendam Lentuli concursare circum tabernas, pretio sperare sollicitari posse animos egentium atque imperitorum, est id quidem coeptum atque tentatum; sed nulli sunt inventi tam aut fortuna miseri aut voluntate perditi, qui non illum ipsum sellae atque operis et quaestus cotidiani locum, qui non cubile ac lectulum suum, qui denique non cursum hunc otiosum vitae suae salvum esse velint. Multo vero maxima pars eorum, qui in tabernis sunt, nisi vero (id enim potius est dicendum) genus hoc universum amantis-

---

§ 17. Om. *forte* R. — *sperari* R. — *temptatum* TR. — *illum ipsum*] TR. Erf. *ipsum illum* Ern. — *lectum* T. (non RP.) — *velint*] TRP. *vellent* Ern. coni. — *nisi vero*] TRP. *immo vero* Ern. — *dicendum est* P. — *omne instrumentum*] TR. Erf. *omne eorum instr.* Ern. (*omne enim eorum instr.* P.) — *atque* TR. Erf. *ac* Ern. — *sustentatur*] TRP. Erf. *sustinetur* Ern. — *futurum fuit*] TRP. Erf. *futurum est* Ern.

---

§ 17. *lenonem Lentuli*] Hoc quoque sine exemplo dictum, nam Iustini 2, 3, 8. *lenones* huc advocare nihil iuvat. Hoc volt: „hominem, quo utebatur Lentulus ad concilianda sibi scorta." Simile quid narrat Salustius c. 50. *dum haec* (die scilicet praecedente) *in senatu aguntur, liberti et pauci ex clientibus Lentuli divorsis itineribus opifices atque servitia in vicis ad eum eripiundum sollicitabant* cet. et Appianus B. C. 2, 5. *αὐτοῦ δὲ Λέντλου καὶ Κεθήγου θεράποντές τε καὶ ἐξελεύθεροι χειροτέχνας πολλοὺς προσλαβόντες κατ' ὀπισθίας ὁδοὺς περιῄεσαν ἐπὶ τὰς τῶν στρατηγῶν οἰκίας, ὡς τοὺς δεσπότας ἐξαρπασόμενοι. ὧν ὁ Κικέρων πυθόμενος, ἐξέδραμεν ἐκ τοῦ βουλευτηρίου καὶ διαθεὶς εἰς τὰ ἐπίκαιρα φύλακας ἐπανῆλθε καὶ τὴν γνώμην ἐπετάχυνε.*

simum est otii. Etenim omne instrumentum, omnis opera atque quaestus frequentia civium sustentatur, alitur otio: quorum si quaestus occlusis tabernis minui solet, quid tandem incensis futurum fuit?

18 IX. Quae cum ita sint, Patres conscripti, vobis populi Romani praesidia non desunt: vos ne populo Romano deesse videamini, providete. Habetis consulem ex plurimis periculis et insidiis atque ex media morte non ad vitam suam, sed ad salutem vestram reservatum; omnes ordines ad conservandam rem publicam mente, voluntate, studio, virtute, voce consentiunt; obsessa facibus et telis impiae coniurationis vobis supplex manus tendit patria communis; vobis se, vobis vitam omnium civium, vobis arcem et Capitolium, vobis aras Penatium, vobis ignem illum Vestae sempiternum, vobis omnia deorum templa atque delubra, vobis muros et urbis tecta commendat. Praeterea de vestra vita, de coniugum vestrarum atque liberorum anima, de fortunis omnium, de sedibus, de focis vestris hodierno die
19 vobis iudicandum est. Habetis ducem memorem vestri, oblitum sui, quae non semper facultas datur; habetis omnes ordines, omnes homines, universum populum Romanum, id quod in civili causa hodierno die primum videmus, unum atque idem sentientem. Cogitate, quantis laboribus fundatum imperium, quanta virtute stabilitam libertatem, quanta deorum benignitate auctas exaggeratasque fortunas una nox paene delerit. Id ne unquam posthac non modo confici, sed ne cogitari quidem possit a civibus, hodierno die providendum est. Atque haec, non ut vos, qui mihi studio

---

§ 18. *vos ne P. C. deesse* R. — Om. vv. *studio, virtute* T. Erf. Habet R. — *telis et facibus* P. (non TR.) — *ignem illum*] TR. *illum ignem* Ern. — *Vestae sempiternum*] TRP. Salisb. Erf. *Vestae perpetuum ac sempiternum* Ern. — *deorum templa*] TR. Erf. *templa deorum* Ern. — *muros et urbis tecta*] T. *urbis muros atque tecta* R. *muros atque urbis tecta* Ern. — *atque lib.*] T. Erf. *ac lib.* R. Ern. — *de fortunis omnibus* P. (non TR.) — *hodierna* TR. sed mox § 19. bis *hodierno die.* — *vindicandum est* P.

§ 19. Om. vv. *omnes ordines* T. — *causa primum hodie* P. — *auctas atque exaggeratasque* (sic) R. — *paene*] TRP. Erf. a pr. m. Ern. *quam paene* Colon. sec. In Erf. superscr. — (Habent *non modo confici* TRP., non: *non modo non confici* Erf. Steph.)

paene praecurritis, excitarem, locutus sum, sed ut mea vox,
quae debet esse in re publica princeps, officio functa con-
sulari videretur.

X. Nunc antequam, [Patres conscripti], ad sententiam 20
redeo, de me pauca dicam. Ego, quanta manus est coniu-
ratorum, quam videtis esse permagnam, tantam me inimi-
corum multitudinem suscepisse video, sed eam esse turpem
iudico, infirmam et abiectam. Quod si aliquando alicuius
furore et scelere concitata manus ista plus valuerit quam
vestra ac rei publicae dignitas, me tamen meorum factorum
atque consiliorum nunquam, Patres conscripti, poenitebit.
Etenim mors, quam mihi illi fortasse minitantur, omnibus
est parata: vitae tantam laudem, quanta vos me vestris
decretis honestastis, nemo est assecutus. Ceteris enim bene
gesta, mihi uni conservata re publica gratulationem decre-
vistis. Sit Scipio clarus ille, cuius consilio atque virtute 21
Hannibal in Africam redire atque Italia decedere coactus
est; ornetur alter eximia laude Africanus, qui duas urbes
huic imperio infestissimas Karthaginem Numantiamque de-
levit; habeatur vir egregius Paullus ille, cuius currum rex
potentissimus quondam et nobilissimus Perses honestavit:
sit aeterna gloria Marius, qui bis Italiam obsidione et metu
servitutis liberavit; anteponatur omnibus Pompeius, cuius
res gestae atque virtutes iisdem, quibus solis cursus, regio-

---

§ 20. Om. *patres conscr.* TRP. — *ad sententias* Ed. 1474. prob. Buherio. — *turpem iudico, infirmam et abiectam*] T. *turpem iudico et infirmam et abi.* RP. *iudico turpem et infirmam, contemptam et abiectam* Ern. — *factorum meorum consiliorumque* R. (non T.) — *mihi illi*] R. *illi mihi* Ern. Om. *mihi* T. Erf. Madvig. — *honestatis* TR. — *ceteris enim*] TR. Salisb. Erf. *ceteris enim semper* Ern. — *gesta - - conservata re p.*] TRP. Erf. *gestae - - conservatae rei p.* Ern.

§ 21. *atque Italia*] TR. *atque ex Italia* Ern. (*atque Italiam deserere* P.) — Voc. *alter* Codd. Oxonn. omnium auctoritate delendum existimat Madvig. Opusc. p. 194. Retinent TRP. — *ex nimia laude* R. (non T.) — (*infestissumas* T.) — *habetur* R. (non T.) — om. *vir* P. — *Paullus*] TR. Erf. *L. Paullus* Ern. — *sit aeterna*] TR. Erf. *sit in aeterna* Ern. — *terminis continetur* R. (*continetur isdem q. s. c. r. ac t. continetur* T.)

---

§ 21. *qui bis Italiam*] in quarto consulatu a. u. c. 652. Teutonis (sic Fasti Capitolini, non: *Teutonibus*) et Ambronibus apud Aquas Sextias, in quinto cos. 653. Cimbris in campis Raudiis deletis.

nibus ac terminis continentur: erit profecto inter horum laudes aliquid loci nostrae gloriae; nisi forte maius est patefacere nobis provincias, quo exire possimus, quam curare, ut etiam illi, qui absunt, habeant, quo victores revertantur.
22 Quamquam est uno loco condicio melior externae victoriae quam domesticae, quod hostes alienigenae aut oppressi serviunt aut recepti beneficio se obligatos putant: qui autem ex numero civium dementia aliqua depravati hostes patriae semel esse coeperunt, eos, cum a pernicie rei publicae reppuleris, nec vi coërcere nec beneficio placare possis; quare mihi cum perditis civibus aeternum bellum susceptum esse video. Id ego vestro bonorumque omnium auxilio memoriaque tantorum periculorum, quae non modo in hoc populo, qui servatus est, sed [etiam] in omnium gentium sermonibus ac mentibus semper haerebit, a me atque a meis facile propulsari posse confido. Neque ulla profecto tanta vis reperietur, quae coniunctionem vestram equitumque Romanorum et tantam conspirationem bonorum omnium confringere et labefactare possit.
23 XI. Quae cum ita sint, Patres conscripti, pro imperio, pro exercitu, pro provincia, quam neglexi, pro triumpho ceterisque laudis insignibus, quae sunt a me propter urbis vestraeque salutis custodiam repudiata, pro clientelis hospitiisque provincialibus, quae tamen urbanis opibus non mi-

---

§ 22. *est omni in loco* R. superscr. *uno.* Ut nos, TP. — *oppressi servitute aut* R. (non T.) — *depuleris* R. *repuleris vel removeris nec* T. — *susceptum aeternum bellum* R. — *Id ego*] TR. Salisb. Erf. Steph. *quod ego* Ern. — *sed et omnium* R. *sed omnium* T. Erf. *sed in omnium* Madvig. — *conductionem vestram* TR. Erf. — *confringere*] TR. Erf. Madvig. *perfringere* Ern.

§ 23. Om. vv. *Patres conscripti* R. — *pro exercitu, pro diligentia, pro provincia* T. (ex iis, quae infra leguntur: *ad conserv. remp. diligentia.*) — *pro meis*] T. Erf. Ern. *et pro* R. — *conspicitis*] TRP. Ern. *perspicitis* Lamb. *prospicitis* Erf. Ahrens. — *nihil a*] TR. Erf. *nihil aliud a* Ern. — *in vestris fixa mentibus*] TR. Erf. *vestris infixa mentibus* P. *vestris mentibus infixa* Ern. *in vestris infixa mentibus* Madvig. — *tutissimo*] TR. Erf. *firmissimo* Ern. *firmissimo tutissimoque* P. — *suo solius* R. a pr. manu. Erf. *suo solus* T. (R. a sec. m.) Ern. — *conservavit* R. (non T.) — *filium esse*] T. Erf. *esse filium* R. Ern.

---

§ 23. *pro provincia*] Plut. Cic. 12. *καὶ τοῦτον (Ἀντώνιον) πρῶτον θεραπεύων ὁ Κικέρων, ἐκείνῳ μὲν ἐψηφίσατο τῶν ἐπαρχιῶν Μακεδονίαν, αὐτῷ δὲ τὴν Γαλατίαν διδομένην παρῃτήσατο.*

nore labore tueor, quam comparo: pro his igitur omnibus rebus, pro meis in vos singularibus studiis, proque hac, quam conspicitis, ad conservandam rem publicam diligentia nihil a vobis nisi huius temporis totiusque mei consulatus memoriam postulo, quae dum erit in vestris fixa mentibus, tutissimo me muro saeptum esse arbitrabor. Quod si meam spem vis improborum fefellerit atque superaverit, commendo vobis parvum meum filium; cui profecto satis erit praesidii non solum ad salutem, verum etiam ad dignitatem, si eius, qui haec omnia suo solius periculo conservaverit, illum filium esse memineritis. Quapropter de summa salute vestra 24
populique Romani, Patres conscripti, de vestris coniugibus ac liberis, de aris ac focis, de fanis atque templis, de totius urbis tectis ac sedibus, de imperio ac libertate, de salute Italiae, de universa re publica decernite diligenter, ut instituistis, ac fortiter. Habetis eum consulem, qui et parere vestris decretis non dubitet et ea, quae statueritis, quoad vivet, defendere et per se ipsum praestare possit.

§ 24. Om. vv. *patres conscripti* TR. — *de aris*, *de focis* T. (non R.) — *atque templis*] T. *ac templis* R. Ern. — *ac libertate*] TR. Erf. *de lib.* Ern. — *de univ.*] TR. Erf. *deque univ.* Ern. — *Habetis eum*] T. Erf. *Habetis enim* R. *Habetis enim eum* Ern. — „Fortasse omittendum *possit*." MADVIG. Sic etiam Hotomanus. Habent Codd. noti.

M. TULLII CICERONIS
ORATIO
PRO
P. SULLA.

MONITUM.

Triplex adhuc familia Codicum huius orationis innotuit; prima, quam maxime sincera; cuius generis in primis est Erfurtensis, ex quo etiamtunc integro permultos locos et sanavit et supplevit Gruterus; qui si eum in omnibus rebus, manifestis mendis exceptis, secutus esset aut saltem accurate excerpsisset, praeclare de hac oratione actum esset: nam ex particula illa adhuc superstite (§ 81—93.) in Wunderi Varr. Lect. p. 93. haud pauca, quae novissimi quoque editores, Matthiae et Frotscherus, intacta reliquerunt, in melius conformare potui. Eiusdem porro generis erat Tegernseensis, cuius mentionem fecit Garatonius in Praefat. ad Plancianam p. XII. Ed. meae.

Secundae familiae unus adhuc ad criticorum notitiam pervenerat; eum dico, cuius excerpta dedit Henricus Stephanus in Castigatt. Cic. (Parisiis) 1557. p. 85. In his alia congruebant cum Erfurtensis lectionibus, alia magnam veritatis speciem prae se ferebant, complura tamen adeo erant et falsa et ridicula, ut suspecta etiam redderent ea, quae probabilia quidem videbantur, sed a nullo alio teste confirmabantur. Hinc factum est, ut in Edd. Opp. omn. toti huic rei diffidens eo usque progrederer, ut, quemadmodum in Fonteiana fecit Niebuhrius Fragm. Oratt. p. 38., de Henrici Stephani fide dubitarem nec alio quam Pseudocodicis Steph. nomine excerpta ab eo data insignirem.

Sed ecce ad me emptionis iure pervenit: *M. Tullii Ciceronis Orationum Pars II. Cum correctionibus Pauli Manutii. Aldus. Venetiis* 1554. 8., cuius margini Levjnus Torrentius, Archiepiscopus Brabantiae in ecclesia Leodiensi, illustris Horatii editor, varias lectiones ex Codd. Monasterii Parcensis ascripsit. Et in Sullana quidem duos consuluit; unum antiquiorem, ut opinor, certe meliorem satis diligenter excussit; alterum rarius commemoravit. (cfr. § 63 et 69.) In his autem lectionibus Stephanianas prope omnes inveni, adeo ut summi viri Manes a me propter nimiam diffidentiam aliquando laesi, iamiam sincera erroris confessione placandi sint. Diversus tamen fuit Parcensis Codex (P.) a Stephaniano.

Iam cum accuratius iudicium de tota hac familia ferre liceat, in ea permulta egregia nobis servata esse repperi, sed parem prope in eo inveniri numerum interpolationum, et eius quidem generis, ut attribui vix queant mediae quam dicunt aetati, sed profectae potius sint a grammatico aliquo Gallicano seculi post Christum natum quinti vel sexti; ab homine igitur, qui, uti alius eiusdem ingenii in Oratore, animi causa suas ineptias Tullio obtrusit, fato tamen quodam coactus, ut, quia casu nactus erat praestantissimum exemplum, multa longe integriora nobis servaret, quam non dicam volgares libri, sed etiam Erfurtensis, quatenus scilicet hic nobis innotuit.

Restat tertium genus Codicum deteriorum, quibus annumerandi sunt Oxonienses omnes, Bernensis N. 254. Sec. XV. collatus mihi ab Usterio atque, idem fortasse cum eo, cuius excerpta dedit Carolus Stephanus, certe eius simillimus, Genevensis, cuius lectiones V. C. L. Vaucher, professor Genevensis, mecum communicavit. Ex huiusmodi Codd. omnis generis erroribus, omissionibus, transpositionibus refertis prodiit lectio volgata Editionum ante Gruterum et Graevium, qui nonnulla e melioribus libris correxerunt.

ARGUMENTUM.

P. Sulla, L. Sullae dictatoris propinquus ex SCto de conquirendis coniuratis facto, a L. Torquato de coniuratione accusatus est D. Iunio Silano et L. Murena coss. (692. U. c.) Quoniam autem bis coniuratum fuerat, Hortensius et Cicero ita inter se defensionem partiti sunt, ut ille a prima, hic ab altera coniuratione P. Sullam abfuisse ostenderet. Primo igitur Cicero ab accusatore ipse inconstantiae, levitatis et nimiae in iudiciis potentiae invidiose insimulatus se purgat: deinde Sullam sic defendit, ut refellat singula, quae L. Torquatus confirmandi criminis causa dixerat: postremo nihil sibi de P. Sullae cum coniuratis societate compertum esse sanctissime affirmat.

---

1 I. Maxime vellem, iudices, ut P. Sulla et antea dignitatis suae splendorem obtinere et post calamitatem acceptam modestiae fructum aliquem potuisset percipere. Sed quoniam ita tulit casus infestus, ut amplissimo [in] honore cum communi ambitionis invidia, tum singulari Autronii odio everteretur, et in his pristinae fortunae reliquiis miseris et afflictis tamen haberet quosdam, quorum animos ne supplicio quidem suo satiare posset; quamquam ex huius incommodis magnam animo molestiam capio, ta-

---

§ 1. *Amplissimo* [in] *honore*] *in* del. cum Ernestio. Servant quidem omnes Codd. noti. — *satiare*] *exsatiare* P. quod Tullianum non est. Habet is bis terve *exsaturare*. — Om. *in veteris malis* P. fortasse quia sufficere ei videbatur *magnam animo molestiam capio*. — *tempus*] *tempus esse* P. — *improbi*] *improbi vero* P. — *redomiti*] i. e. „ita domiti, ut omnes eorum conatus repressi sint;“ potius quam „iterum domiti.“ *Ἅπαξ λεγόμενον* sustulit P. audacter scribens: *confusi atque victi*. — *mitem ac misericordem*] *misericordem ac mitem* P.

---

§ 1. *Autronii*] P. Autronii Paeti, senatoris, qui inter principes coniurationis cum fuisset, postea lege Lutatia de vi damnatus atque in exilium missus est.

men in ceteris malis facile patior oblatum mihi tempus, in quo boni viri lenitatem meam misericordiamque, notam omnibus quondam, nunc quasi intermissam agnoscerent, improbi ac perditi cives, redomiti atque victi, praecipitante re publica, vehementem me fuisse atque fortem, conservata, mitem ac misericordem faterentur. Et quoniam L. Torqua- 2
tus, meus familiaris ac necessarius, iudices, existimavit, si nostram in accusatione sua necessitatem familiaritatemque violasset, aliquid se de auctoritate meae defensionis posse detrahere, cum huius periculi propulsatione coniungam defensionem officii mei. Quo quidem genere non uterer orationis, iudices, hoc tempore, si mea solum interesset: multis enim mihi locis et data facultas est et saepe dabitur de mea laude dicendi; sed ut ille, † iudices, quantum de mea auctoritate deripuisset, tantum se de huius praesidiis deminuturum *putavit*, sic hoc ego sentio, si mei facti rationem vobis constantiamque huius officii ac defensionis probavero, causam quoque me P. Sullae probaturum.

II. Ac primum abs te illud, L. Torquate, quaero, cur 3
me a ceteris clarissimis viris ac principibus civitatis in hoc officio atque in defensionis iure secernas: quid enim est, quamobrem abs te Q. Hortensii factum, clarissimi viri atque ornatissimi civis, non reprehendatur, reprehendatur meum? Nam si initum est consilium a P. Sulla inflammandae civi-

---

§ 2. *necessitatem familiaritatemque*] Cum offenderet in v. *necessitas* pro *necessitudine* posito, correxit P.: *consuetudinem ac familiaritatem*. — *non uterer orationis*] *orationis non uterer* P. — *facultas est*] *est fac.* P. — *putavit*] Ex supplemento hoc v. esse manifestum est ex eo, quod alii prorsus omittunt (ut Genev.), alii habent *putat*, *existimavit*, *speravit* (sic P.) Cum tamen e verbo *sentio* minus commode cogitatione suppleatur *sensit*, ut voluit Gar., ego vitium potius quaero in v. *iudices* post v. *ille*, corruptum ex *iudicavit*. Statim enim praecedit idem v. *iudices*.

§ 3. *clarissimi* cet.] *clarissimi atque ornatissimi viri* P. Tullii consuetudine haud agnita. — *civitatis huius*, *extinguendi imp.*] Concinnius sic distinxit Torrentius, quam volgo: *civitatis*, *huius ext.* — *qui defendendus*, *qui deserendus*] *qui defendendus sum*, *quam qui deserendus* P. „Sed non placet.“ Torrentius. Interpolator scil. totam Tullii sententiam parum intellexit.

---

§ 2. *familiaritatemque violasset*] scil. mihi obtrectando, dum Sullam accusat id potissimum afferens, indignam prorsus esse rem coniuratum aliquem defendi ab illo ipso, qui coniurationem patefecerit. cfr. § 35.

tatis huius, exstinguendi imperii, delendae urbis, mihi maiorem hae res dolorem quam Q. Hortensio, mihi maius odium afferre debent, meum denique gravius esse iudicium, qui adiuvandus in his causis, qui oppugnandus, qui defendendus, qui deserendus esse videatur? Ita, inquit: tu enim investi-
4 gasti, tu patefecisti coniurationem. Quod cum dicit, non attendit, eum, qui patefecerit, hoc curasse, ut id omnes viderent, quod antea fuisset occultum. Quare ista coniuratio, si patefacta per me est, tam patet Hortensio quam mihi. Quem cum videas honore hoc, auctoritate, virtute, consilio praeditum non dubitasse quin innocentem P. Sullam defenderet, quaero, cur qui aditus ad causam Hortensio patuerit, mihi interclusus esse debuerit. Quaero illud etiam, si me, qui defendo, reprehendendum putas esse, quid tandem de his existimes summis viris et clarissimis civibus, quorum studio et dignitate celebrari hoc iudicium, ornari causam, defendi huius innocentiam vides: non enim una est ratio defensionis ea, quae posita est in oratione; omnes, qui adsunt, qui laborant, qui salvum volunt, pro sua parte
5 atque auctoritate defendunt. An vero in quibus subselliis haec ornamenta ac lumina rei publicae viderem, in his me apparere nollem, quorum ego illum in locum atque in hanc celsissimam sedem dignitatis atque honoris multis meis ac magnis laboribus et periculis adscendissem? Atque ut intelligas, Torquate, quem accuses, si te id offendit, quod ego, qui hoc genere quaestionis defenderim neminem, non desim P. Sullae, recordare de ceteris, quos adesse huic vides: intelliges et de hoc et de ceteris iudicium meum et horum

---

§ 4. *per me est*] *est per me* P. — *de his existimes*] Cum P. Manut. Repett. Lamb. habeant *existimes de his*, illum vv. ordinem, qui tamen est etiam in Iuntina, a Grutero tacite e Codd. repositum esse arbitror.

§ 5. *quorum ego illum*] Sic Bern. Genev. Cfr. Editionem meam mai. Est: „in quorum locum illum insignem ac praeclarum. — *quorum ego opera illum* P. Volgo. Alii *ope*, *opere*, *auxilio*. In quibus duplex est incommodum. Deberet enim esse *quorum ego opera hunc* cet.; tum qua erat sui meriti conscientia praeditus, Cicero nunquam dixisset, se consularium illorum opera ad consulatum pervenisse; quid, quod statim sequitur, qua re consul factus sit? scil. multis suis ac magnis laboribus et periculis.

par atque unum fuisse. Quis nostrum adfuit Varginteio? 6
Nemo, ne hic quidem Q. Hortensius, praesertim qui illum solus antea de ambitu defendisset: non enim iam se ullo officio cum illo coniunctum arbitrabatur, cum ille tanto scelere commisso omnium officiorum societatem diremisset. Quis nostrum Ser. Sullam, quis P., quis M. Laecam, quis C. Cornelium defendendum putavit? quis his horum adfuit? Nemo. Quid ita? quia ceteris in causis etiam nocentes viri boni, si necessarii sunt, non defendendos esse non putant; in hoc crimine non solum levitatis est culpa, verum etiam quaedam contagio sceleris, si defendas eum, quem obstrictum esse patriae parricidio suspicere. Quid, Autronio nonne 7
sodales, non collegae sui, non veteres amici, quorum ille copia quondam abundarat, non hi omnes qui sunt in re publica principes, defuerunt? Immo etiam testimonio plerique laeserunt. Statuerant tantum illud esse maleficium, quod non modo non occultari per se, sed etiam aperiri illustrarique deberet.

III. Quamobrem quid est, quod mirere, si cum iisdem me in hac causa vides adesse, cum quibus in ceteris intelligis afuisse? nisi vero me unum vis ferum praeter ceteros, me asperum, me inhumanum existimari, me singulari immanitate et crudelitate praeditum. Hanc mihi tu si propter 8

§ 6. *Vargunteio*] *L. Vargunteio* Sylvius. Lamb. in Marg. Repett. — *Q. Hortensius*] *Hortensius* P. — *quis P.*] Sic Bern. Genev. *quis P. Lentulum* ineptum glossema habet P. — *C. Cornelium*] Genev. *Cornelium* P. Bern, — *non defendendos esse non putant*] *defendendos esse putant* P. „Non placet.“ Torr. — Habuit *parricidio* P. omissum a Bern. Genev.

§ 7. *nonne sodales*] *non sodales* P., ut Lamb. — *plerique*] *plurimique* P.

§ 8. *istam ipsam*] *istam* P. — *misericordiam lenitatemque*] *lenitatem et misericordiam* P. *lenitatem misericordiamque* Genev.

§ 6. *L. Vargunteius* senator ex coniuratione fuit. Is est, qui cum C. Cornelio Ciceronem domi occidere susceperat. Sal. Cat. c. 17 et 28. — *Ser. Sullam, quis P.*] Si sana est lectio, utique cum Garatonio statuendum est, Publium Sullam, Servii filium (Sal. Cat. 18. *P. et Servius Sullae, Servii filii*), participem secundae coniurationis, diversum fuisse a Publio Sulla, quem hac oratione defendit Tullius, quique teste Salustio c. 18. inter prioris coniurationis socios fuit. Ii, quos hic nominat orator, dictatorem Sullam patruum habuisse videntur, is qui defenditur, tantum propinquus dictatoris dicitur de Offic. 2, 8, 29. M. Porcius Laeca senator, Cornelius eques Ro.

res meas gestas imponis in omni vita mea personam, Torquate, vehementer erras: me natura misericordem, patria severum; crudelem nec patria nec natura esse voluit. Denique istam ipsam personam vehementem et acrem, quam mihi tum tempus et res publica imposuit, iam voluntas et natura ipsa detraxit: illa enim ad breve tempus severitatem postulavit, haec in omni vita misericordiam lenitatemque
9 desiderat. Quare nihil est, quod ex tanto comitatu virorum amplissimorum me unum abstrahas; simplex officium atque una est bonorum omnium causa; nihil erit, quod admirere posthac, si in ea parte, in qua hos animadverteris, me videbis: nulla est enim in re publica causa mea propria; tempus agendi fuit magis mihi proprium quam ceteris, doloris vero et timoris et periculi fuit illa causa communis: neque enim princeps tunc ad salutem esse potuissem, si esse alii comites noluissent. Quare necesse est, quod mihi consuli praecipuum fuit praeter alios, id iam privato cum ceteris
10 esse commune. Neque ego hoc partiendae invidiae, sed communicandae laudis causa loquor; oneris mei partem nemini impertio, gloriae bonis omnibus. In Autronium testimonium dixisti, inquit; Sullam defendis. Hoc totum eiusmodi est, iudices, ut, si ego sim inconstans ac levis, nec testimonio fidem tribui convenerit nec defensioni auctoritatem. Sin est in me ratio rei publicae, religio privati officii, studium retinendae voluntatis bonorum, nihil minus accusator debet dicere quam a me defendi Sullam, testimonio laesum esse Autronium: videor enim iam non solum studium ad defendendas causas, verum etiam opinionis aliquid et auctoritatis afferre; qua et moderate ego utar, iudices, et omnino non uterer, si ille me non coëgisset.
11 IV. Duae coniurationes abs te, Torquate, constituun-

§ 9. *bonorum omnium*] *omnium bon.* P. — *animadverteris*] *animadvertes* P. — *fuit magis mihi*] *mihi fuit magis* P.

§ 10. *iam non solum*] Cod. Ambros. prob. Nieb. A P. et volgo abest *iam*. (Cod. Ambros. non habet *ad defendendum* sed *ad defendendam*, ex mero errore.) — *verum etiam*] Ambros. *verum* P. Volgo.

§ 11. *Lepido et Volcatio*] *Lepido et Tullo* P. — *illorum expertem temporum*] *expertem temporum illorum* P.

§ 11. *credo quod nondum*] Haec ironice dicta videntur Wolfio, utpote quibus

tur: una, quae Lepido et Volcatio consulibus, patre tuo consule designato, facta esse dicitur, altera, quae me consule; harum in utraque Sullam dicis fuisse. Patris tui, fortissimi viri atque optimi consulis, scis me consiliis non interfuisse; scis, me, cum mihi summus tecum usus esset, tamen illorum expertem temporum et sermonum fuisse; credo, quod nondum penitus in re publica versabar, quod nondum ad propositum mihi finem honoris perveneram, quod mea me ambitio et forensis labor ab omni illa cogitatione abstrahebat. Quis ergo intererat vestris consiliis? 12
Omnes hi, quos vides huic adesse, et in primis Q. Hortensius; qui cum propter honorem ac dignitatem atque animum eximium in rem publicam, tum propter summam familiaritatem summumque amorem in patrem tuum cum communibus, tum praecipuis patris tui periculis commovebatur. Ergo istius coniurationis crimen defensum ab eo est, qui interfuit, qui cognovit, qui particeps et consilii vestri fuit et timoris; cuius in hoc crimine propulsando cum esset copiosissima atque ornatissima oratio, tamen non minus inerat auctoritatis in ea quam facultatis. Illius igitur coniurationis, quae facta contra vos, delata ad vos, a vobis prolata esse dicitur, ego testis esse non potui: non modo enim nihil comperi, sed vix ad aures meas istius suspicionis fama pervenit. Qui vobis in consilio fuerunt, 13
qui vobiscum illa cognorunt, quibus ipsis periculum tum conflari putabatur, qui Autronio non adfuerunt, qui in illum testimonia gravia dixerunt, hunc defendunt, huic adsunt, in huius periculo declarant se non crimine coniurationis, ne adessent ceteris, sed hominum maleficio deterritos esse. Mei consulatus autem tempus et crimen † maximae coniurationis a me defendetur. Atque inter nos partitio non est fortuito, iudices, nec temere facta, sed cum videremus eorum criminum nos patronos adhiberi, quorum testes esse

---

§ 13. *vobis in*] *vobiscum in* Manut. tacente Torrentio. — *maximae*] Etiamnunc emendandum reor *proximae*. Sic pro Rab. c. 2. pro *proxime* Cod. Franc. habet *maxime*. — *atque inter nos partitio non*] *atque haec inter nos partitio defensionis non* P.

---

contineatur lenis Torquati patris cos. a. u. c. 689. Varr. reprehensio, quod Ciceronem, virum praetorium, interesse suis consiliis tum noluerit. FROTSCHER.

possemus, uterque nostrum id sibi suscipiendum putavit, de
14 quo aliquid scire ipse atque existimare potuisset. Et quoniam de criminibus superioris coniurationis Hortensium diligenter audistis, de hac coniuratione, quae me consule facta est, hoc primum attendite.

V. Multa, cum essem consul, de summis rei publicae periculis audivi, multa quaesivi, multa cognovi; nullus unquam de Sulla nuntius ad me, nullum indicium, nullae litterae pervenerunt, nulla suspicio. Multum haec vox fortasse deberet valere eius hominis, qui consul insidias rei publicae consilio investigasset, veritate aperuisset, magnitudine animi vindicasset, cum ipse nihil audisse de P. Sulla, nihil suspicatum esse diceret. Sed ego nondum utor hac voce ad hunc defendendum; ad purgandum me potius utor, ut mirari Torquatus desinat, me, qui Autronio afuerim,
15 Sullam defendere. Quae enim Autronii fuit causa? quae Sullae est? Ille ambitus iudicium tollere ac disturbare primum conflato voluit gladiatorum ac fugitivorum tumultu, deinde, id quod vidimus omnes, lapidatione atque concursu; Sulla, si sibi suus pudor ac dignitas non prodesset, nullum auxilium requisivit. Ille damnatus ita se gerebat non solum consiliis et sermonibus, verum etiam adspectu atque voltu, ut inimicus esse amplissimis ordinibus, infestus bonis omnibus, hostis patriae videretur; hic se ita fractum illa calamitate atque afflictum putavit, ut nihil sibi ex pristina dignitate superesse arbitraretur nisi quod modestia retinuisset.
16 Hac vero in coniuratione quid tam coniunctum quam ille cum Catilina, cum Lentulo? quae tanta societas ullis inter se rerum optimarum, quanta ei cum illis sceleris, libidinis, audaciae? quod flagitium Lentulus non cum Autronio concepit? quod sine eodem illo Catilina facinus admisit? cum interim Sulla cum eisdem illis non modo noctem solitudinemque non quaereret, sed ne mediocri quidem sermone et
17 congressu coniungeretur. Illum Allobroges, maximarum

---

§ 14. *fortasse deberet valere*] *valere fortasse deberet* P. — *Autronio afuerim*] *Autronio non adfuerim* P.

§ 16. *ullis inter se*] *ullis* P.

§ 17. *falces, signa, ligones*] Sic Genev. *falces, signa, legiones* P. Bern. cete-

rerum verissimi indices, illum multorum litterae ac nuntii coarguerunt; Sullam interea nemo insimulavit, nemo nominavit. Postremo, eiecto sive emisso iam ex urbe Catilina, ille arma misit, cornua, tubas, falces, signa, ligones; ille relictus intus, exspectatus foris, Lentuli poena compressus, convertit se aliquando ad timorem, nunquam ad sanitatem; hic contra ita quievit, ut eo tempore omni Neapoli fuerit, ubi neque homines fuisse putantur huius affines suspicionis, et locus est ipse non tam ad inflammandos calamitosorum animos quam ad consolandos accommodatus.

VI. Propter hanc igitur tantam dissimilitudinem hominum atque causarum dissimilem me in utroque praebui.
18 Veniebat enim ad me, et saepe veniebat, Autronius, multis cum lacrimis supplex, ut se defenderem, et se meum condiscipulum in pueritia, familiarem in adolescentia, collegam in quaestura commemorabat fuisse; multa mea in se, nonnulla etiam sua in me proferebat officia. Quibus ego rebus, iudices, ita flectebar animo atque frangebar, ut etiam ex memoria quas mihi ipsi fecerat insidias deponerem, ut iam immissum esse ab eo C. Cornelium, qui me in sedibus meis, in conspectu uxoris meae ac liberorum meorum trucidaret, obliviscerer.
19 Quae si de uno me cogitasset, qua mollitia sum animi ac lenitate, nunquam mehercule illius lacrimis ac precibus restitissem; sed cum mihi patriae, cum vestrorum periculorum, cum huius urbis, cum illorum delubrorum atque templorum, cum puerorum infantium, cum matronarum ac virginum veniebat in mentem, et cum illae infestae ac funestae faces universumque totius urbis incen-

---

rique Codd. noti. *Ligones* scil. ad munienda castra. Quod facillimum erat, recentiores nonnulli deleverunt corruptum voc. *legiones*. Mire *signa* inter *falces* et *ligones*. Fuitne *tigna* ad machinas conficiendas? — *ita quievit*] *quievit* P.

§ 18. *mihi ipsi*] *ipse mihi* Manut. tacente Torrentio. F. *ipsi mihi*. — *sedibus*] Sic omnes etiam mei. *aedibus* Lamb.

§ 19. *universumque*] *immensumque* P.

---

§ 19. *Marcellis*] Probe hi Marcelli coniurati distinguendi a M. et C. Marcellis, clarissimis illius aetatis viris, coss. Marco a. u. c. 703., Caio 704., Hi, de quibus loquitur pater Marci praenomen habuit Catil. 1, § 19., ubi vide; filius Caii. pro Sestio § 9. — M. Valerius Messala cos. a. u. c. 693.

dium, cum tela, cum caedes, cum civium cruor, cum cinis patriae versari ante oculos atque animum memoria refricare coeperat, tum denique ei resistebam, neque solum illi hosti ac parricidae, sed his etiam propinquis illius, Marcellis, patri et filio, quorum alter apud me parentis gravitatem, alter filii suavitatem obtinebat: neque me arbitrabar sine summo scelere posse, quod maleficium in aliis vindicassem,
20 idem in illorum socio, cum scirem, defendere. Atque idem ego neque P. Sullam supplicem ferre neque eosdem Marcellos pro huius periculis lacrimantes adspicere neque huius M. Messallae, hominis necessarii, preces sustinere potui: neque enim est causa adversata naturae, nec homo nec res misericordiae meae repugnavit; nusquam nomen, nusquam vestigium fuerat, nullum crimen, nullum indicium, nulla suspicio. Suscepi causam, Torquate, suscepi, et feci libenter, ut me, quem boni constantem semper, ut spero, existimassent, eundem ne improbi quidem crudelem dicerent.
21 VII. Hic ait se ille, iudices, regnum meum ferre non posse. Quod tandem, Torquate, regnum? Consulatus, credo, mei; in quo ego imperavi nihil, sed contra patribus conscriptis et bonis omnibus parui: quo in magistratu non institutum est a me, iudices, regnum, sed repressum. An tu in tanto imperio tantaque potestate non dices me fuisse regem, nunc privatum regnare dicis? quo tandem nomine? Quod in quos testimonia dixisti, inquit, damnati sunt; quem defendis, sperat se absolutum iri. Hic tibi ego de testimoniis meis hoc respondeo: si falsum dixerim, te in eosdem dixisse; sin verum, non esse hoc regnare, cum verum

---

§ 20. *Marcellos pro huius periculis lacrimantes aspicere neque*] *Marcellos pro huius salute orantes neque* P. pro Bern. Genev. et Edd. ante Grut. (qui locum suppletum dedit ex Erf. et Palat. nono.): *Marcellos neque.* Suspicor in ἀρχετύπῳ Codicis P. defectum punctis fuisse indicatum, quem interpolator non plane infeliciter supplerit. — *huius M. Messallae*] *M. Messallae* P. — *nulla suspicio*] Om. haec P. Bern. Genev. Ambros.

§ 21. *sed repressum*] *sed non permissum* Manut. tacente Torrentio. — *An tu*] Ambros. P. Genev. *An tum* Ern. — *tantaque*] Ambros. *tanta* Cett. Codd. Ern. — *dices me fuisse*] Ambros. *dicis me fuisse* P. Ceteri Codd. praeter Ambr. om. *me.* — *absolutum iri*] *absolutum* P. Saepe vidi interpolatt. et librarios non concoxisse hoc fut. pass. — *eosdem*] Ambros. *hos* P. (Volgo *eos.*) — *iuratus*] *iuratos* Manut. tac. Torr.

iuratus dicas, probare. De huius spe tantum dico, nullas 22
a me opes P. Sullam, nullam potentiam, nihil denique praeter fidem defensionis exspectare. Nisi tu, inquit, causam recepisses, nunquam mihi restitisset, sed indicta causa profugisset. Si iam hoc tibi concedam, Q. Hortensium, tanta gravitate hominem, si hos tales viros non suo stare iudicio, sed meo; si hoc tibi dem, quod credi non potest, nisi ego huic adessem, hos adfuturos non fuisse: uter tandem rex est, isne, cui innocentes homines non resistunt, an is, qui calamitosos non deserit? At hic etiam, id quod tibi necesse minime fuit, facetus esse voluisti, cum Tarquinium et Numam et me tertium peregrinum regem esse dixisti.

VIII. Mitto iam de rege quaerere; illud quaero, peregrinum cur me esse dixeris: nam si ita sum, non tam est admirandum regem esse me, quoniam, ut tu vis, etiam peregrini reges Romae fuerunt, quam consulem Romae fuisse peregrinum. Hoc dico, inquit, te esse ex municipio. Fa- 23
teor, et addo etiam, ex eo municipio, unde iterum iam salus huic urbi imperioque missa est. Sed scire ex te pervelim, quamobrem qui ex municipiis veniant, peregrini tibi esse videantur: nemo enim istuc M. illi Catoni seni, cum plurimos haberet inimicos, nemo Ti. Coruncanio, nemo M'. Curio, nemo huic ipsi nostro C. Mario, cum ei multi inviderent, obiecit unquam. Equidem vehementer laetor eum esse me, in quem tu, cum cuperes, nullam contume-

---

§ 22. *recepisset*] *suscepisset* P. — *nunquam mihi r.*] *nunquam hic r.* P. — *gravitate hominem*] *gravitate* P. — *quoniam*] Parc. *quia* Ceteri Codd. Volgo.

§ 23. *nemo Ti. Coruncanio, nemo M'. Curio*] Ambros. *nemo T.* (sic) *Coruncanio, nemo Curioni* P. — *partem civium*] *civium partem* P. — *conveniret*] *pertineret* P., ut Oxon. H., in quo fortuito idem glossema verum verbum extrusisse videtur. Nullam enim aliam cognationem deprehendi inter Parc. et H.

---

§ 23. A C. Mario Arpinate primum devictis Teutonis et Cimbris, deinde ab ipso Cicerone. — M. Cato priscus s. censorius, ortu Tusculanus fuit et Ti. Coruncanius, consul a. u. c. 474., primus e plebe pontifex maximus factus, iuris scientia et prudentia civili clarus ex Camerio ortus est. (cfr. in primis Wunderum ad Plancianam p. 87.) M'. Curius Dentatus unde ortus sit, ignoratur. Scholiasta: „Sabinis oriundus videtur.“ Sed errorem manifestum esse, cum constet hanc gentem demum post Curii victoriam in civitatem esse receptam, notat Niebuhrius.

liam iacere potueris, quae non ad maximam partem civium conveniret. Sed tamen te a me pro magnis causis nostrae necessitudinis monendum esse etiam atque etiam puto. Non possunt omnes esse patricii; si verum quaeris, ne curant quidem, nec se aequales tui propter istam causam abs te
24 anteiri putant. Ac si tibi nos peregrini videmur, quorum iam et nomen et honos inveteravit et huic urbi et hominum famae ac sermonibus, quam tibi illos competitores tuos peregrinos videri necesse erit, qui iam ex tota Italia delecti tecum de honore et de omni dignitate contendunt! quorum cave tu quemquam peregrinum appelles, ne peregrinorum suffragiis obruare. Qui si attulerint nervos et industriam, mihi crede, excutient tibi istam verborum iactationem et te ex somno saepe excitabunt, nec patientur se
25 abs te, nisi virtute vincentur, honore superari. Ac si, iudices, ceteris patriciis me et vos peregrinos videri oporteret, a Torquato tamen hoc vitium sileretur: est enim ipse a materno genere municipalis, honestissimi ac nobilissimi generis, sed tamen Asculani. Aut igitur doceat, Picentes solos non esse peregrinos, aut gaudeat suo generi me meum ante non ponere. Quare neque me peregrinum posthac dixeris, ne gravius refutere, neque regem, ne derideare; nisi forte regium tibi videtur ita vivere, ut non modo homini nemini, sed ne cupiditati quidem ulli servias; contemnere omnes libidines, non auri, non argenti, non ceterarum rerum indigere, in senatu sentire libere, populi utilitati magis consulere quam voluntati, nemini cedere, multis obsistere. Si hoc putas esse regium, me regem esse confiteor; sin te potentia mea, si dominatio, si denique aliquod dictum arrogans aut superbum movet, quin tu id potius profers quam verbi invidiam contumeliamque maledicti.

---

§ 25. *ac si, iudices*] Sic P. Ascens. 1531. Manut. 1554. Reliquae meae ante Lamb. *at si, i.* — *ante non ponere*] Sic etiam Parc. *non anteponere* Manut. — *regium*] *regnum* P., ut Oxon. C. et Genev. in marg. — *regem confiteor*] *confiteor regem* P.

---

§ 25. *Asculani*] Asculum civitas est in Piceno, unde etiam principia belli socialis exarserunt. Schol.

IX. Ego, tantis a me beneficiis in re publica positis, 26
si nullum aliud mihi praemium ab senatu populoque Romano nisi honestum otium postularem, quis non concederet? Sibi haberent honores, sibi imperia, sibi provincias, sibi triumphos, sibi alia praeclarae laudis insignia; mihi liceret eius urbis, quam conservassem, conspectu tranquillo animo et quieto frui. Quid? si hoc non postulo; si ille labor meus pristinus, si sollicitudo, si officia, si operae, si vigiliae deserviunt amicis, praesto sunt omnibus; si neque amici in foro requirunt studium meum neque res publica in curia; si me non modo rerum gestarum vacatio, sed neque honoris neque aetatis excusatio vindicat a labore; si voluntas mea, si industria, si domus, si animus, si aures patent omnibus; si mihi ne ad ea quidem, quae pro salute omnium gessi, recordanda et cogitanda quidquam relinquitur temporis: tamen hoc regnum appellabitur, cuius vicarius qui velit esse,
inveniri nemo potest? Longe abest [a me] regni suspicio. Si 27
quaeris, qui sint Romae regnum occupare conati, ut ne replices annalium memoriam, ex domesticis imaginibus invenies. Res enim gestae, credo, meae me nimis extulerunt ac mihi nescio quos spiritus attulerunt. Quibus de rebus

---

§ 26. *sibi haberent*] *sibi haberent alii* P., ut Lamb. in marg. Repetitt. In Cod. Henr. Stephani et Lamb. 1566. *alii haberent.* — *non modo*] *non modo non* Bern. Genev., non P. — *relinquitur*] *relinquam* P. — *abest a me regni*] *abest regni* P. Bern. Genev. Utraque ratio habet nescio quid nimis abrupti. Concinnius mihi videtur: *appellabitur? cuius vicarius qui velit esse, si inveniri nemo potest, longe abest regni suspicio.*

§ 27. *si quaeris*] *et si q.* P., ut Cod. Henr. Stephani. probavitque Garat. Verum est oppositio inter eos, qui reapse fuerint reges, de quibus antea, et inter eos, qui (frustra) regnum occupare conati sint. — *redundarit*] *redundabit* Manut. tac. Torr.

---

§ 26. *quis non concederet*] Similiter C. Gracchus De legibus promulgatis: *Si vellem*, inquit, *apud vos verba facere et a vobis postulare, cum genere summo ortus essem et cum fratrem propter vos amisissem nec quisquam de P. Africani et Ti. Gracchi familia nisi ego et puer restaremus, ut pateremini hoc tempore me quiescere, ne a stirpe genus nostrum interiret et uti aliqua propago generis nostri reliqua esset, haud scio, an lubentibus a vobis impetrassem.*

§ 27. *ex domesticis* cet.] M. Manlium significat, qui deiectis ex Capitolio Gallis, postea cum in suspicionem regni affectati venisset, de rupe Tarpeia deiectus est a. u. c. 371. Manut.

tam claris, tam immortalibus, iudices, hoc possum dicere, me, qui e summis eripuerim periculis urbem hanc et vitam omnium civium, satis adeptum fore, si ex hoc tanto in omnes mortales beneficio nullum in me periculum redundarit.
28 Etenim in qua civitate res tantas gesserim, memini, et in qua urbe verser, intelligo: plenum forum est eorum hominum, quos ego a vestris cervicibus depuli, iudices, a meis non removi; nisi vero paucos fuisse arbitramini, qui conari aut sperare possent se tantum imperium posse delere. Horum ego faces eripere de manibus et gladios extorquere potui, sicut feci, voluntates consceleratas ac nefarias nec sanare potui nec tollere. Quare non sum nescius, quanto periculo vivam in tanta multitudine improborum, cum mihi uni cum omnibus improbis aeternum videam bellum esse susceptum.

29 X. Quod si illis meis praesidiis forte invides, et si ea tibi regia videntur, quod omnes boni omnium generum atque ordinum suam salutem cum mea coniungunt, consolare te, quod omnium mentes improborum mihi uni maxime sunt infensae et adversae; qui me non solum idcirco oderunt, quod eorum conatus impios et furorem consceleratum repressi, sed eo etiam magis, quod nihil iam se simile me
30 vivo conari posse arbitrantur. At vero quid ego miror, si quid ab improbis de me improbe dicitur, cum L. Torquatus primum ipse his fundamentis adolescentiae iactis, ea spe proposita amplissimae dignitatis, deinde L. Torquati, fortissimi consulis, constantissimi senatoris, semper optimi civis, filius, interdum efferatur immoderatione verborum? Qui cum suppressa voce de scelere P. Lentuli, de audacia coniuratorum omnium dixisset, tantummodo ut vos, qui ea probatis, exaudire possetis, de supplicio [P.] Lentuli, de carcere,

---

§ 28. *res tantas*] *rem tantam* Ambros. — *et in qua urbe verser*] Sic etiam Ambros. *et qua urbe versor* P. A libris volgaribus (Barber. Bern. Gen. Oxonn. septem cet.) abest v. *verser.* — *nisi vero*] *nisi forte* P. — *voluntates*] Parc. *voluntates vero* Ceteri Codd. noti. Sed iure offendimus in *vero* vel propter praecedens *nisi vero*, cui Parc. interpolator substituit planius illud *nisi forte*, quo etiam Frotscherus explicat *nisi vero.*

§ 29. *quod si illis meis praesidiis forte invides*] *quod si me illis praesidiis fortem vides* P. Haesit fortasse in v. *forte* sic separato a v. *si.* — *et adversae*] *atque adv.* P.

§ 30. *de supplicio* [*P.*] *Lentuli*] *de supplicio Lentuli* P.

magna et queribunda voce dicebat. In quo primum illud 31
erat absurdum, quod cum ea, quae leviter dixerat, vobis probare volebat, eos autem, qui circum iudicium stabant, audire nolebat, non intelligebat, ea, quae clare diceret, ita illos audituros, quibus se venditabat, ut vos quoque audiretis, qui id non probabatis. Deinde alterum iam oratoris vitium, non videre, quid quaeque causa postulet. Nihil est enim tam alienum ab eo, qui alterum coniurationis accuset, quam videri coniuratorum poenam mortemque lugere. Quod cum is tribunus plebi facit, qui unus videtur ex illis ad lugendos coniuratos relictus, nemini mirum est: difficile est enim tacere, cum doleas; te, si quid eiusmodi facis, non modo talem adolescentem, sed in ea causa, in qua te vindicem coniurationis velis esse, vehementer admiror. Sed 32
reprehendo tamen illud maxime, quod isto ingenio et prudentia praeditus causam rei publicae non tenes, qui arbitrere plebi Romanae res eas non probari, quas me consule omnes boni pro salute communi gesserunt.

XI. Ecquem tu horum, qui adsunt, quibus te contra ipsorum voluntatem venditabas, aut tam sceleratum statuis fuisse, ut haec omnia perire voluerit, aut tam miserum, ut et se perire cuperet et nihil haberet, quod salvum esse vellet? An vero clarissimum virum generis vestri ac nominis nemo reprehendit, qui filium suum vita privavit, ut in ceteros firmaret imperium; tu rem publicam reprehendis, quae domesticos hostes, ne ab iis ipsa necaretur, necavit?

---

§ 31. *leviter*] *leniter* P. — *id non*] Sic omnes Codd., etiam mei; nec est, cur cum Ern. inducto *id* levem, immo gratam anomaliam tollamus. — *probabatis*] Tum cum ille verba faciebat. Sic etiam P. Bern. Genev. — *probatis* Oxonn. tres. — *quid quaeque causa*] *quid quae c.* Codex alius Torrentii, non P. — *quam videri coniuratorum*] *quam coniuratorum* P. — *quod cum is*] *quod tamen is* P. (ut e Codd. Lamb., qui tamen omittit v. *is.*) — *nemini mirum*] Ambros. *nec mirum* Manut. tac. Torr.

§ 32. *et se*] *et se ipsum* P. — *ac nominis nemo*] *et nominis auctorem nemo* P. — *in ceteros*] Ambros. *in ceteris* Manut. tac. Torr.

---

§ 31. *is tribunus pl.*] L. Calpurnium Bestiam potius quam Q. Metellum Nepotem significari demonstravit Garatonius. Idem significat Scholiasta.

§ 32. *clarissimum virum*] T. Manlium Imperiosum Torquatum, qui tertium consul a. u. c. 414. Latino bello filium, qui contra suum edictum pugnaverat, necari iussit. MANUT.

33 Itaque attende iam, Torquate, quam ego defugiam auctoritatem consulatus mei. Maxima voce, ut omnes exaudire possint, dico semperque dicam: adestote omnes animis, qui adestis corporibus, quorum ego frequentia magno opere laetor; erigite mentes auresque vestras et me de invidiosis rebus, ut ille putat, dicentem attendite! Ego consul, cum exercitus perditorum civium clandestino scelere conflatus crudelissimum et luctuosissimum exitium patriae comparasset, cum ad occasum interitumque rei publicae Catilina in castris, in his autem templis atque tectis dux Lentulus esset constitutus, meis consiliis, meis laboribus, mei capitis periculis, sine tumultu, sine delectu, sine armis, sine exercitu, quinque hominibus comprehensis atque confossis, incensione urbem, internecione cives, vastitate Italiam, interitu rem publicam liberavi; ego vitam omnium civium, statum orbis terrae, urbem hanc denique, sedem omnium nostrum, arcem regum ac nationum exterarum, lumen gentium, domicilium imperii quinque hominum amentium ac perdi-
34 torum poena redemi. An me existimasti haec iniuratum in iudicio non esse dicturum, quae iuratus in maxima contione dixissem?

XII. Atque etiam illud addam, ne qui forte incipiat improbus subito te amare, Torquate, et aliquid sperare de te; atque, ut idem omnes exaudiant, clarissima voce dicam: harum omnium rerum, quas ego in consulatu pro salute communi suscepi et gessi, L. ille Torquatus, cum esset meus contubernalis in consulatu atque etiam in praetura fuisset, auctor, adiutor, particeps exstitit, cum princeps, cum auctor, cum signifer esset iuventutis; parens eius,

---

§ 33. *quam ego defugiam*] *quam ego diffugiam* P. — *confossis*] *confessis* P. — *internecione*] Sic etiam P. *interemptione* Genev. — *ne qui*] *ne quis* Genev. ut Lamb. — *in consulatu* cet.] Locum e Palat. nono restitutum Cod. Parc. exhibet fere, ut Cod. Henr. Stephani, nisi quod ab hoc afuisse videntur vv. *cum princeps.* Iam P. sic: *in consulatu atque* (omisso v. *etiam*) *in praetura fuisset, cum signifer esset, cum princeps iuventutis, auctor adiutor particeps extitit.* Pro priore *auctor* malim etiamnunc *actor*; illud nimium est; *actore* utimur etiam adolescente. — *rebus illis*] *illis rebus* P. — *consilio, auctoritate*] *auctoritate, consilio* P.

---

§ 33. *quinque hominibus*] P. Lentulo, C. Cethego, L. Statilio, P. Gabinio, M. Caepario. Salust. Cat. 55.

homo amantissimus patriae, maximi animi, summi consilii, singularis constantiae, cum esset aeger, tamen omnibus rebus illis interfuit, nunquam est a me digressus, studio, consilio, auctoritate unus adiuvit plurimum, cum infirmitatem corporis animi virtute superaret. Videsne, ut eripiam te ex 35
improborum subita gratia et reconciliem bonis omnibus? qui te et diligunt et retinent retinebuntque semper, nec si a me forte desciveris, idcirco te a se et a re publica et a tua dignitate deficere patientur. Sed iam redeo ad causam atque hoc vos, iudices, testor: mihi de memet ipso tam multa dicendi necessitas quaedam imposita est ab illo. Nam si Torquatus Sullam solum accusasset, ego quoque hoc tempore nihil aliud agerem nisi eum, qui accusatus esset, defenderem; sed cum ille tota illa oratione in me esset invectus et cum initio, ut dixi, defensionem meam auctoritate spoliare voluisset, etiam si dolor meus respondere non cogeret, tamen ipsa causa hanc a me orationem flagitasset.

XIII. Ab Allobrogibus nominatum Sullam esse dicis. 36
Quis negat? Sed lege indicium, et vide, quemadmodum nominatus sit. L. Cassium dixerunt commemorasse, cum ceteris Autronium secum facere. Quaero, num Sullam dixerit Cassius? Nusquam; sese aiunt quaesisse de Cassio, quid Sulla sentiret. Videte diligentiam Gallorum; qui vitam hominum naturamque non nossent ac tantum audissent eos pari calamitate esse, quaesiverunt, essentne eadem voluntate? Quid tum? Cassius si respondisset idem sentire et secum facere Sullam, tamen mihi non videretur in hunc id criminosum esse debere. Quid ita? Quia qui barbaros homines ad bellum impelleret, non debebat minuere illorum suspicionem et purgare eos, de quibus illi aliquid suspicari

§ 35. *necessitas* cet.] *necessitatem quandam impositam ab illo* P., ut Cod. H. Stephani. — *dolor meus*] Leg. videtur *dolor me meus.* — *flagitasset*] *flagitavisset* P.

§ 36. *negat? Sed lege indicium et vide*] *negat Sullae indicium? at vide* Manut. tac. Torrentio de P. — *pari cal.* cet.] Firmat hanc lect. P. *pari calamitate, qui fuerant, esse in eadem voluntate* Bern. Genev. — *suspicari viderentur*] Erfurt. Zinzerlingii. *suspicarentur* Manut. tac. Torr. Volgo.

§ 36. *L. Cassius Longinus* senator, inter principes coniurationis fuerat.

37 viderentur. Non respondit tamen una facere Sullam. Ete-
nim esset absurdum, cum ceteros sua sponte nominasset,
mentionem Sullae facere nullam nisi admonitum et interro-
gatum; nisi forte veri simile est P. Sullae nomen in memo-
ria Cassio non fuisse. Si nobilitas hominis, si afflicta for-
tuna, si reliquiae pristinae dignitatis non tam illustres fuis-
sent, tamen Autronii commemoratio memoriam Sullae ret-
tulisset; etiam, ut arbitror, cum auctoritates principum con-
iurationis ad incitandos animos Allobrogum colligeret Cas-
sius, et cum sciret exteras nationes maxime nobilitate mo-
38 veri, non prius Autronium quam Sullam nominasset. Iam
vero illud probari minime potest, Gallos Autronio nominato
putasse propter calamitatis similitudinem sibi aliquid de Sulla
esse quaerendum, Cassio, si hic esset in eodem scelere, ne
cum appellasset quidem Autronium, huius in mentem venire
potuisse. Sed tamen quid respondit de Sulla Cassius? Se
nescire certum. Non purgat, inquit. Dixi antea: ne si ar-
gueret quidem tum denique, cum esset interrogatus, id mihi
39 criminosum videretur. Sed ego in indiciis et in quaestioni-
bus non hoc quaerendum arbitror, num purgetur aliqui, sed
num arguatur: etenim cum negat se scire Cassius, utrum
sublevat Sullam, an satis probat se nescire? Sublevat apud
Gallos. Quid ita? ne indicent? Quid? si periculum esse
putasset, ne illi unquam indicarent, de se ipso confessus
esset? Nescivit. Credo, iudices, celatum esse Cassium de
Sulla uno: nam de ceteris certe sciebat, et ea domi eius
pleraque conficta esse constabat. Qui negare noluit esse in
eo numero Sullam, quo plus spei Gallis daret, dicere autem
falsum non ausus est, nescire dixit. Atqui hoc perspicuum
est, cum is, qui de omnibus scierit, de Sulla se scire nega-
rit, eandem vim esse negationis huius quam si extra coniu-
rationem hunc esse se scire dixisset: nam cuius scientiam

§ 37. *afflicta*] *afflata* P.

§ 38. *quaerendum* cet.] *quaerendum esse a Cassio; Cassio, si* Codex Torrentii alius quam P.

§ 39. *indiciis*] Ambros. P. *iudiciis* Bern. Genev. Volgo. — *et in quaest.*] *et quaest.* Manut. tac. Torr. *in quaest. et ind.* Ambros. — *et ea domi*] *etenim domi* P.

de omnibus constat fuisse, eius ignoratio de aliquo purgatio debet videri. Sed iam non quaero, purgetne Cassius Sullam; illud mihi tantum satis est, contra Sullam nihil esse in indicio.

XIV. Exclusus hac criminatione Torquatus rursus in 40
me irruit, me accusat; ait me aliter ac dictum sit in tabulas publicas rettulisse. O dii immortales! (vobis enim tribuam, quae vestra sunt; nec vero possum meo tantum ingenio dare, ut tot res, tantas, tam varias, tam repentinas, in illa turbulentissima tempestate rei publicae mea sponte dispexerim); vos profecto animum meum tum conservandae patriae cupiditate incendistis; vos me ab omnibus ceteris cogitationibus ad unam salutem rei publicae convertistis; vos denique in tantis tenebris erroris et inscientiae
clarissimum lumen praetulistis menti meae. Vidi ego hoc, 41
iudices, nisi recenti memoria senatus auctoritatem huius indicii monumentis publicis testatus essem, fore, ut aliquando non Torquatus neque Torquati quispiam similis, (nam id me multum fefellit), sed ut aliquis patrimonio naufragus, inimicus otii, bonorum hostis, aliter indicata haec esse diceret, quo facilius vento aliquo in optimum quemque excitato posset in malis rei publicae portum suorum malorum aliquem invenire. Itaque introductis in senatum indicibus, constitui senatores, qui omnia indicum dicta, inter-
rogata, responsa perscriberent. At quos viros! non solum 42
summa virtute et fide, cuius generis in senatu facultas ma-

§ 40. *dictum sit*] Ambros. *dictum est* Manut. tac. Torr. quod defendunt Matthiae et Frotscher non cogitantes parendum fuisse antiquissimae auctoritati, praesertim rectissimam lectionem exhibente. — *convertistis*] Sic etiam P. *contulistis* Bern. Genev. Manut. Ortum hoc ex seq. *praetulistis*.

§ 41. *Vidi ego hoc*] *Vidi hoc ego, vidi* P. Per se non displicet: ortum tamen alterum *vidi* ex seqq. syll. *iudi* videtur.

§ 42. *maxima est*] Genev. Hoc scil. l. *st* ante *set* facillime excidere poterat. Volgo abest v. *est*. Lamb.: *cuius generis est* cet. *cuius generis erat* cet. P. — *his hominibus* cet.] *his hominibus aut fidem aut ingenium putet defuisse* P. omissis vv. *ad vere referendum*. — *emisi*] *divisi* Manut. tac. Torr.

§ 42. *C. Cosconium*] qui postea pro consule Hispaniam administravit. — *M. Messalam*] cons. a. u. c. 701. — *P. Nigidium Figulum*, studiis severioribus celebrem, *Ap. Claudium* (P. Clodii fratrem), augurem, cos. 700.

xima est, sed etiam quos sciebam memoriâ, scientia, consuetudine et celeritate scribendi facillime, quae dicerentur, persequi posse, C. Cosconium, qui tunc erat praetor, M. Messallam, qui tum praeturam petebat, P. Nigidium, Ap. Claudium. Credo esse neminem, qui his hominibus ad vere referendum aut fidem putet aut ingenium defuisse.

XV. Quid deinde? quid feci? Cum scirem ita indicium
in tabulas publicas relatum, ut illae tabulae privata tamen
custodia more maiorum continerentur, non occultavi, non
continui domi, sed describi ab omnibus statim librariis, di-
vidi passim et pervolgari atque edi populo Romano impe-
ravi; divisi toti Italiae, emisi in omnes provincias, eius in-
dicii, e quo salus oblata esset omnibus, expertem esse nemi-
43 nem volui. Itaque dico locum in orbe terrarum esse nullum,
quo in loco populi Romani nomen sit, quin eodem perscri-
ptum hoc indicium pervenerit. In quo ego tam subito et
exiguo et turbido tempore multa divinitus, ita ut dixi, non
mea sponte, providi: primum, ne qui posset tantum aut de
rei publicae aut de alicuius periculo meminisse, quantum
vellet; deinde, ne cui liceret unquam reprehendere illud in-
dicium aut temere creditum criminari; postremo, ne quid
iam a me, ne quid ex meis commentariis quaereretur, ne
aut oblivio mea aut memoria videretur nimia; ne denique
44 aut negligentia turpis aut diligentia crudelis putaretur. Sed
tamen abs te, Torquate, quaero, cum indicatus tuus inimi-

§ 43. *videretur nimia*] *diceretur nimia* P.

§ 44. *frequens senatus*] *senatus* P. — *aliter fieri*] Nimis hoc infinitum, unde etiam factum, ut Schuetzius perperam explicaret: „nihil scribas meos tibi dicere." cum contrarium tradatur in praecedd.: libentissime enim fuerant indicium Torquato, si petisset, demonstraturi. Quocirca vide ne leg. sit: *aliter referri*, „ita, ut P. Sullae nomen in indicio non inesset." — *aut veh.*] Sic Codd. mei, etiam P. Est: „aut saltem vehementius." Ern. *ac veh.* ex Dresdensi, cuius nulla est auctoritas. — *ementiare et*] P. Cui lectioni duae rationes favent: primum Genev. *audeas enuntiare et*, Bern. et Oxonn. quattuor omittunt v. *audeas*; iam cum accedat Parc. auctoritas, apparet *audeas* ab interpolatore esse. Deinde *enuntiare* de arcanis consiliis dicitur, non de re, quam ut manifestam atque omnibus notam

§ 44. *inimicus*] Cicero non concedit P. Sullam esse inter ceteros coniuratos ab Allobrogibus indicatum, sed tantum ponit ex Torquati criminatione hactenus, ut inde elicere posset quod ipse absurdum fateretur. SCHUETZ.

cus esset et esset eius rei frequens senatus et recens memoria testis, tibi, meo familiari et contubernali, prius etiam edituri fuerint indicium scribae mei, si voluisses, quam in codicem rettulissent: cum videres aliter fieri, cur tacuisti, passus es, non mecum aut cum familiari meo questus es, aut quoniam tam facile inveheris in amicos, iracundius aut vehementius expostulasti? Tu, cum tua vox nunquam sit audita, cum indicio lecto, descripto, divolgato quieveris, tacueris, repente tantam rem ementiare et in eum locum te deducas, ut ante quam me commutati indicii coargueris, te summae negligentiae tuo iudicio convictum esse fateare?

XVI. Mihi cuiusquam salus tanti fuisset, ut meam 45
negligerem? per me ego veritatem patefactam contaminarem aliquo mendacio? quemquam denique ego iuvarem, a quo et crudeles insidias in rem publicam factas et in me potissimum consulem constitutas putarem? Quod si iam essem oblitus severitatis et constantiae meae, tamne amens eram, ut, cum litterae posteritatis causa repertae sint, quae subsidio oblivioni esse possent, ego recentem putarem memoriam cuncti senatus commentario meo posse superari? Fero 46
ego te, Torquate, iamdudum fero, et nonnunquam animum incitatum ad ulciscendam orationem tuam revoco ipse et reflecto; permitto aliquid iracundiae tuae, do adolescentiae, cedo amicitiae, tribuo parenti. Sed, nisi tibi aliquem modum tute constitueris, coges oblitum me nostrae amicitiae habere rationem meae dignitatis. Nemo unquam me tenuissima suspicione perstrinxit, quem non perculerim ac perfregerim. Sed mihi hoc credas velim: non iis libentissime soleo respondere, quos mihi videor facillime posse superare.

---

in medium protulerat accusator, etiamsi mendacium erat. — *tuo iudicio convictum*] *convictum tuo iudicio* P.

§ 45. *denique ego*] *ego denique* P. — *et crudeles*] *crudeles* P. — *constitutas putarem*] *putarem* Bern. Genev. Manut. tac. Torr. — *perculerim ac perfregerim*] Sic P. Item Codd. Rubenii meliori familiae adnumerandi, sed *pertulerim*, unde Rub. fecit quod habet Parc. Ex Erf. affertur *praeverterim ac perfregerim:* sed cum haec non coeant, in eo quoque *pertulerim* vel *perculerim ac perfr.* extitisse puto. Volgo: *praeverterim* (al. *perverterim.*) Sed ubi rem accuratius diiudicaris, confiteare necesse erit *praevertere* me proprie non posse, qui iamiam me *perstrinxerit.* In nostra lect. tria vv. a gladiatoribus desumpta sunt.

47 Tu, quoniam minime ignoras consuetudinem dicendi meam, noli hac nova lenitate abuti mea, noli aculeos orationis meae, qui reconditi sunt, excussos arbitrari, noli id putare omnino a me esse amissum, si quid est tibi remissum atque concessum. Cum illae valent apud me excusationes iniuriae tuae, iratus animus tuus, aetas, amicitia nostra, tum nondum statuo te virium satis habere, ut ego tecum luctari et congredi debeam. Quod si esses usu atque aetate robustior, essem idem, qui soleo, cum sum lacessitus. Nunc tecum sic agam, tulisse ut potius iniuriam quam rettulisse gratiam videar.

48 XVII. Neque vero quid mihi irascare, intelligere possum; si, quod eum defendo, quem tu accusas, cur tibi quoque ipse non succenseo, qui accuses eum, quem ego defendo? Inimicum, inquis, accuso meum. Et amicum ego defendo meum. Non debes tamen quemquam in coniurationis quaestione defendere. Immo nemo magis eum, de quo nihil est unquam suspicatus, quam is, qui de aliis multa cogitavit. Cur dixisti testimonium in alios? Quia coactus. Cur damnati sunt? Quia creditum est. Regnum est dicere in quem velis ac defendere quem velis. Immo servitus est non dicere in quem velis ac non defendere quem velis. Ac si considerare coeperis, utrum magis mihi hoc necesse fuerit facere an istud tibi, intelliges honestius te inimicitiarum modum statuere potuisse quam me huma-
49 nitatis. An vero cum honos agebatur amplissimus familiae vestrae, hoc est, consulatus parentis tui, sapientissimus vir

---

§ 47. *amissum*] *omissum* Manut. tac. Torr.

§ 48. *in coniurationis*] *tu coni.* P. — *cogitavit*] *cognovit* Lamb. et margo Cod. Dresd. — *ac non defendere*] P., ut iam voluerat Sylvius et habebat Cod. H. Stephani. *ac defendere* Bern. Genev. Manut. *nec defendere* Lamb. coni. et volgo ex Francii primo. — *an istud tibi*] *an tibi* Manut. tac. Torr. — *inimicitiarum*] *inimicitiae tuae* Codex Torrentii alius a P.

§ 49. *An vero - - suis succensuit - - laudarent?*] P. ut Cod. H. Stephani. *At vero - - suis non succensuit - - laudarent.* Lamb. Ern. Sed *at vero* in uno Cod. Memmiano repperit Lamb., cum ceteri, etiam mei, servent *an vero*. Et sic melius connecti videntur sententiae. „Honestius tu inimicitiarum modum statuere potueras; quaerere enim ex te ipso licet, an succensuerit pater tuus cet.? Minime: intelligebat enim cet. Habes igitur paternum exemplum." — *Et erat*] *Erat* P. —

familiarissimis suis succensuit pater tuus, cum Sullam et
defenderent et laudarent? Intelligebat hanc nobis a maiori-
bus esse traditam disciplinam, ut nullius amicitia ad propul-
sanda pericula impediremur. Et erat huic iudicio longe dis-
similis illa contentio; tum, afflicto P. Sulla, consulatus vobis
pariebatur, sicuti partus est; honoris erat certamen; ereptum
repetere vos clamitabatis, ut victi in campo in foro vince-
retis; tum qui contra vos pro huius salute pugnabant, ami-
cissimi vestri, quibus non irascebamini, consulatum vobis
eripiebant, honori vestro repugnabant, et tamen id invio-
lata vestra amicitia, integro officio, veteri exemplo atque
instituto optimi cuiusque faciebant. Ego vero quibus orna- 50
mentis adversor tuis? aut cui dignitati vestrae repugno?
Quid est, quod iam ab hoc expetas? honor ad patrem, in-
signia honoris ad te delata sunt. Tu ornatus exuviis huius
venis ad eum lacerandum, quem interemisti; ego iacentem
et spoliatum defendo et protego. Atque hic tu et reprehen-
dis me, quia defendam, et irasceris. Ego autem non modo
tibi non irascor, sed ne reprehendo quidem factum tuum.
Te enim existimo tibi statuisse, quid faciendum putares, et
satis idoneum officii iudicem tui † posuisse.

XVIII. At accusat C. Cornelii filius, idemque valere 51
debet ac si pater indicaret. O patrem Cornelium sapientem!
qui quod praemii solet esse in indicio, reliquerit, quod tur-
pitudinis in confessione, id per accusationem filii susceperit.
Sed quid est tandem, quod indicat per istum puerum Cor-

---

vinceretis: tum qui] *vinceretis cum ceteri tum qui* ex iuversa geminatione P. — *tamen id inviolata*] *tamen inviolata* P. — *cuiusque faciebant*] *quique favebant* P.

§ 50. *ornatus exuviis huius*] *ornatus huius aerumnis* P. (*ornatus aerumnis* Manut.) — *officii tui*] Erfurt. *officii* P. Volgo. — *posuisse*] Inauditum cum sit *iudicem ponere*, existimo Torrentium recte correxisse in marg. exempli mei: *posse esse*.

§ 51. *idemque*] *et id aeque* P. — *indicat*] *indicet* P. — *cum Hortensio*] *neque mihi cum Hortensio* Cod. H. Stephani. E Parc. nihil annotavit Torrentius. — *sin, ut ais*] Sic etiam tres mei. *sin tu ais* Ern. — *sed quid*] Madvig. Opuscc. p. 187. *et quid* Codd. noti. Ern.

---

§ 51. Hic filius C. Cornelii subscriptor esse videtur accusatoris L. Torquati, licet ipse hic *accusare* dicatur et § 92. *accusatores* nominentur, non *accusator*. — *consularibus comitiis*] habitis inter XII. Kal. Nov. et Nonas Nov. (21 Octobr. — 5 Novbr.) a. u. c. 691.

nelius? Si est causa mihi ignota, cum Hortensio communicata, respondeat Hortensius; sin, ut ais, illum comitatum Autronii et Catilinae, cum in campo, consularibus comitiis, quae a me habita sunt, caedem facere voluerunt: Autronium tum in campo vidimus; — sed quid dixi vidisse nos? ego vidi: vos enim tum, iudices, nihil laborabatis neque suspicabamini, ego tectus praesidio firmo amicorum Cati-
52 linae tum et Autronii copias et conatum repressi. Num quis est igitur, qui tum dicat in campum adspirasse Sullam? Atqui si tum se cum Catilina societate sceleris coniunxerat, cur ab eo discedebat? cur cum Autronio non erat? cur in pari causa non paria signa reperiuntur criminis? Sed quoniam Cornelius ipse etiamnunc de indicando dubitat, ut dicitis, informat adhuc adumbratum indicium filii, quid tandem de illa nocte dicit, cum inter falcarios ad M. Laecam nocte ea, quae consecuta est posterum diem Nonas Novembres me consule, Catilinae denuntiatione convenit? quae nox omnium temporum coniurationis acerrima fuit atque acerbissima. Tum Catilinae dies exeundi, tum ceteris manendi condicio, tum descriptio totam per urbem caedis atque incendiorum constituta est; tunc tuus pater, Corneli, id quod tandem aliquando confitetur, illam sibi officiosam provinciam depoposcit, ut cum prima luce consulem salutatum veniret, intromissus meo more et iure amicitiae me in meo lectulo trucidaret.

53 XIX. Hoc tempore, cum arderet acerrime coniuratio, cum Catilina egrederetur ad exercitum, Lentulus in urbe relinqueretur, Cassius incendiis, Cethegus caedi praeponeretur, Autronio ut occuparet Etruriam praescriberetur, cum omnia ordinarentur, instituerentur, pararentur; ubi fuit Sulla, Corneli? num Romae? Immo longe afuit; num in iis

---

§ 52. *reperiuntur criminis*] *criminis reperiuntur* Bern. Genev. — *dicitis*] et tu et Cornelius pater. *dicis* Torrentii suspicio. — *nonas Novembr.*] P. quo ducunt etiam corruptelae Oxonn. — *nonarum Novembrium* Volgo. Sed ut rectum est *postridie Kalendas* cet., sic etiam *posterus dies Kalendas* cet. Dubitanter *Nonas* proposuit iam Ernestius. — *tunc*] *tum* Lamb.

§ 53. *instituerentur*] *instruerentur* Genev., ut Lamb. — *Corneli? Num Romae*] *Corneli? Romae* P. — *regionibus*] *legionibus* Manut. tac. Torr. — *inferebat*] *conferebat*: „alias *inferebat*.“ P.

regionibus, quo se Catilina inferebat? Multo etiam longius. Num in agro Camerti, Piceno, Gallico, quas oras maxime quasi morbus quidam illius furoris pervaserat? Nihil vero minus. Fuit enim, ut iam ante dixi, Neapoli, fuit in ea parte Italiae, quae maxime ea suspicione caruit. Quid ergo 54
indicat aut quid affert aut ipse Cornelius aut vos, qui ab eo haec mandata defertis? Gladiatores emptos esse Fausti simulatione ad caedem ac tumultum. Ita prorsus; interpositi sunt gladiatores, quos testamento patris deberi videmus. Arrepta est familia, quae si esset praetermissa, posset alia familia Fausti munus praebere. Utinam quidem haec ipsa non modo iniquorum invidiae, sed aequorum exspectationi satisfacere posset! Properatum vehementer, cum longe tempus muneris abesset. Quasi vero tempus dandi muneris non valde appropinquaret. Nec opinante Fausto, cum is neque sciret neque vellet, familia est comparata. At litterae 55
sunt Fausti, per quas ille precibus a P. Sulla petit, ut emat gladiatores, et ut hos ipsos emat; neque solum ad Sullam missae, sed ad L. Caesarem, Q. Pompeium, C. Memmium, quorum de sententia tota res gesta est. At praefuit familiae

§ 54. *deberi videmus*] P. Bern. Genev. *videmus deberi* Volgo. — *Arrepta*] *At empta* P., ut Cod. H. Stephani. Item Ascens. 1531. — *praebere*] *praeparare* P.

§ 55. *tota res gesta est*] *res gesta est tota* P. — *Cornelius*] cum Lamb. del. videtur. — *paranda*] P. Bern. Oxon. T. eodemque ducunt corruptelae reliquorum Oxonn. *comparanda* Volgo. — *sed tamen*] Fort. *sed tantum*. — *munere servili*] Haec corrupta esse liquet; ne satis quidem Latinum videtur *munus servile* pro *opera servili*; praesertim cum ter praecedat v. *munus* gladiatorii certaminis significatu. Ac si vel maxime dici sic posset, cur tandem gratuito vituperaret Sullam patronus, quod servili opera functus esset? An *Servili* est nominis proprii genitivus antiquior, ut sit: in munere a P. Servilio Isaurico dato Sulla obtulit se ad ferramenta *prospicienda* sive, ut maluit Lamb. *perspicienda*? (— *ad feras prospiciendas* P.) — *Bellum*] *Balbum* Erf. Nihil e Parc. notavit Torrentius.

§ 54. *Fausti*] Faustus Sulla L. Sullae dictatoris filius ex testamento patris munus gladiatorium edere debebat, cum per aetatem posset, annorumque saltem XVI. terminum constituerat legato praestando. Tum illi P. Sullam criminabantur, cum gladiatores emeret, simulasse eos ad illud munus se emere, re vera ad caedem et tumultum emisse. SCHUETZ. Ceterum cfr. Garat.

§ 55. *ad L. Caesarem* cos. a. u. c. 690., Antonii triumviri avunculum. — *Q. Pompeium*] Sullae nepotem ex filia. Asconius in arg. or. pro Milone. — *C. Memmium*] P. Sullae privignum; v. ad Q. Fr. 3, 3.

[Cornelius]. Iam si in paranda familia suspicio est nulla, quod praefuit nihil ad rem pertinet. † Sed tamen munere servili obtulit se ad ferramenta prospicienda; praefuit vero nunquam; eaque res per Bellum, Fausti libertum, omni tempore administrata est.

56 XX. At enim Sitius est ab hoc in ulteriorem Hispaniam missus, ut eam provinciam perturbaret. Primum Sitius, iudices, L. Iulio, C. Figulo consulibus profectus est aliquanto ante furorem Catilinae et ante suspicionem huius coniurationis; deinde est profectus non tum primum, sed cum in iisdem locis aliquanto ante eadem de causa aliquot annos fuisset; ac profectus est non modo ob causam, sed etiam necessariam causam, magna ratione cum Mauritaniae rege contracta. Tum autem, illo profecto, Sulla procurante eius rem et gerente, plurimis et pulcherrimis P. Sitii praediis venditis aes alienum eiusdem dissolutum est, ut, quae causa ceteros ad facinus impulit, cupiditas retinendae possessio-
57 nis, ea Sitio non fuerit praediis deminutis. Iam vero illud quam incredibile, quam absurdum, qui Romae caedem facere, qui hanc urbem inflammare vellet, eum familiarissimum suum dimittere ab se et amandare in ultimas terras! utrum quo facilius Romae ea, quae conabatur, efficeret, si in Hispania turbatum esset? At haec ipsa per se, sine ulla coniunctione agebantur. An in tantis rebus, tam novis consiliis, tam periculosis, tam turbulentis hominem amantissimum sui, familiarissimum, coniunctissimum officiis, usu, consuetudine, dimittendum esse arbitraretur? Veri simile non est,

---

§ 56. *Sitius*] sic etiam P. pro Bern. Genev. Manutii *Cincius*. — *et ante susp.*] *et susp.* P. Bern. — *magna ratione*] *magna ratione pecuniae* Genev. (ut Codex Stephani. *magna pecuniae ratione* Lamb.) E Parc. nihil notatur.

§ 57. *dimittendum esse*] *dim. a se* Cod. Stephani. E Parc. nihil notatur.

---

§ 56. P. Sitius Nucerinus, idem fortasse qui memoratur scriptori de bello Afric. c. 36. — L. Iulius Caesar, C. Marcius Figulus coss. a. u. c. 690. — *Mauritaniae rege*] Hiempsale. Agr. 1, 4. § 10.

§ 57. *At haec ipsa*] *Haec* cum Matthiae intelligo, et quae Romae et quae in Hispania agebantur; verba autem *sine ulla coniunctione* addita puto, ut quae praecedunt *ipsa per se* accuratius definiantur; id est, haec ita agebantur, ut non esset ulla earum rerum coniunctio et cohaerentia. Ceterum haec ipsius Ciceronis verba sunt, non Torquati obiectio, quod credebat Ernestius. FROTSCHER.

it, quem in secundis rebus, quem in otio secum semper abuisset, hunc in adversis et in eo tumultu, quem ipse omparabat, ab se dimitteret. Ipse autem Sitius (non enim 58
nihi deserenda est causa amici veteris atque hospitis) is omo est aut ea familia ac disciplina, ut hoc credi possit, um bellum rei publicae facere voluisse? ut, cuius pater, um ceteri deficerent finitimi ac vicini, singulari exstiterit n rem publicam nostram officio et fide, is sibi nefarium bellum contra patriam suscipiendum putaret? cuius aes alienum videmus, iudices, non libidine, sed negotii gerendi studio esse contractum, qui ita Romae debuit, ut in provinciis et in regnis maximae ei pecuniae deberentur, quas cum peteret, non commisit, ut sui procuratores quidquam oneris absente se sustinerent; venire omnes suas possessiones et patrimonio se ornatissimo spoliari maluit quam ullam moram uiquam fieri creditorum suorum. A quo quidem genere, 59
udices, ego nunquam timui, cum in illa rei publicae tempestate versarer. Illud erat genus hominum horribile et pertimescendum, qui tanto amore suas possessiones amplexi tenebant, ut ab iis membra divelli citius ac distrahi posse diceres. Sitius nunquam sibi cognationem cum praediis esse existimavit suis. Itaque se non modo ex suspicione tanti sceleris, verum etiam ex omni hominum sermone non armis, sed patrimonio suo vindicavit.

XXI. Iam vero quod subiicit Pompeianos esse a Sulla 60
impulsos, ut ad istam coniurationem et ad hoc nefarium facinus accederent, id cuiusmodi sit, intelligere non possum. An tibi Pompeiani coniurasse videntur? quis hoc unquam dixit? aut quae fuit istius rei vel minima suspicio? Diiun-

---

§ 58. *ac discipl.*] *aut d.* P. — *bellum reip.*] *bellum in re p.* P.

§ 59. *suas possessiones amplexi*] *complexi suas possessiones* P. — *complexi* etiam Lamb. — *esse existimavit suis*] *suis esse existimavit* P.

§ 60. *subiicit*] *obiicit* P. Bern. — *unquam dixit*] *dixit unquam* P. — *cognita est*] *cognita* P.

---

§ 60. *Pompeii* oppidum Campaniae prope Neapolin. Eo, iussu, ut videtur, L. Sullae, per P. Sullam triumvirum colonia veteranorum deducta est; idem postea cum triumviris collegis eorum patronus fuit. Inter Pompeianos veteres et novos (ut Latini appellabant colonos aliquo deductos, si priores incolae manebant, cfr.

xit, inquit, eos a colonis, ut hoc dissidio ac dissensione facta, oppidum in sua potestate posset et Pompeianos habere. Primum omnis Pompeianorum colonorumque dissensio delata ad patronos est, cum iam inveterasset ac multos annos esset exagitata; deinde ita a patronis res cognita est, ut nulla in re a ceterorum sententiis Sulla dissenserit; postremo coloni ipsi sic intelligunt, non Pompeianos a Sulla magis
61 quam sese esse defensos. Atque hoc, iudices, ex hac frequentia colonorum, honestissimorum hominum, intelligere potestis, qui adsunt, laborant, hunc patronum, defensorem, custodem illius coloniae, si in omni fortuna atque in omni honore incolumem habere non potuerunt, in hoc tamen casu, quo afflictus iacet, per vos tutari conservareque cupiunt. Adsunt pari studio Pompeiani, qui ab illis etiam in crimen vocantur; qui ita de ambulatione et de suffragiis suis cum colonis dissenserunt, ut idem de communi salute sentirent.
62 Ac ne haec quidem P. Sullae mihi videtur silentio praetereunda esse virtus, quod cum ab hoc illa colonia deducta sit et cum commoda colonorum a fortunis Pompeianorum

---

§ 61. *atque in omni*] *atque omni* Manut. tac. Torr. — *conservareque*] *conservarique* P. Bern. Genev. — *ambulatione*] *ambitione* Manut. tac. Torr.

§ 62. *rei publicae*] Sic etiam P. Bern. Genev. *populi Ro.* Manut. — *diiunxerit*] *diviserit* Manut. tac. Torr. — *comparabantur*] *comparabatur* P. Bern. Genev. — *atque in hoc*] *atque hoc* Manut. tac. Torr. — *pudentiss.*] Sic P. Ern. *prudentiss.* Bern. Manut. — *promulgavit non*] *promulgaverat non* P.

Inscript. meas Lat. 100 et 101. *Arretini veteres. Fabraterni veteres, Fabraterni novani.* in Verr. Act. 2, 2, 50. *Agrigentinorum duo genera sunt, unum veterum, alterum colonorum,* quos paullo post *novos* vocat); inter utrumque igitur genus orta est dissensio de iure suffragiorum, et de *ambulatione*, id est, de portico, in qua, ut videtur, comitia habere solebant. Sic solent h. l. interpretari: contra monuit Madvig. Opuscc. p. 292.: „Concludunt ex h. l., colonias Sullanas interdum sic constitutas esse, ut disiuncti coloni a veteribus eiusdem oppidi incolis manerent. Id tamen, cum utrique cives essent, vix fieri potuit; nec Cicero de colonia Pompeios deducta, sed de colonis ei vicinis loqui videtur; alioquin *Pompeianos veteres* appellasset et colonos quoque *Pompeianos* nominasset, quod non facit.“ Utcunque res se habuit, colonos proximos saltem oppidi accolas fuisse manifestum est, cum de *ambulatione* certarint cum Pompeianis.

§ 62. Nimis magnifice in Tullii ore de Pompeiis oppido, ut nunc interpretantur, essent haec verba, *rei publicae fortunae*, qui sermo est potius inscriptionum municipalium. Sed interpretandum de rei publicae Romae fortuna, aut, quod malim leg. *P. R.*, populi Romani, pro *R. P.* — *rogationis Caeciliae*] L. Cae-

ei publicae fortuna diiunxerit, ita carus utrisque est atque ucundus, ut non alteros demovisse, sed utrosque constituisse videatur.

XXII. At enim et gladiatores et omnis ista vis rogaionis Caeciliae causa comparabantur. Atque in hoc loco n L. Caecilium, pudentissimum atque ornatissimum virum, vehementer invectus est; cuius ego virtute et constantia, udices, tantum dico, talem hunc in ista rogatione, quam promulgavit non de tollenda, sed de levanda calamitate fratris sui, fuisse, ut consultum esse voluerit fratri, cum re publica pugnare noluerit, promulgarit impulsus amore fraterno, destiterit fratris auctoritate deductus. Atque in ea 63
re per L. Caecilium Sulla accusatur, in qua re est uterque laudandus; primum Caecilius, qui id promulgarit, in quo fratris casum levare posset, quem, quia res iudicatas videbatur voluisse rescindere, ut desisteret, Sulla recte reprehendit: status enim rei publicae maxime iudicatis rebus continetur. Neque ego tantum fraterno amori dandum arbitror, ut quisquam de salute suorum consulat, communem relinquat. Nihil de iudicio ferebat, sed poenam ambitus auferebat, quae fuerat nuper superioribus legibus constituta. Itaque hac rogatione non iudicum sententiam, sed legis vitium corrigebat. Nemo iudicium reprehendit, cum de poena queritur, sed legem: damnatio enim est iudicum, quae manebat,

§ 63. *in qua re*] *in qua* P. — *in quo fratris casum levare posset, quem, quia res iudicatas*] Sic P., prorsus ut Cod. H. Stephani; id quod omnes veri notas habet. *in quo * * * res iudicatas* Codd. volgares et Ern. — *ut desisteret*] scil. a rogatione sua. Hic est apertissimus sensus horum vv., in quibus haeserunt novissimi Editores. Sic rursus Parc. et Cod. H. Stephani. *ut statueretur* Codd. volgg. Ern. — *relinquat. Nihil*] Malim: *relinquat. At nihil.* — *auferebat*] „Sic Cod. Parcensis alter; alter *referebat.*“ Torr. (*eam ferebat* Bern. Genev. Manut.)

cilius tribunus pl. legem ferre conatus est, qua poenam ambitus lege Calpurnia constitutam deminueret, ita ut damnatis de ambitu liceret iterum petere magistratus, in gratiam P. Sullae fratris sui vel uterini vel per adoptionem, de ambitu damnati. Sylv.

§ 63. *per L. Caecilium*] Dum Caecilius accusari videtur, magis spectatur Sulla quam Caecilius ipse; nec aliam ob causam ea de Caecilio dicuntur, quam ut Sulla suspectus criminis fiat. Ernestius.

64 poena legis, quae levabatur. Noli igitur animos eorum ordinum, qui praesunt iudiciis summa cum gravitate et dignitate, alienare a causa. Nemo labefactare iudicium est conatus, nihil est eiusmodi promulgatum; semper Caecilius in calamitate fratris sui iudicum potestatem perpetuandam, legis acerbitatem mitigandam putavit.

XXIII. Sed quid ego de hoc plura disputem? Dicerem fortasse, et facile et libenter dicerem. Si paullo etiam longius, quam finis quotidiani officii postulat, pietas et fraternus amor L. Caecilium protulisset, implorarem sensus vestros, unius cuiusque indulgentiam in suos testarer, peterem errato veniam [L. Caecilii] ex intimis vestris cogitationibus
65 atque ex humanitate communi. Lex dies fuit proposita paucos, ferri coepta nunquam, deposita est in senatu. Kalendis Ianuariis cum in Capitolium nos senatum convocassemus, nihil est actum prius, et id mandatu Sullae Q. Metellus praetor se loqui dixit, Sullam illam rogationem de se nolle ferri. Ex illo tempore L. Caecilius multa e re publica egit; agrariae legi, quae tota a me reprehensa et abiecta est, intercessorem fore professus est, improbis largitionibus restitit, senatus auctoritatem nunquam impedivit, ita se gessit in tribunatu, ut, onere deposito domestici officii,
66 nihil postea nisi de rei publicae commodis cogitarit. Atque in ipsa rogatione ne per vim quid ageretur, quis tandem

---

§ 64. *perpetuandam*] *perpetiundam* P. — *errato veniam* [*L. Caecilii*] *ex*] *errato L. Caecilii veniam* P. (Etiam ex hac transpositione suspectiora fiunt vv. *L. Caecilii.*)

§ 65. *deposita*] Erf. *posita* Manut. tac. Torr. — *mandatu*] *mandato* Manut. tac. Torr. — *in senatu. Kalendis Ianuariis cum*] P. ut Cod. Bavaricus Garatonii. *in senatu R. lateri cum* Bern. *in senatu relaturi cum* Genev. *in senatu; populum Ro. latuit* Ern. — *praetor*] *pater* P. — *illam* cet.] *nolle ferri illam rogationem de se* P. — *e rep.*] Cod. H. Stephani. *ex rep.* Vetus apud Torrentium. *de rep.* Manut. Ern. — *intercessorem fore*] *intercessorem se* P. (Lamb.: *int. se fore.*)

§ 66. *Atque in ipsa*] *atque etiam ipsa* P. *atque ea ipsa* Genev. — *ne per vim quid ageretur, quis*] *ne quid per vim ageretur, egit. Quis* P. — *tandem*] P. Cod. H. Stephani. *tamen* Manut. *tum* Ern.

---

§ 64. *eorum ordinum*] Ex lege Aurelia, quae tum valebat; id est, senatus, equitum et tribunorum aerariorum. Ern.

§ 65. *Kal. Ianuariis*] a. u. c. 691. *Q. Metellus Celer* tum praetor, cos. a. u. c. 694. — *agrariae legi*] a P. Servilio Rullo trib. pl. promulgatae.

nostrum Sullam aut Caecilium verebatur? nonne omnis ille terror, omnis seditionis timor atque opinio ex Autronii improbitate pendebat? Eius voces, eius minae ferebantur; eius adspectus, concursatio, stipatio, greges hominum perditorum metum nobis seditionesque afferebant. Itaque P. Sulla, hoc importunissimo cum honoris tum etiam calamitatis socio atque comite et secundas fortunas amittere coactus est et in adversis sine ullo remedio atque allevamento permanere.

XXIV. Hic tu epistolam meam saepe recitas, quam 67
ego ad Cn. Pompeium de meis rebus gestis et de summa re
publica misi, et ex ea crimen aliquod in P. Sullam quaeris
et, si furorem incredibilem biennio ante conceptum erupisse
in meo consulatu scripsi, me hoc demonstrasse dicis, Sul-
lam in illa fuisse superiore coniuratione. Scilicet is sum,
qui existimem, Cn. Pisonem et Catilinam et Vargunteium
et Autronium nihil scelerate, nihil audacter ipsos per sese
sine P. Sulla facere potuisse. De quo etiam si quis dubi- 68
tasset antea, num, id quod tu arguis, cogitasset, interfecto
patre tuo consule descendere Kalendis Ianuariis cum lictoribus, sustulisti hanc suspicionem, cum dixisti, hunc, ut Catilinam consulem efficeret, contra patrem tuum operas et manum comparasse. Quod si tibi ego confiteor, tu mihi concedas necesse est hunc, cum Catilinae suffragaretur, nihil de suo consulatu, quem iudicio amiserat, per vim recuperando cogitavisse: neque enim istorum facinorum tantorum, tam atrocium crimen, iudices, P. Sullae persona suscipit.

---

§ 67. *de summa rep.*] P., ut Cod. Bavaric. *de summa reip.* Ern. — *et si*] Sic Parc. Genev. Margo Bern. *et ubi* Bern. *et quia* Palat. quint. ex emend. „Si hoc scripsi, quod nunc neque nego neque fateor, quia nihil attinet.“ Hic sensus est lect. Codd. *ubi*, *ubi si*, *quia*, *qui*, omnes sunt correctiones partim supervacaneae, partim falsae.

§ 68. *interfecto - descendere*] *ut interfecto descenderet.* P.

---

§ 67. *Cn. Pisonem*] Sal. Cat. 18. *adulescens nobilis, summae audaciae, egens, factiosus, quem ad perturbandam rem publicam inopia atque mali mores stimulabant.* Is in Hispania citeriore ab equitibus Hispanis occisus est. Ibid. c. 19. — *Kal. Ianuariis*] a. u. c. 689.

69 XXV. Iam enim faciam, criminibus omnibus fere dis-
solutis, contra atque in ceteris causis fieri solet, ut nunc
denique de vita hominis ac de moribus dicam. Etenim de
principio studuit animus occurrere magnitudini criminis,
satisfacere exspectationi hominum, de me aliquid ipso, qui
accusatus eram, dicere; nunc iam revocandi estis eo, quo
vos ipsa causa, etiam tacente me, cogit animos mentesque
convertere. Omnibus in rebus, iudices, quae graviores
maioresque sunt, quid quisque voluerit, cogitarit, admiserit,
non ex crimine, sed ex moribus eius, qui arguitur, est pon-
derandum. Neque enim potest quisquam nostum subito fingi
neque cuiusquam repente vita mutari aut natura converti.
70 Circumspicite paullisper mentibus vestris, ut alia omittamus,
hosce ipsos homines, qui huic affines sceleri fuerunt. Cati-
lina contra rem publicam coniuravit. Cuius aures unquam
hoc respuerunt conatum esse hominem usque a pueritia non
solum intemperantia et scelere, sed etiam consuetudine et
studio in omni flagitio, stupro, caede versatum? quis eum
contra patriam pugnantem perisse miratur, quem semper
omnes ad civile latrocinium natum putaverunt? Quis Len-
tuli societates cum indicibus, quis insaniam libidinum, quis
perversam atque impiam religionem recordatur, qui illum
aut nefarie cogitasse aut stulte sperasse miretur? Quis de
C. Cethego atque eius in Hispaniam profectione ac de vol-
nere Q. Metelli Pii cogitat, cui non ad illius poenam carcer
71 aedificatus esse videatur? Omitto ceteros, ne sit infinitum.

§ 69. *de me* cet.] *de me ipso qui accusatus eram, aliquid dicere* P. Contra Cod. H. Stephani: *de me aliquid et de ipso, qui accusator est d.* — *cogit animos mentesque convertere. Omnibus*] Erf. *cogit. Omnibus* Parcensis pr. *cogit animus habetur. Omnibus* Parc. alter. *cogit animis. Omnibus* Bern. Manut.

§ 70. *usque a*] *a* P. Bern. — *versatum*] *grassatum* Erf.

§ 71. *quam nostra*] *quam a nostra* P. — *eius nomen*] *huius n.* P. — *non sua ante acta vita*] Bern. Codex Caroli Stephani. cfr. § 77. Reliquae lectt. omnes de interpolatione magis suspectae sunt: *non sua natura ac vita* Parc. *non sua consuetudo ac vita* Iunta, Ascens. 1531. Manut. *non sua haec vita* Venet. — *vi coactum et armis*] *vi et armis* Lamb. Fort. *vi coactis et armatis.*, ut pro Tullio 14. Caecin. 21, 59.

§ 70. *impiam religionem*] Cfr. Catil. 3, § 9. Salust. c. 47.

§ 71. *de C. Cethego*] Videtur in Hispaniam profectus esse ad Sertorium atque volnus aliquando inflixisse Q. Metello Pio.

Tantum a vobis peto, ut taciti de omnibus, quos coniurasse cognitum est, cogitetis; intelligetis unum quemque illorum prius a sua vita quam nostra suspicione esse damnatum. Ipsum illum Autronium (quoniam eius nomen finitimum maxime est huius periculo et crimini) non sua ante acta vita convincit? semper audax, petulans, libidinosus; quem in stuprorum defensionibus non solum verbis uti improbissimis solitum esse scimus, verum etiam pugnis et calcibus; quem exturbare homines e possessionibus, caedem facere vicinorum, spoliare fana sociorum, † vi conatum et armis disturbare iudicia, in bonis rebus omnes contemnere, in malis pugnare contra bonos, non rei publicae cedere, non fortunae ipsi succumbere. Huius si causa non manifestissimis rebus teneretur, tamen eum mores ipsius ac vita convincerent.

XXVI. Agedum, conferte nunc cum illis vitam P. Sullae, 72
vobis populoque Romano notissimam, iudices, et eam ante oculos vestros proponite. Ecquod huius factum aut commissum non dicam audacius, sed quod cuiquam paullo minus consideratum videretur? Factum quaero? Verbum ecquod unquam ex ore huius excidit, unde quisquam posset offendi? At vero in illa gravi L. Sullae victoria turbulentaque quis P. Sulla mitior, quis misericordior inventus est? quam multorum hic vitam est a L. Sulla deprecatus? quam multi sunt summi homines et ornatissimi et nostri et equestris ordinis, quorum pro salute se hic Sullae obligavit? quos ego nominarem: neque enim ipsi nolunt et huic animo gratissimo adsunt; sed quia maius est beneficium, quam posse debet civis civi dare, ideo a vobis peto, ut quod potuit, tempori tribuatis, quod fecit, ipsi. Quid 73

---

§ 72. *cum illis vitam*] *cum illius vitam* P. Bern. *cum illius vita vitam* Manut. — *Ecquod huius*] *Et quod est huius* P. — *verbum ecquod unquam*] *et quod unquam verbum* P. — *unde*] *inde* Parc. pr. *in quo* Parc. alter. *ut* Bern. Codex Car. Stephani. — *quis misericordior inventus est*] Erf. Om. haec P. Bern. Manut. — *se hic Sullae*] *hic se Sulla* (sic) P. — *neque enim ipsi*] *neque ipsi* P.

§ 73. *familiaris*] *familiarium* P. — *vehemens volnus*] *volnus vehemens* P. Bern. — *honestatis*] *honestatis enim* P.

---

§ 73. *celebratio*] Frequens clientum numerus eum cotidie salutatum venit.

reliquam constantiam vitae commemorem, dignitatem, liberalitatem, moderationem in privatis rebus, splendorem in publicis? quae ita a fortuna deformata sunt, ut tamen a natura inchoata compareant. Quae domus, quae celebratio quotidiana? quae familiaris dignitas? quae studia amicorum, quae ex quoque ordine multitudo? Haec diu multumque et multo labore quaesita una eripuit hora. Accepit P. Sulla, iudices, vehemens volnus et mortiferum, verumtamen eiusmodi, quod videretur eius vita et natura accipere potuisse. Honestatis et dignitatis habuisse nimis magnam iudicatus est cupiditatem; quam si nemo alius habuit in consulatu petendo, cupidior iudicatus est hic fuisse quam ceteri; sin etiam in aliis nonnullis fuit iste consulatus amor, fortuna
74 in hoc fuit fortasse gravior quam in ceteris. Postea vero quis P. Sullam nisi maerentem, demissum afflictumque vidit? quis unquam est suspicatus hunc magis odio quam pudore hominum adspectum lucemque vitare? Qui cum multa haberet invitamenta urbis et fori propter summa studia amicorum, quae tamen ei sola in malis restiterunt, afuit ab oculis vestris et, cum lege retineretur, ipse se exilio paene multavit. In hoc vos pudore, iudices, et in hac vita tanto sceleri locum fuisse creditis?

XXVII. Adspicite ipsum; contuemini os; conferte crimen cum vita; vitam ab initio ad hoc tempus explicatam
75 cum crimine recognoscite. Mitto rem publicam, quae fuit semper Sullae carissima; hosne amicos, tales viros, tam cupidos sui, per quos res eius secundae quondam erant ornatae, nunc sublevantur adversae, crudelissime perire voluit, ut cum Lentulo et Catilina et Cethego foedissimam vitam ac miserrimam, turpissima morte proposita, degeret? Non cadit, non, inquam, cadit in hos mores, non in hunc pudorem, non in hanc vitam, non in hunc hominem ista

---

§ 74. *demissum afflictumque*] *afflictum demissumque* P. — *lege retineretur*] *lege non moreretur* P. Ortumne est hoc monstrum e gloss. *lege non removeretur?* — *vitam* cet.] Erf. *conferte crimen cum vita usque ad hoc tempus explicata: tum crimen r.* Manut. tac. Torrentio.

§ 75. *non cadit, non, inquam*] Sic P. Cod. H. Stephani. *non, inquam, cadit* Manut.

suspicio; nova quaedam illa immanitas exorta est; incredibilis fuit ac singularis furor; ex multis ab adolescentia collectis perditorum hominum vitiis repente tanta ista importunitas inauditi sceleris exarsit. Nolite, iudices, arbitrari, 76
hominum illum impetum et conatum fuisse: neque enim ulla gens tam barbara aut tam immanis unquam fuit, in qua non modo tot, sed unus tam crudelis hostis patriae sit inventus. Beluae quaedam illae ex portentis immanes ac ferae, forma hominum indutae, exstiterunt. Perspicite etiam atque etiam, iudices; — nihil enim est, quod in hac causa dici possit vehementius; — penitus introspicite Catilinae, Autronii, Cethegi, Lentuli ceterorumque mentes. Quas vos in his libidines, quae flagitia, quas turpitudines, quantas audacias, quam incredibiles furores, quas notas scelerum, quae indicia parricidiorum, quantos acervos facinorum reperietis! Ex magnis et diuturnis et iam desperatis rei publicae morbis ista repente vis erupit, ut, ea confecta et eiecta, convalescere aliquando et sanari civitas posset. Neque enim est quisquam, qui arbitretur, illis inclusis in re publica pestibus, diutius haec stare potuisse. Itaque eos non ad perficiendum scelus, sed ad luendas rei publicae poenas Furiae quaedam incitaverunt. In hunc igitur gregem vos 77
nunc P. Sullam, iudices, ex his, qui cum hoc vivunt atque vixerunt, honestissimorum hominum gregibus reiicietis? ex hoc hominum numero, ex hac familiari dignitate in impiorum partem atque in parricidarum coetum ac numerum transferetis? Ubi erit igitur illud fortissimum praesidium pudoris? quo in loco nobis vita ante acta proderit? quod ad tempus existimationis partae fructus reservabitur, si in extremo discrimine ac dimicatione fortunae deseret, si non aderit, si nihil adiuvabit?

XXVIII. Quaestiones nobis servorum ac tormenta ac- 78

---

§ 76. *sed unus*] *sed nec unus* P. — *forma*] *formas* P.. — *posset*] Ern. *possit* P. Bern. — *haec stare*] Sic etiam P. *hoc imperium stare* Manut.

§ 77. *vos nunc*] *vos* Alter Torrentii Cod. — *fortissimum*] „Al. (scil. Lamb. susp.) *firmissimum.*“ Torr. — *ac dimicatione*] *ad mutationes* P. — *deseret*] *deserit* P. Bern.

§ 78. *accusator minitatur*] *minitatur* P. Non displicet. — *ut in tot - - relin-*

cusator minitatur; in quibus quamquam nihil periculi suspicamur, tamen illa tormenta gubernat dolor, moderatur natura cuiusque tum animi, tum corporis, regit quaesitor, flectit libido, corrumpit spes, infirmat metus, ut in tot rerum angustiis nihil veritati loci relinquatur. Vita P. Sullae torqueatur; ex ea quaeratur, num quae occultetur libido, num quod lateat facinus, num quae crudelitas, num quae audacia. Nihil erroris erit in causa nec obscuritatis, iudices, si a vobis vitae perpetuae vox ea, quae gravissima
79 debet esse, audietur. Nullum in hac causa testem timemus; nihil quemquam scire, nihil vidisse, nihil audisse arbitramur. Sed tamen, si nihil vos P. Sullae fortuna movet, iudices, vestra moveat: vestra enim, qui cum summa elegantia atque integritate vixistis, hoc maxime interest, non ex libidine aut simultate aut levitate testium causas honestorum hominum ponderari, sed in magnis disquisitionibus repentinisque periculis vitam unius cuiusque esse testem. Quam vos, iudices, nolite armis suis spoliatam atque nudatam obiicere invidiae, dedere suspicioni. Munite communem arcem bonorum, obstruite perfugia improborum; valeat ad poenam et ad salutem vita plurimum, quam solam videtis ipsam ex vi sua naturaque facillime perspici, subito flecti fingique non posse.

80 XXIX. Quid vero? haec auctoritas, (semper enim de ea dicendum est; quamquam a me timide modiceque dicetur): quid, inquam, haec auctoritas nostra, qui a ceteris coniurationis causis abstinuimus, P. Sullam defendimus, nihil hunc tandem iuvabit? Grave est hoc dictum fortasse, iudices; grave, si appetimus aliquid; si, cum ceteri de nobis silent, non etiam nosmet ipsi tacemus, grave; sed

---

quatur] *in tot - - relinquitur* P. — *vox ea*] *vox* P. — *gravissima*] *gravissima et verissima* P.

§ 79. *qui cum summa*] *qui summa* P. — *non ex - - ponderari*] *ne ex - - ponderetis* P. — *sed in* cet.] *sed in magnis repentinisque periculis et disquisitionibus vitam unius cuiusque testem ei esse sinatis* P. — *vita plurimum*] Sic P., quod supplementum necessarium esse perspexerunt iam plures; Lamb. proponens *valeat haec*, ego *valeat ea*, Matthiae *valeat vita cuiusque*. Volgo *plurimum*. — *fingique*] *frangique* P.

§ 80. *hunc tandem*] *haec*, *inquam* P. — *Grave - - iudices*] Erf. Om. haec P. Bern. Manut. — *concedetis*] *conceditis* P. Bern.

si laedimur, *si* accusamur, si in invidiam vocamur, pro-
fecto concedetis, iudices, ut nobis libertatem retinere liceat,
si minus liceat dignitatem. Accusati sunt omnes uno nomine 81
consulares, ut iam videatur honoris amplissimi nomen plus
invidiae quam dignitatis afferre. Adfuerunt, inquit, Cati-
linae illumque laudarunt. Nulla tum patebat, nulla erat
cognita coniuratio; defendebant amicum, aderant supplici,
vitae eius turpitudinem in summis eius periculis non inse-
quebantur. Quin etiam parens tuus, Torquate, consul reo
de pecuniis repetundis Catilinae fuit advocatus, improbo
homini, at supplici, fortasse audaci, at aliquando amico.
Cui cum adfuit post delatam ad eum primam illam coniu-
rationem, indicavit se audisse aliquid, non credidisse. At
idem non adfuit alio in iudicio, cum adessent ceteri. Si
postea cognorat ipse aliquid, quod in consulatu ignorasset,
ignoscendum est iis, qui postea nihil audierunt; sin illa
res prima valuit, non inveterata quam recens debuit esse
gravior. Sed si tuus parens etiam in illa suspicione peri-
culi sui tamen humanitate adductus advocationem hominis
improbissimi sella curuli atque ornamentis et suis et consu-
latus honestavit, quid est, quamobrem consulares, qui
Catilinae adfuerunt, reprehendantur? At iidem iis, qui 82
ante hunc causam de coniuratione dixerunt, non adfuerunt:
Tanto scelere adstrictis hominibus statuerunt nihil a se ad-
iumenti, nihil opis, nihil auxilii ferri oportere. Atque ut
de eorum constantia atque animo in rem publicam dicam,
quorum tacita gravitas et fides de uno quoque loquitur, neque
cuiusquam ornamenta orationis desiderat, potest dicere quis-
quam unquam meliores, fortiores, constantiores consulares
fuisse quam iis temporibus et periculis, quibus paene op-
pressa est res publica? Quis non de communi salute aper-

§ 81. *omnes uno*] Sic Lamb. *uno* P. Bern. — *laudarunt*] *laudaverunt* P. — *Si*] *sed* Erf. P. — *ignorasset*] *non nosset* P. — *sin illa res prima*] *si nulla R. P. ca* (*causa?*) P. — *in illa*] *in ipsa* Erf. — *quamobrem*] *quare* P.

§ 82. *dicere quisquam*] Erf. *quisquam dicere* P. Bern. Ern. — *ad testandam omnium memoriam*] Erf. (Lamb.) *attestante memoria omnium* Manut. tac. Torr. Ern.

§ 81. *reo de pecuniis repetundis*] reo a. u. c. 689. ex Africa, quam pro praetore obtinuerat atque incredibilem in modum vexarat.

tissime, quis non fortissime, quis non constantissime sensit? Neque ego praecipue de consularibus disputo: nam haec et hominum ornatissimorum, qui praetores fuerunt, et universi senatus communis est laus, ut constet, post hominum memoriam nunquam in illo ordine plus virtutis, plus amoris in rem publicam, plus gravitatis fuisse. Sed quia sunt descripti consulares, de his tantum mihi dicendum putavi, quod satis esset ad testandam omnium memoriam, neminem esse ex illo honoris gradu, qui non omni studio, virtute, auctoritate incubuerit ad rem publicam conservandam.

83 XXX. Sed quid? ego, qui Catilinam non laudavi, qui reo Catilinae consul non adfui, qui testimonium de coniuratione dixi in alios, adeone vobis alienus a sanitate, adeo oblitus constantiae meae, adeo immemor rerum a me gestarum esse videor, ut, cum consul bellum gesserim cum coniuratis, nunc eorum ducem servare cupiam et in animum inducam, cuius nuper ferrum rettuderim flammamque restinxerim, eiusdem nunc causam vitamque defendere? Si mediusfidius, iudices, non me ipsa res publica meis laboribus et periculis conservata ad gravitatem animi et constantiam sua dignitate revocaret, tamen hoc natura est insitum, ut, quem timueris, quicum de vita fortunisque contenderis, cuius ex insidiis evaseris, hunc semper oderis. Sed cum agatur honos meus amplissimus, gloria rerum gestarum singularis, cum quotiens quisquam est in hoc scelere convictus, totiens renovetur memoria per me inventae salutis, ego sim tam demens, ego committam, ut ea, quae pro salute omnium gessi, casu magis et felicitate a me quam virtute et consilio gesta esse videantur?

84 Quid ergo? hoc tibi sumis, dicet fortasse quispiam, ut quia tu defenderis, innocens iudicetur? Ego vero, iudices, non modo mihi nihil assumo, in quo quispiam repugnet, sed etiam si quid ab omnibus conceditur, id reddo ac remitto. Non in ea re publica versor, non iis temporibus

---

§ 83. *servare*] Erf. P. *conservare* Ern. — *laboribus et peric.*] *laboribus, peric.* P. — *in hoc*] *hoc* Lamb. — *virt. et cons.*] *cons. et virt.* P.

§ 84. *defenderis*] Sic etiam P. Bern. *defendis* Erf. — *mihi nihil*] Erf. Bern. *nihil mihi* Ern. — *meum caput*] Erf. *caput meum* Ern.

meum caput obtuli pro patria periculis omnibus, non aut ita sunt exstincti, quos vici, aut ita grati, quos servavi, ut ego mihi plus appetere coner quam quantum omnes inimici invidique patiantur. Grave esse videtur, eum, qui investi- 85
garit coniurationem, qui patefecerit, qui oppresserit, cui senatus singularibus verbis gratias egerit, cui uni togato supplicationem decreverit, dicere in iudicio: Non defenderem, si coniurasset. Non dico id, quod grave est; dico illud, quod in his causis coniurationis non auctoritati assumam, sed pudori meo: Ego ille coniurationis investigator atque ultor certe non defenderem Sullam, si coniurasse arbitrarer. Ego, iudices, de tantis omnium periculis cum quaererem omnia, multa audirem, crederem non omnia, dico hoc, quod initio dixi, nullius indicio, nullius nuntio, nullius suspicione, nullius litteris de P. Sulla rem ullam ad me esse delatam.

XXXI. Quamobrem vos, dii patrii ac penates, qui huic 86
urbi atque huic rei publicae praesidetis, qui hoc imperium, qui hanc libertatem populi Romani, qui haec tecta atque templa me consule vestro numine auxilioque servastis, testor integro me animo ac libero P. Sullae causam defendere; nullum a me sciente facinus occultari, nullum scelus susceptum contra salutem omnium defendi ac tegi. Nihil de hoc consul comperi, nihil suspicatus sum, nihil audivi. Itaque idem 87
ego ille, qui vehemens in alios, qui inexorabilis in ceteros esse visus sum, persolvi patriae, quod debui; reliqua iam a me meae perpetuae consuetudini naturaeque debentur. Tam

---

§ 85. *videtur*] Erf. P. Bern. (hi duo: *eum videtur.*) (ut mox: *quod grave est, non esset.*) *videretur* Ern. — *assumam*] *assumo* P. — *crederem non omnia*] Erf. *non crederem omnia* P. Bern. Ern. — *nullius indicio, nullius nuntio*] Erf. Sic consulto Cicero, ut § 14., sed inverso ordine. A cett. Codd., etiam P., absunt vv. *nullius nuntio.* — *nullius litteris de P. Sulla*] Erf. P. *nullius litteris de re publica P. Sullae* Ern.

§ 86. *atque huic rei publicae*] Erf. Parc. *atque huic imperio* Ern. — *qui hanc libertatem populi Romani*] Parc.; prorsus ut coniecit Bake Bibl. crit. n. 5, 2. p. 511. — *qui hanc libertatem, qui populum Romanum* Erf. Sed non suo loco posterius hoc membrum videtur; ferrem inverso. *qui hanc libertatem populumque Romanum* Bern. Ern. — *numine*] *munimine* P.

§ 87. *esse visus*] *visus* P. — *tum*] Erf. *tunc* (P.) Ern. — *amissa omnium*] Erf. *omnium amissa* Bern. Manut. tac. Torr. Ern. — *deducor*] *ducor* P.

sum misericors, iudices, quam vos, tam mitis quam qui lenissimus. In quo vehemens fui vobiscum, nihil feci nisi coactus; rei publicae praecipitanti subveni; patriam demersam extuli; misericordia civium adducti tum fuimus tam vehementes quam necesse fuit. Salus esset amissa omnium una nocte, nisi esset severitas illa suscepta. Sed ut ad sceleratorum poenam amore rei publicae sum adductus, sic ad
88 salutem innocentium voluntate deducor. Nihil video esse in hoc P. Sulla, iudices, odio dignum, misericordia digna multa. Neque enim nunc propulsandae calamitatis suae causa supplex ad vos, iudices, confugit, sed ne qua generi ac nomini suo nota nefariae turpitudinis inuratur. Nam ipse quidem si erit vestro iudicio liberatus, quae habet ornamenta, quae solatia reliquae vitae, quibus laetari ac perfrui possit? Domus erit, credo, exornata; aperientur maiorum imagines; ipse ornatum ac vestitum pristinum recuperabit. Omnia, iudices, haec amissa sunt; omnia generis nominis honoris insignia atque ornamenta unius iudicii calamitate occiderunt. Sed ne exstinctor patriae, ne proditor, ne hostis appelletur, ne hanc labem tanti sceleris in familia relinquat, id laborat, id metuit; ne denique hic miser coniurati et conscelerati et proditoris filius nominetur; huic puero, qui est ei vita sua multo carior, metuit, cui honoris integros fructus non sit traditurus, ne aeternam memoriam
89 dedecoris relinquat. Hic vos orat, iudices, parvus, ut se aliquando, si non integra fortuna, at ut afflicta patri suo

---

§ 88. *enim nunc*] *enim* P. — *reliquae*] P. Bern. Ern. *reliqua* Erf. — *ac perfrui*] Erf. *et p.* (P.) Ern. — *ac vestitum pristinum*] Erf. Vix adducor ut gloss. putem. cfr. Philipp. 14, 1. *redeundum ad pristinum vestitum.* Om. *pristinum* cett. Codd. cet. noti. Ern. — *occiderunt*] Erf. Ern. *conciderunt* P. Cod. H. Stephani. — *sceleris*] Erf. P. Cod. H. Stephani. Pith. — *generis* Bern. Manut. Ceterum P.: *in familia tanti sceleris.* — Vv. *ne denique - - carior metuit*, quae ex Erf. primus inseruit Gruterus, absunt a Parc. Bern.

§ 89. *at ut afflicta*] Erf. Parc. De repetito *ut*, quod hic affectui augendo inservit, cfr. Goerenz ad Legg. p. 125. — *at afflicta* Ern. — *itinera iud.*] Erf. *iud. itin.* P. Bern. Ern. — *quam campi et disciplinarum*] Erf. Ern. *quam disciplinarum* Bern. Manut. Interpolator Parc. et Henr. Stephani aliquid deesse sentiens, ut scholasticum hominem decebat, supplevit: *quam disciplinarum et scholae* (sic.) — *hac vita*] Erf. P. *vita hac* Ern. — *neque fort.*] Erf. P. Bern. *nec fort.* Ern. — *repetit*] *reposcit* P. — *suam calamitatem liceat*] *calamitatem suam possit* P. — *vos, iudices*] Erf. P. Bern. *iudices, vos* Ern. — *obtestatur*] *obtestor* P.

gratulari sinatis; huic misero notiora sunt itinera iudiciorum et fori quam campi et disciplinarum. Non iam de vita P. Sullae, iudices, sed de sepultura contenditur. Vita erepta est superiore iudicio; nunc, ne corpus eiiciatur, laboramus. Quid enim est huic reliqui, quod eum in hac vita teneat? aut quid est, quamobrem haec cuiquam vita videatur?

XXXII. Nuper is homo fuit in civitate P. Sulla, ut
nemo ei se neque honore neque gratia neque fortunis ante-
ferret; nunc spoliatus omni dignitate, quae erepta sunt non
repetit; quod fortuna in malis reliqui fecit, ut cum parente,
cum liberis, cum fratre, cum his necessariis lugere suam
calamitatem liceat, id sibi ne eripiatis, vos iudices, obte-
statur. Te ipsum iam, Torquate, expletum huius miseriis 90
esse par erat; etsi nihil aliud Sullae nisi consulatum abstu-
lissetis, tamen eo contentos vos esse oportebat: honoris
enim contentio vos ad causam, non inimicitiae deduxerunt.
Sed cum huic omnia cum honore detracta sint, cum in hac
fortuna miserrima ac luctuosissima destitutus sit, quid est,
quod expetas amplius? lucisne hanc usuram eripere vis,
plenam lacrimarum atque maeroris, in qua cum maximo
cruciatu ac dolore retinetur? Libenter reddiderit adempta
ignominia foedissimi criminis. An vero inimicum ut expel-
las? cuius ex miseriis, si esses crudelissimus, videndo fru-
ctum maiorem caperes quam audiendo. O miserum et in- 91
felicem illum diem, quo consul omnibus centuriis P. Sulla
renuntiatus est! o falsam spem! o volucrem fortunam! o cae-
cam cupiditatem! o praeposteram gratulationem! quam cito
illa omnia ex laetitia et voluptate ad luctum et lacrimas
reciderunt; ut qui paullo aute consul designatus fuisset,
repente nullum vestigium retineret pristinae dignitatis! Quid

---

§ 90. *huius miseriis esse*] Erf. P. *esse huius mis.* Ern. — *par erat*] Erf. P. Cod. H. Stephani. Ern. *pateat* Bern. Manut. — *contentos vos*] Erf. P. *vos contentos* Ern. — *miserrima*] Erf. *misera* (P.) Bern. Ern. — *expetas*] *expectes* P. — *vis*] *eius* P. — *ac dolore*] Erf. *atque dol.* Ern. (*dolore et cruciatu* P.) — *maiorem caperes*] Erf. *caperes maiorem* (P.) Bern. Ern.

§ 91. *et vol.*] *ex vol.* P. — *et lacr.*] *et ad lacr.* P. — *repente nullum vest. retineret*] Erf. *retineret repente nullum vest.* Ern. *ret. nullum rep. suffragium* „alias *vestigium*" P. — *fama, honore*] Erf. P. *honore, fama* Ern. — *relictus esset*] *relictus esse* P. Cod. H. Stephani. — *repperit*] Erf. *reperit* Ern. — *modo*] *malo* P.

enim erat mali, quod huic spoliato fama, honore, fortunis, deesse videretur? aut cui novae calamitati locus ullus relictus esset? Urget eadem fortuna, quae coepit; repperit novum maerorem; non patitur, hominem calamitosum uno modo afflictum uno in luctu perire.

92 XXXIII. Sed iam impedior egomet, iudices, dolore animi, ne de huius miseria plura dicam. Vestrae sunt iam partes, iudices; in vestra mansuetudine atque humanitate causam totam repono; vos, reiectione interposita, nihil suspicantibus nobis, repentini in nos iudices consedistis, ab accusatoribus delecti ad spem acerbitatis, a fortuna nobis ad praesidium innocentiae constituti. Ut ego quid de me populus Romanus existimaret, quia severus in improbos fueram, laboravi et quae prima innocentis mihi defensio est oblata, suscepi, sic vos severitatem iudiciorum, quae per hos menses in homines audacissimos facta sunt, lenitate
93 ac misericordia mitigate. Hoc cum a vobis impetrare causa ipsa debet, tum est vestri animi atque virtutis declarare, non esse eos vos, ad quos potissimum interposita reiectione, devenire convenerit. In quo ego, vos, iudices, quantum

---

§ 92. *miseria*] *miseriis* P. — *sunt iam*] Erf. P. *iam sunt* Ern. — *totam repono*] *tutam repono* Parc. pr. *totam reposco* Parc. sec. — *vos reiectione*] Ambros. P. Ern. *vos ex reiectione* Erf. *vos et reiectione* Bern. Manut. — *Ut ego, quid*] Erf. Bern. Ern. *Ego ut quid* Parcenses ambo. — *facta sunt*] Erf., ut volebat Lamb. *facta est* (P.) Bern. Ern.

§ 93. *a vobis impetrare*] Erf. *impetrare a vobis* (P.) Bern. Ern. — *causa ipsa*] Erf. *ipsa causa* (P.) Bern. Ern. — *vos, iudices*] Erf. *iudices, vos* (P.) Bern. Ern. — *in vos amor*] Erf. *amor in vos* (P.) Bern. Ern. — *in re p.*] Erf. P. Manut. *in rebus* Ern. — *nostra*] Bern. Lamb. *vestra* Erf. Ern. *et mea et vestra* P. „Optime!“ inquit Torrentius. Ego tamen de interpolatione timeo.

---

§ 92. *reiectione interposita*] Interrogationis in Vatinium Cap. 11. praecipue usus difficilem locum sic explicavit Garatonius: „Lege Lutatia de vi publica, qua in P. Sullam quaerebatur, nullus erat sortitioni iudicum locus et accusator totum consilium atque ipsum quaesitorem deligebat. Reiectio autem certi iudicum numeri rei fuit, non accusatoris. Itaque cum L. Torquatus quaesitorem ac iudices delegisset, iudicum *reiectio* a P. Sulla est *interposita*. In reiectorum locum alios quaesitor fortasse proposuerat, quibus Torquatus et subscriptores adquieturi viderentur.“ (Hoc tamen minus certum.) „Sed certe totum consilium quam tardissime potuere, iterum hi *delegerunt*.“ — Quae Scholiasta ad h. l. affert, ab ipso sunt conficta.

ıeus in vos amor postulat, tantum hortor, ut communi tudio, quoniam in re publica coniuncti sumus, mansuetuine et misericordia nostra falsam a nobis crudelitatis ımam repellamus.

M. TULLII CICERONIS
ORATIO
PRO
Q. LIGARIO.

MONITUM.

In Ligariana consului quattuor Codd., Erfurtensem Wunderi (*e.*), Gudianum II. (*g.*) membr. Sec. XIV. in Soldani Quaestionibus criticis in Cic. orationem pro Ligario. Hanoviae 1832. 4., Leidensem (*l.*) e Perizonianis N. 12., cuius collationem accuratissimam debeo Iano Bakio V. C.; hi tres annumerandi sunt meliori Codd. familiae, minus interpolatae; ex interpolatis est Bernensis (*b.*) N. 254., qui tamen habet nonnullas lectiones cum Coloniensi Cod., ut videtur, optimo conspirantes. Lectionem Codd. integram dedi, quorum ope et Madvigio semper consulto longe emendatior prodit haec oratio, quam legitur in Ed. maiore. *v.* (volgata) significat Ernestii recensionem.

ARGUMENTUM.

Q. Ligarius in bello civili obtinebat Africam, praefectus illi provinciae a C. Considio, cui legatus fuerat. Homines igitur in illis locis cum ducem quaererent adversus Caesarem, Ligarium cogitabant sequi imperatorem; qui tamen nulli se implicari negotio passus est. Hinc imperium detulerunt ad P. Atium Varum, qui ante Considium pro praetore Africam obtinuerat. A senatu interim mittitur in eam provinciam L. Tubero. Qui cum venisset Uticam, portu et urbe exclusus est a Ligario. Hanc ob causam statim post bellum Africanum Q. Tubero, illius filius, Ligarium apud Caesarem accusavit de vi. Sed eum Cicero ita defendit, ut Caesarem, qui vehementer ei tamquam hosti videbatur irasci, plane vel precibus exoraverit vel expugnaverit vi dicendi.

I. Novum crimen, C. Caesar, et ante hunc diem inauditum propinquus meus ad te Q. Tubero detulit, Q. Ligarium in Africa fuisse; idque C. Pansa, praestanti vir ingenio, fretus fortasse familiaritate ea, quae est ei tecum, ausus est confiteri. Itaque, quo me vertam, nescio. Paratus enim veneram, cum tu id neque per te scires neque audire aliunde potuisses, ut ignoratione tua ad hominis miseri salutem abuterer. Sed quoniam diligentia inimici investigatum 1

---

§ 1. *crimen Caesar* superscr. *Caii* (sic) l. *crimen ergo Caesar* g. — *non auditum* gl. — *teque Tubero* e. *te p. Tubero* l. — *famil. ea*] elb. *ea famil.* gv. — *quomodo dilig.* b. — *est, quod*] glv. (Item e: sed superscr. *id.*) *est, id quod* b. — *Pansa*] el. *C. Pansa* gbv. — *integrum iam*] egl. *iam int.* bv. — *oio* (cum lin.) *oratio* l.

---

§ 1. *propinquus*] quia eius pater, L. Aelius Tubero, affinis erat Ciceronis cap. 7. Falsum est enim, quod tradit Scholiasta Gronovianus, Quintum in matrimonium duxisse Ciceronis sororem. Cfr. ad Att. 13, 20. *Ad Ligarianam de uxore Tuberonis et privigna neque possum iam addere (est enim res pervolgata) neque Tuberonem volo offendere. Mirifice est enim φιλαίτιος. — C. Vibius Pansa,* Caesaris prius amicus, postea libertatis defensor, consul a. 711.: qui volneratus in priore proelio Mutinensi paulo post Bononiae mortuus est. — *praestanti vir ingenio*] Hoc extra reliquorum *εἰρωνείαν* positum est.

est, quod latebat, confitendum est, ut opinor; praesertim cum meus necessarius Pansa fecerit, ut id integrum iam non esset: omissaque controversia, omnis oratio ad misericordiam tuam conferenda est, qua plurimi sunt conservati, cum a te non liberationem culpae, sed errati veniam impe-
2 travissent. Habes igitur, Tubero, quod est accusatori maxime optandum, confitentem reum: sed tamen hoc confitentem, se in ea parte fuisse, qua te, qua virum omni laude dignum, patrem tuum. Itaque prius de vestro delicto confiteamini necesse est, quam Ligarii ullam culpam reprehendatis.

Q. enim Ligarius, cum esset nulla belli suspicio, legatus in Africam cum C. Considio profectus est; qua in legatione et civibus et sociis ita se probavit, ut decedens Considius provincia satisfacere hominibus non posset, si quemquam alium provinciae praefecisset. Itaque Ligarius, cum diu recusans nihil profecisset, provinciam accepit invitus; cui sic praefuit in pace, ut et civibus et sociis gratissima
3 esset eius integritas ac fides. Bellum subito exarsit: quod, qui erant in Africa, ante audierunt geri quam parari. Quo

---

§ 2. *habes enim* l. — *rerum* g. — *tamen hoc conf.*] egl. (in l. superscr. *ita.*) *tamen hoc ita conf.* b. *tamen ita conf.* v. sine Codd. auctoritate. *tamen conf.* Wunderi coni. — *conf. rerum* (pro: *reum*) *se* g. — *qua te*] egl. *qua te, Tubero* bv. — *Q. enim*] eglv. *Q. igitur* b. — *adhuc nulla* gb. (non el.) — *cum consule Considio* g. — *profecta est* l. — *Itaque Ligarius*] e. (sed superscr. *Q.*) gl. *Itaque Q. Ligarius* bv. — *accepit*] eglb. *accipit* v. — *cum sic* e. — *ut civibus* l. — *ac fides*] eg. *et fides* lbv.

§ 3. *ad*] egl. *et ad* bv. (*ad suam* l. Propter hanc lectionem et omissionem copulae vide, ne e gloss. haec sint: *ad suos redire cupiens.*) — *implicare* l. — *Accius* el. *Actius* gb. — *atque non* b. — *si illud imperium si illud imperium* g. *si istud imp.* b. *si tamen illud imp.* ex Havn. Madvig. (contra el., et est gloss.) — *quod a privato* eg. *quod in privato* l. — *clamorem* b.

---

§ 2. Q. Considius Longus anno 704. ex lege Pompeia et SCo pro praetore in Africam provinciam missus erat. In bello Africano, in quo militavit inter Pompeianos, concisus est a Gaetulis a. u. c. 707. v. Scriptorem Belli Africani c. 93.

§ 3. P. Atius Varus a. 703. pro praetore Africam obtinuerat. Occisus est in proelio Mundensi a. u. c. 709. (Scriptor belli Hisp. 31.) Cfr. Caesarem in B. C. 1, 30 et 31. *Africam sorte L. Tubero obtinere debebat. Cum in Africam venisset, invenit in provincia cum imperio Atium Varum, qui ad Auximum amissis*

audito, partim cupiditate inconsiderata, partim caeco quodam timore, primo salutis, post etiam studii sui quaerebant aliquem ducem; cum Ligarius domum spectans, ad suos redire cupiens, nullo se implicari negotio passus est. Interim P. Atius Varus, qui praetor Africam obtinuerat, Uticam venit: ad eum statim concursum est. Atque ille non mediocri cupiditate arripuit imperium, si illud imperium esse potuit, quod ad privatum clamore multitudinis imperitae, nullo publico consilio deferebatur. Itaque Ligarius, 4
qui omne tale negotium cuperet effugere, paullum adventu Vari conquievit.

II. Adhuc, C. Caesar, Q. Ligarius omni culpa vacat. Domo est egressus non modo nullum ad bellum, sed ne ad minimam quidem suspicionem belli: legatus in pace profectus, in provincia pacatissima ita se gessit, ut ei pacem esse expediret. Profectio certe animum tuum non debet offendere: num igitur remansio? Multo minus; nam profectio voluntatem habuit non turpem, remansio necessitatem etiam honestam. Ergo haec duo tempora carent crimine: unum, cum est legatus profectus; alterum, cum efflagitatus a provincia, praepositus Africae est. Tertium tempus est, quo 5
post adventum Vari in Africa restitit: quod si est criminosum, necessitatis crimen est, non voluntatis. An ille, si potuisset ullo modo evadere, Uticae quam Romae, cum P. Atio quam cum concordissimis fratribus, cum alienis

---

§ 4. *Adhuc ergo Caesar* g. — *domo egressus* el. (sed l. cum lin. super syll. *sus*. Fort. *domo egressus est.*) — *'ullum* (sic) l. — *profectus est* l. — om. *pacatissima* l. — om. *habuit* g. sed marg. adscr. signo post *turpem* facto. — *necessitatem etiam*] egb. *etiam nec.* lv. — *cum esset* g. — *efflagitatus provincia* l.

§ 5. *tempus est*] eglb. (*quod Tertium tempus est* g.) *est tempus* v. — *quod post* egl. — *potuisset*] egl. *potuisset illinc* bv. — *Uticae*] Colon. el. (sed in el. superscr. *potius*.) *Uticae potius* gbv. — *concordantissimis* l. — *fratrum quendam* lb. om. *quendam* g. — *animo esse* superscr. *quo* cum lin. id est, *quomodo*.

---

cohortibus protinus ex fuga in Africam pervenerat atque eam sua sponte vacuam occupaverat dilectuque hominum duas legiones effecerat, notitia et usu eius provinciae nactus aditus ad ea conanda, quod paucis ante annis ex praetura eam provinciam obtinuerat. Hic venientem Uticam navibus Tuberonem portu atque oppido prohibet neque affectum valetudine filium exponere in terram patitur, sed sublatis ancoris excedere eo loco cogit.

esse quam cum suis maluisset? Cum ipsa legatio plena desiderii ac sollicitudinis fuisset propter incredibilem quendam fratrum amorem, hic aequo animo esse potuit belli discidio
6 distractus a fratribus? Nullum igitur habes, Caesar, adhuc in Q. Ligario signum alienae a te voluntatis. Cuius ego causam, animadverte, quaeso, qua fide defendam: prodo meam. O clementiam admirabilem atque omnium laude, praedicatione, litteris monumentisque decorandam! M. Cicero apud te defendit alium in ea voluntate non fuisse, in qua se ipsum confitetur fuisse, nec tuas tacitas cogitationes extimescit nec, quid tibi de alio audienti de se ipso occurrat, reformidat.

III. Vide, quam non reformidem! vide, quanta lux liberalitatis et sapientiae tuae mihi apud te dicenti oboriatur! Quantum potero, voce contendam, ut hoc populus Roma-
7 nus exaudiat. Suscepto bello, Caesar, gesto etiam ex parte magna, nulla vi coactus, iudicio ac voluntate ad ea arma profectus sum, quae erant sumpta contra te. Apud quem igitur hoc dico? Nempe apud eum, qui, cum hoc sciret, tamen me, antequam vidit, rei publicae reddidit: qui ad me ex Aegypto litteras misit, ut essem idem, qui fuissem: qui me, cum ipse imperator in toto imperio populi Romani unus esset, esse alterum passus est: a quo, hoc ipso C. Pansa mihi hunc nuntium perferente, concessos fasces laureatos tenui,

---

§ 6. *adhuc* superscr. *crimen* e. — *cuius ergo* g. — *prodo*] egb. *prodeo (sic)* superscr. *dum* et *probo* (sic) l. *cum prodo* v. prob. Wundero p. XXVIII. — *omnium*] eg. *omni* lbv. — *cum M.* eg. *cum et M.* l. — *aput* g. — *ne quid* l. — *audiente* l. — *de se occ.* b. — *reformidet* l. — *quantum reform.* g. — *tuae apud* superscr. *mihi* l. — *dicendi* l. — *voce* superscr. *formidinem* e. — *hoc populus*] egl. *populus hoc* bv. *populus* Wunder.

§ 7. *parte magna*] egl. Quintil. 9, 2, 28. 11, 3, 166. *magna parte* bv. — *iudicio meo ac* g. — *qui me cum*] Col. b. *me* ante v. *alterum* eglv. — *passus a quo* cum lineola l. — *a quo, ipso* b. — *mihi hunc nuntium*] Schol. Gronov. Colon. *C. Pansa hii nuntium perf.* l. sed del. *hii* et superscr. *mihi* post v. *nuntium. mihi nuntium* egbv. — *laureatos fasces* e. — *mihi denique* b. — *salute* g. — *reddere*] eglb. *dare* v.

---

§ 7. *ad ea arma*] in castra Pompeiana a. u. c. 706. — *ex Aegypto*] ubi gerebat bellum Alexandrinum a. u. c. 707. — *fasces laureatos*] quos qui a militibus appellati erant imperatores tenebant, donec imperium deponerent. Cicero autem imperator appellatus est propter captam Pindenissum, Eleutherocilicum urbem, fascesque laureatos tenuisse videtur usque ad mensem Octobrem a. 708.

quoad tenendos putavi: qui mihi tum denique se salutem putavit reddere, si eam nullis spoliatam ornamentis dedisset.
Vide, quaeso, Tubero, ut, qui de meo facto non dubitem, 8
de Ligarii audeam dicere. Atque haec propterea de me dixi, ut mihi Tubero, cum de se eadem dicerem, ignosceret; cuius ego industriae gloriaeque faveo vel propter propinquam cognationem, vel quod eius ingenio studiisque delector, vel quod laudem adolescentis propinqui existimo etiam ad meum aliquem fructum redundare. Sed hoc quaero: quis putat 9
esse crimen fuisse in Africa? Nempe is, qui et ipse in eadem Africa esse voluit et prohibitum se a Ligario queritur et certe contra ipsum Caesarem est congressus armatus. Quid enim, Tubero, tuus ille destrictus in acie Pharsalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? quae tua mens, oculi, manus, ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? Nimis urgeo; commoveri videtur adolescens: ad me revertar; iisdem in armis fui.

---

§ 8. *non dubito* b. — *non dubitem, de Ligarii audeam dicere*] Quintil. 5, 10, 93. Colon. (sed: *de Ligario.*) qui consensus optimi Cod. cum Quintiliano gravissimi est momenti. l. (sed *confiteri* pro *dicere.*) Ut l., item e., sed superscr. *dicere* post v. *dubitem* et *non audeam.* (*non* abest a l.) sicque: *non dubitem, de Ligarii non audeam confiteri* Madvig. *non dubitem dicere, de Ligarii non audeam confiteri* gbv. Scil. cum in Codd. v. *dubitem* superscriptum esset, ut in e., *dicere*, eo recepto in ordinem *non dubitem dicere, de Ligarii audeam dicere*, hoc stare non posse videntes alteri *dicere* substituerunt v. *confiteri*, et intruserunt praeterea *non* ante v. *audeam.* Sententia haec est: „Cum tam libere ac sine ullo metu de meo facto coram Caesare loquar, facile intelliges me de Ligarii facto, re minoris momenti, aeque libere dicere ausurum esse." — *vel laudem* g.

§ 9. *putat*] el. *putet* gbv. *in Africa*] e. superscr. post haec vv. *Ligarium.* l. superscr. *Ligarium* post v. *crimen.* — *in Africa Ligarium* gbv. — *prohibitum esse se a Ligario* b. *prohibitum se ex Lig.* el. (id est: *pr. se esse a Lig.*) — *tuus ille destr.*] eglb. *destr. ille tuus* v. (*districtus* egl.) — *animorum tuorum* g. — *isdem* g.

---

§ 9. Plutarch. Cic. c. 39. *ἐπεὶ ἀρξάμενος λέγειν ὁ Κικέρων ὑπερφυῶς ἐκίνει καὶ προὔβαινεν αὐτῷ πάθει τε ποικίλος καὶ χάριτι θαυμαστὸς ὁ λόγος, πολλὰς μὲν (λέγεται) ἱέναι χρόας ἐπὶ τοῦ προσώπου τὸν Καίσαρα, πάσας δὲ τῆς ψυχῆς τρεπόμενος τροπὰς κατάδηλον εἶναι. τέλος δὲ τῶν κατὰ Φάρσαλον ἁψαμένου τοῦ ῥήτορος ἀγώνων, ἐκπαθῆ γενόμενον τιναχθῆναι τῷ σώματι καὶ τῆς χειρὸς ἐκβαλεῖν ἔνια τῶν γραμματίων, τὸν γοῦν ἄνθρωπον ἀπέλυσε τῆς αἰτίας βεβιασμένος.*

10 IV. Quid autem aliud egimus, Tubero, nisi ut, quod
hic potest, nos possemus? Quorum igitur impunitas, Cae-
sar, tuae clementiae laus est, eorum ipsorum ad crudelita-
tem te acuet oratio? Atque in hac causa nonnihil equidem,
Tubero, etiam tuam, sed multo magis patris tui pruden-
tiam desidero; quod homo cum ingenio, tum etiam doctrina
excellens genus hoc causae quod esset, non viderit: nam,
si vidisset, quovis profecto quam isto modo a te agi maluis-
set. Arguis fatentem; non est satis: accusas eum, qui cau-
sam habet aut, ut ego dico, meliorem quam tu: aut, ut tu
11 vis, parem. Haec admirabilia: sed prodigii simile est,
quod dicam. Non habet eam vim ista accusatio, ut Q. Li-
garius condemnetur, sed ut necetur. Hoc egit civis Roma-
nus ante te nemo. Externi isti mores usque ad sanguinem
incitari odio, aut levium Graecorum aut immanium barbaro-
rum. Nam quid agis aliud? Romae ne sit? ut domo careat?
ne cum optimis fratribus, ne cum hoc T. Broccho, avun-
culo, ne cum eius filio, consobrino suo, ne nobiscum vivat?
ne sit in patria? Num est? num potest magis carere his
omnibus, quam caret? Italia prohibetur, exsulat. Non tu
12 ergo hunc patria privare, qua caret, sed vita vis. At istud
ne apud eum quidem dictatorem, qui omnes, quos oderat,

---

§ 10. *hic possunt* b. — *ergo Caesar* g. — *acuit* egb. (non l.) — *tum ing.* b. — *quovis* superscr. *alio* l. — *ego dicam* e. — *ut vis* b.

§ 11. *haec admirabilia, sed*] Colon. *haec non modo mirabilia, sed* egl. *haec non modo mirabilia sunt, sed* bv. — *prodigii similia, quae* lb. *pr. similia sunt, quae* g. — *ista accusatio eam vim* g. *vim ista oratio ista accusatio* l. — *accusatio tua* e. — *sed necetur* b. — *externi isti mores*] egb. *externi isti mores* superscr. post *isti* v. *sunt* l. *externi isti sunt mores* v. — *usque* superscr. *qui* l. — *incitari odio*] Madvig. in Ed. *incitari solent odio* eg. *incitari solet odio* l. *incitari solent odium* b. *mores. Usque ad s. incitari solet odium aut* v. — *agis aliud*] egl. *aliud agis* bv. — *Romae*] eglb. *ut Romae* v. — *avunculo*] Colon. b. *avunculo suo* eglv. — om. vv. *ne nobiscum vivat* b. — *num est* superscr. *ita* l. — om. *hunc* l. — *ergo domo patria* g. — *patria, qua* superscr. *privare* e.

§ 12. *Ac ista* b. — *multabat morte* b. — *ipse videbat* g. — *primus etiam* superscr. *praemiis* l. — om. *etiam* g. — *ab hoc eodem*] egl. *ab hoc etiam* b. *ab eodem* v. — *quem tu nunc*]egb. *quem tu me crudelis* superscr. *nunc tu* l. om. *tu* v. —

---

§ 11. *T.* Furius *Brocchus*, homo alioquin ignotus.

§ 12. *praemiis*] Plutarch. Sulla 31. *προέγραψε δὲ τῷ μὲν ὑποδεξαμένῳ καὶ διασώσαντι τὸν προγεγραμμένον ζημίαν τῆς φιλανθρωπίας ὁρίζων θάνατον, οὐκ*

morte multabat, quisquam egit isto modo. Ipse iubebat occidi, nullo postulante; praemiis etiam invitabat; quae tamen crudelitas ab hoc eodem aliquot annis post, quem tu nunc crudelem esse vis, vindicata est.

V. Ego vero istud non postulo, inquies. Ita mehercule existimo, Tubero. Novi enim te, novi patrem, novi domum nomenque vestrum; studia generis ac familiae vestrae virtutis, humanitatis, doctrinae, plurimarum artium atque optimarum nota mihi sunt. Itaque certo scio vos non petere sanguinem. 13
Sed parum attenditis. Res enim eo spectat, ut ea poena, in qua adhuc Q. Ligarius sit, non videamini esse contenti. Quae est igitur alia praeter mortem? Si enim est in exilio, sicuti est, quid amplius postulatis? an, ne ignoscatur? Hoc vero multo acerbius multoque durius. Quod nos [domi] petimus precibus, lacrimis, strati ad pedes, non tam nostrae causae fidentes quam huius humanitati, id ne impetremus, pugnabis? et in nostrum fletum irrumpes? et nos

---

om. *esse* b. — *id non* e. — *mehercule*] eglb. *mehercle* v. — om. *Tubero* g. — *studia generis*] egl. *studia denique generis* bv. — *mihi sunt*] Colon. b. *mihi sunt omnia* egl. *sunt mihi omnia* v.

§ 13. *certo vos scio* l. — *eo spectat* superscr. *sc. mortem* e. *eo mortem spectat* b. — *ut enim ea* b. — *adhuc Ligarius* b. — *est in exilio*] egl. *in exilio* b. *in exilio est* v. — *ignoscat* b. om. vv. *an ne ignoscatur* g. — *durius*] egl. *est durius* v. (*multo acerbius hoc est, multo est durius* b.) — *quod ne vos* b. — *domi* suspectum Fabricio et Madvigio. — (*petimus* omnes mei, non *petiimus*.) — *precibus, lacrimis*] egl. *prec. et lacr.* bv. — *prostrati* b. — *humanitatis* b. — *oppugnabis* egl. (non b.) — *erumpes* l.

ἀδελφὸν, οὐχ υἱὸν, οὐ γονεῖς ὑπεξελόμενος· τῷ δ' ἀποκτείναντι γέρας δύο τάλαντα τῆς ἀνδροφονίας κἂν δοῦλος δεσπότην, κἂν πατέρα υἱὸς ἀνέλῃ. a. u. c. 672. — *vindicata*] Suet. Caes. 11. *In exercenda de sicariis quaestione eos quoque sicariorum numero habuit, qui proscriptione ob relata civium capita pecunias ex aerario acceperant* a. u. c. 690. — *novi patrem*] L. Aelium Tuberonem, qui scripsit historiam. ad Q. fr. 1, 1. cfr. de Quinti quoque Tuberonis accusatoris Ligarii historia Krausii Vitas hist. Rom. Berolini 1833. p. 321. — *generis*] gentis Aeliae, ex qua v. c. Sextus Aelius Catus, *iuris quidem civilis omnium peritissimus, sed etiam ad dicendum paratus;* de Orat. 1, 45, 198. L. Aelius Stilo *eruditissimus et Graecis litteris et Latinis antiquitatisque scriptorumque veterum litterate peritus;* Brut. 56, 205. — *familiae*] Tuberonum, inter quos illustris erat avus accusatoris Q. Aelius Tubero, Stoicus, *vir eruditus et honestus homo et nobilis;* pro Murena 36, 75.

14 iacentes ad pedes supplicum voce prohibebis? Si, cum hoc
domi faceremus, quod et fecimus et, ut spero, non frustra
fecimus, tu repente irrupisses et clamare coepisses: „C. Cae-
sar, cave ignoscas, cave te fratrum pro fratris salute obse-
crantium misereatur;“ nonne omnem humanitatem exuisses?
Quanto hoc durius, quod nos domi petimus, id a te in foro
oppugnari? te in tali miseria multorum perfugium miseri-
15 cordiae tollere? Dicam plane, Caesar, quod sentio. Si in
hac tanta tua fortuna lenitas tanta non esset, quantam tu
per te, per te, inquam, obtines (intelligo, quid loquar), acer-
bissimo luctu redundaret ista victoria. Quam multi enim
essent de victoribus, qui te crudelem esse vellent, cum
etiam de victis reperiantur? quam multi, qui, cum a te
ignosci nemini vellent, impedirent clementiam tuam, cum
etiam ii, quibus ipse ignovisti, nolint te esse in alios mise-
16 ricordem? Quodsi probare Caesari possemus in Africa Li-
garium omnino non fuisse; si honesto et misericordi men-
dacio saluti civi calamitoso esse vellemus, tamen hominis
non esset in tanto discrimine et periculo civis refellere et
redarguere nostrum mendacium: et, si esset alicuius, eius
certe non esset, qui in eadem causa et fortuna fuisset.
Sed tamen aliud est errare Caesarem nolle, aliud nolle mi-
sereri. Tum diceres: „Caesar, cave, credas: fuit in Africa;
tulit arma contra te.“ Nunc quid dicis? „Cave ignoscas.“
Haec nec hominis nec ad hominem vox est: qua qui
apud te, C. Caesar, utitur, suam citius abiiciet humani-
tatem, quam extorquebit tuam.

---

§ 14. *Sic cum* l. *Sed cum* g. — om. *hoc* b. — *fecimus ut* l. — *repente*] egl. *derepente* bv. — *irrueres* l. — *C. Caesar*] elb. *ergo Caesar* g. *Caesar* v. — *C. Caesar, cave credas, cave ign.* b. — *misereat* eb. — *a te oppugnari* g. — *te in*] Madvig. Libri *et in.* — *Caesar*] e. Item l., sed superscr. *C. C. Caesar* gbv.

§ 15. *in tanta* b. — *quam tu* egl. (non b.) — *tu per te, inquam* el. — *quod loquor* lb. — om. vv. *cum - - reperiantur* g. — *quam multi cum a* g. Item e., sed superscr. *qui.* — *ignosci nemini*] eglb. *nemini ignosci* v. — *tuam clementiam* g. — *te esse in alios*] elb. *te in alios esse* g.? v.

§ 16. *civi calamitoso esse vellemus*] eglb. *civis calamitosi consultum esse vellemus* v. — *redarguere*] eglb. ut Tusc. 2, § 5. *redargui refellique.* *coarguere* v. Vitii origo manifesta fit ex b.: *refellere eo redarguere*, quod correxerunt *ref. et coarg.* — *aliud est nolle* egl. *aliud non* b. — *Tunc* egl. — *Caesar, cave*] eglb.

VI. Ac primus aditus et postulatio Tuberonis haec, 17
ut opinor, fuit, velle se de Q. Ligarii scelere dicere. Non dubito, quin admiratus sis, vel quod de nullo alio quisquam vel quod is, qui in eadem causa fuisset, vel quidnam novi sceleris afferret. Scelus tu illud vocas, Tubero? cur? Isto enim nomine illa adhuc causa caruit. Alii errorem appellant; alii timorem; qui durius, spem, cupiditatem, odium, pertinaciam; qui gravissime, temeritatem: scelus praeter te adhuc nemo. Ac mihi quidem, si proprium et verum nomen nostri mali quaeritur, fatalis quaedam calamitas incidisse videtur et improvidas hominum mentes occupavisse; ut nemo mirari debeat humana consilia divina necessitate esse superata. Liceat esse miseros; 18
quamquam hoc victore esse non possumus: sed non loquor de nobis; de illis loquor, qui occiderunt. Fuerint cupidi, fuerint irati, fuerint pertinaces: sceleris vero crimine, furoris, parricidii liceat Cn. Pompeio mortuo, liceat multis aliis carere. Quando hoc quisquam ex te, Caesar, audivit? aut tua quid aliud arma voluerunt nisi a te contumeliam propulsare? quid egit tuus ille invictus exercitus, nisi ut suum ius tueretur et dignitatem tuam? Quid? tu, cum pacem esse cupiebas, idne agebas, ut tibi cum sceleratis, an ut cum bonis civibus conveniret? Mihi vero, Caesar, 19

cave, Caesar v. — *in Africa*] gl. *in Africa* superscr. *Ligarius* e. *in Africa Ligarius* bv. — *ne hominis* b. — *quia qui* g. *quod qui* l. — *ergo Caesar* g. — *utitur*] e. *utetur* glbv. — *humanitatem tuam* g.

§ 17. Om. *scelere* gl. — *sceleris*] eglb. *facinoris* v. — *vocasti* eb. (non gl. nec Schol. Lucani 7, 313.) — *isto nomine* l. et Schol. Lucani. — *cur illa* l. — *cui grav.* l — *quaeritur*] Colon. *quaeratur* eglbv. — *occupasse* l.

§ 18. *qu. victore te* b. — *fuerunt* ter l. — *parricidii Cn.* gl. — Om. vv. *Cn. Pompeio mortuo liceat* e. — om. *aliis* el. — *ex te quisquam* b. Madvig. (non egl.) — *propulsari* b. — om. *ille* egl. (non b.)

§ 19. Om. *Caesar* b. — *tuam me* g. — *cum tot*] egl. *si tot* bv. — *cessio-*

§ 18. *contumeliam*] quae in eo posita erat, quod Caesaris absentis rationem in comitiis haberi non patiebantur eius inimici. Caes. B. C. 1, 9. *doluisse se,* inquit, *quod populi Romani beneficium sibi per contumeliam ab inimicis extorqueretur ereptoque semestri imperio* (quo quinquennium expleretur, in quod Caesari Galliae lege Pompeii et Crassi concessae erant; Bell. Gall. 8, 53.): *in urbem retraheretur, cuius absentis rationem haberi proximis comitiis populus iussisset.* MATTH.

§ 19. *utrisque cupientibus*] Aliter loquitur cum oratorem agit, aliter cum

tua in me maxima merita tanta certe non viderentur, si me ut sceleratum a te conservatum putarem. Quomodo autem tu de re publica bene meritus esses, cum tot sceleratos incolumi dignitate esse voluisses? Secessionem tu illam existimavisti, Caesar, initio, non bellum; neque hostile odium, sed civile dissidium; utrisque cupientibus rem publicam salvam, sed partim consiliis, partim studiis a communi utilitate aberrantibus. Principum dignitas erat paene par; non par fortasse eorum, qui sequebantur: causa tum dubia, quod erat aliquid in utraque parte, quod probari posset: nunc melior ea iudicanda est, quam etiam dii adiuverunt. Cognita vero clementia tua, quis non eam victoriam probet, in qua occiderit nemo nisi armatus?

20 VII. Sed, ut omittam communem causam, veniamus ad nostram, utrum tandem existimas facilius fuisse, Tubero, Ligarium ex Africa exire, an vos in Africam non venire? Poteramusne, inquies, cum senatus censuisset? Si me consulis, nullo modo. Sed tamen Ligarium senatus item legaverat. Atque ille eo tempore paruit, cum parere senatui

---

nem l. — *existimasti* lb. — *neque hostile*] egl. *nec host.* b. *non host.* v. — *in civile* superscr. *et* l. *nec civile* b. — *discidium* egl. — *salvam esse* Colon. b. — *causa dubia* l. — *melior*] egl. Schol. Lucani 1, 128. *melior certe* bv. — *iudicanda ea est* g. — *dii ademerunt* in marg. *dii adiuverint* (sic) l. — *occideret* l.

§ 20. Volgo distinguitur: *sed, ut omittam c. causam, veniamus ad nostram. Utrum* cet. Distinxi cum Madvigio, qui ex marg. Lamb. *veniam* pro *veniamus* recepit. — om. vv. *Ligarium - - - sed tamen* b. — *Ligarium*] egl. *Ligario* v. — *an vos*] gl. *vel vos* e. *an vobis* v. — *inquies*] egl. *inquis* v. — *Atque idem eo* g. — *vos tunc* egl. — *deprehendi igitur* l. — *nostro generi nostrae familiae disciplinae* l.

---

amico: ad Att. 8, 11. *Dominatio quaesita ab utroque est; non id actum, beata et honesta civitas ut esset.* 10, 4.: *Utrique semper patriae salus et dignitas posterior sua dominatione et domesticis commodis fuit.* Steinmetz. — *non par fortasse*] Maxime quia inter Pompeianos permulti fuerant homines inconsulti ac temerarii. Cfr. ad Att. 9, 11. *illic vero omnes quae portenta putas ostendere? sermones minaces, inimicos optimatium, municipiorum hostes, meros Sullas.* 11, 6. *Me discessisse ab armis nunquam poenituit; tanta erat in illis crudelitas, tanta cum barbaris gentibus coniunctio, ut non nominatim, sed generatim proscriptio esset informata, ut iam omnium iudicio constitutum esset omnium vestrum bona praedam esse illius victoriae* cet. 11, 9. *genus belli videbam, imparata et infirma omnia contra paratissimos.* Pompeianos autem, ut volt Manutius, h. l. Caesarianis anteponere non poterat orator.

necesse erat: vos tum paruistis, cum paruit nemo, qui noluit. Reprehendo igitur? Minime vero: neque enim licuit aliter vestro generi, nomini, familiae, disciplinae. Sed hoc non concedo, ut, quibus rebus gloriemini in vobis, easdem
in aliis reprehendatis. Tuberonis sors coniecta est ex sena- 21
tus consulto, cum ipse non adesset, morbo etiam impediretur: statuerat excusare. Haec ego novi propter omnes necessitudines, quae mihi sunt cum L. Tuberone. Domi una eruditi, militiae contubernales, post affines, in omni denique vita familiares: magnum etiam vinculum, quod iisdem studiis semper usi sumus. Scio igitur Tuberonem domi manere voluisse: sed ita quidam agebat, ita rei publicae sanctissimum nomen opponebat, ut etiamsi aliter sentiret, verborum tamen ipsorum pondus sustinere non
posset. Cessit auctoritati amplissimi viri vel potius paruit. 22
Una est profectus cum iis, quorum erat una causa; tardius iter fecit. Itaque in Africam venit iam occupatam. Hinc in Ligarium crimen oritur vel ira potius: nam, si crimen est ullum voluisse, non minus magnum est vos Africam, arcem omnium provinciarum natam ad bellum contra hanc urbem gerendum obtinere voluisse quam aliquem se maluisse. Atque is tamen aliquis Ligarius non fuit. Varus

---

§ 21. *Tuberoni* eglb. — *morbo impediretur* superscr. *etiam* l. — Fort. *excusari*. — *propter hominis* b. — *domum eruditi* g. — *isdem* g. — *studiis usi* b. — *agebat*] el. *agebant* gl. *aiebat* v. (*ita quid et agebat* superscr. *quidam aiebant* l.) — *opponebant* gl. (non e.) *obtinebant* b. Pluralem probat Soldan; sed manifecto hic idem ille significatur, quem paullo post *amplissimum virum* vocat.

§ 22. *cum his* g. — *tardius tunc fecit* g. — om. vv. *Nam si - - non fuit* b. — *est ullum voluisse*] Palat. sext. et nonus. *est illum voluisse* egv. Item l. sed superscr. (post v. *illum*) *prohibere*, ut sit: *est illum prohibere voluisse*. — *arcem omn. prov.*] egl. *omn. prov. arcem* v. — *obtinere voluisse quam aliquem se maluisse*] egl. *obtinere*, *quam aliquem*, *maluisse* v.

---

§ 21. Cfr. ad § 2. — *militiae*] bello Marsico s. sociali, quo Cicero in exercitu Cn. Pompeii Strabonis tiro fuit a. u. c. 665. Philipp. 12, 11. — *quidam*] fortasse Cn. Pompeius ipse, vel ut visum Grutero, M. Cato. Sed de his mortuis tecte loqui vix quidquam attinebat. Ego interpretor de M. Marcello, quem significat tantummodo, ne Caesaris in eum odium refricet. Sic ex optimorum Codd. testimonio eius nomen siletur etiam in § 37.

§ 22. *natam ad bellum*] uti demonstratum erat bellis Punicis.

23 imperium se habere dicebat; fasces certe habebat. Sed quoquo modo se illud habet, haec querela vestra quid valet? „Recepti in provinciam non sumus.“ Quid si essetis? Caesarine eam tradituri fuistis, an contra Caesarem retenturi?

VIII. Vide, quid licentiae, Caesar, nobis tua liberalitas det vel potius audaciae. Si responderit Tubero Africam, quo senatus eum sorsque miserat, tibi patrem suum traditurum fuisse, non dubitabo apud ipsum te, cuius id eum facere interfuit, gravissimis verbis eius consilium reprehendere. Non enim si tibi ea res grata fuisset, esset etiam
24 probata. Sed iam hoc totum omitto; non tam ne offendam tuas patientissimas aures, quam ne Tubero, quod nunquam cogitavit, facturus fuisse videatur. Veniebatis igitur in Africam provinciam, unam ex omnibus huic victoriae maxime infestam, in qua erat rex potentissimus, inimicus huic causae, aliena voluntas conventus firmi atque magni. Quaero, quid facturi fuistis. Quamquam, quid facturi fueritis, dubitem, cum videam, quid feceritis? Prohibiti estis in provincia vestra pedem ponere, et prohibiti summa cum iniuria.

---

§ 23. *se illud*] glb. *illud se* e. *sese illud* v. — *habeat* gl. (non eb.) *vestra, quid*] e. superscr. *Tubero.* - *nostra Tubero quid* g. *Tubero nostra quid* l. *vestra, Tubero, q.* bv. (*quod* b.) — *fuistis*] Lamb. Madvig. *fuissetis* omnes mei. v. — *liberalitas debet* superscr. *dat* l. — *patrem suum* superscr. „vel *patri suo*“ e. — *apud ipsum cuius* superscr. *te* post v. *apud* l. — *gratissimis* superscr. *gravissimis* l. — *haec res* b.

§ 24. *tam, ne*] g. *tam propter id ne* el. *tam ut non* b. *tam, ut ne* v. — *qua ne* g. — *facturus esse* e. — om. *maxime* g. — *in qua rex* b. — *rex Iuba* g. — *voluntas conventûs firmi*] Sic distinxi. *voluntas, conv. firmi* v. *voluntas firmi conventus* g. — *facturi fuistis* superscr. *fuissetis* l. *facturi fuissetis* b. — *dubitem*] Colon. v. *non dubitem* eglb. — *quod feceritis* l. — *prohibiti summa*] egl. *prohibiti, ut perhibetis, summa* bv. — *summa iniuria* gl.

---

§ 24. *huic victoriae*] Pharsalicae. — *rex potentissimus*] Iuba, Hiempsalis filius, qui per Numidiam ad Mauretaniam usque late regnabat, cui *paternum hospitium erat cum Pompeio.* Caesar B. C. 2, 25. Utica capta ab omnibus civitatibus exclusus precibus a servo suo impetravit, ut se interficeret. — *aliena voluntas*] scil. a partibus Caesaris, cum cives Romani ibi degentes totaque provincia magis faverent Pompeio. — *conventus*] Civium Romanorum in urbe aliqua provinciae habitantium universitatis s. corporis. Etenim genitivus est singularis, non ut multi incisum ante v. *conventus* ponentes statuunt nom. plur. Qui autem conventus h. l. significetur, ignoramus. *Uticenses* certe *pro quibusdam Caesaris in se beneficiis illi amicissimi* erant. Bell. Civ. 2, 36.

Quomodo id tulistis? Acceptae iniuriae querelam ad quem 25
detulistis? Nempe ad eum, cuius auctoritatem secuti in
societatem belli veneratis. Quodsi Caesaris causa in provin-
ciam veniebatis, ad eum profecto exclusi provincia venisse-
tis. Venistis ad Pompeium. Quae est ergo apud Caesarem
querela, cum eum accusetis, a quo queramini prohibitos
vos contra Caesarem gerere bellum? Atque in hoc quidem
vel cum mendacio, si voltis, gloriemini per me licet vos
provinciam fuisse Caesari tradituros. Etiamsi a Varo et a
quibusdàm aliis prohibiti estis, ego tamen confitebor culpam
esse Ligarii, qui vos tantae laudis occasione privaverit.

IX. Sed vide, quaeso, Caesar, constantiam ornatissimi 26
viri, L. Tuberonis: quam ego, quamvis ipse probarem, ut
probo, tamen non commemorarem, nisi a te cognovissem
in primis eam virtutem solere laudari. Quae fuit igitur un-
quam in ullo homine tanta constantia? constantiam dico?
nescio, an melius patientiam possim dicere. Quotus enim
istud quisque fecisset, ut, a quibus in dissensione civili non
esset receptus, esset etiam cum crudelitate reiectus, ad eos
ipsos rediret? Magni cuiusdam animi atque eius viri,
quem de suscepta causa propositaque sententia nulla contu-
melia, nulla vis, nullum periculum possit depellere. Ut 27
enim cetera paria Tuberoni cum Varo fuissent, honos, nobi-

---

§ 25. *quae est ergo apud*] e. *quae enim apud* l. *quae est ergo haec apud* g.? v. (Etiam b. servat *haec.*) — *accusetis*] egl. *accusatis* bv. — *queramini* corr. *queremini* (sic) l. *querimini* b. — *prohibitos vos*] Colon. *prohibitos esse vos* egl. *vos prohibitos* bv. — *gerere bellum*] eglb. *bellum gerere* v. — *si voltis, gloriemini*] Colon. *si velitis gloriari* egl. *si vis gloriari* b. *si vultis gloriari* v. — *Caesari tradituros fuisse* b. Madvig. — *a quibusdam*] eg. *quibusdam* lbv. — *tradituros. Etiamsi - - estis, ego*] Madvig. *tradituros, etiamsi - - essetis. Ego* Libri. v. — *ego tamen*] egl. *ego tum* b. *ego autem* v. — *confiteor* glb. (non e.)

§ 26. *Caesar*] egl. *C. Caesar* bv. — *viri Tuberonis* gl. In e. vv. omissa *viri L.* superscr. — *probarim* el. (non gb.) — *possem* b. — *quisque istud* e. (non glb.) — *a quibus partibus* eglb. (Nostra lectio est in Palatt. Colon.) — *esset etiam*] eg. *essetque etiam* lbv. — *eiectus* b. — *eos ipsos* superscr. *eas ipsas* e. — *eas ipsas* b. (Firmant masc. gl.) — *cuiusquam* b. — *viri, quem*] eglb. *v. esset, q.* v. Puto fuisse *eius est viri.* — *possit*] eg. *posset* lbv.

§ 27. Om. *honos* b. — *praecipuum Tuberonis*] Colon. *praecipuum* superscr. *fuit* el. *praecipuum Tuberonis fuit* gbv. — *Tuberoni* per rasuram l. (*Tuberoni* etiam Colon.) — *in aliquam*] el. *aliquam in* gbv. — *causam eam* l. — *secutus erat* egl.

litas, splendor, ingenium, quae nequaquam fuerunt; hoc certe praecipuum Tuberonis, quod iusto cum imperio ex senatus consulto in provinciam suam venerat. Hinc prohibitus non ad Caesarem, ne iratus, non domum, ne iners, non in aliquam regionem, ne condemnare causam illam, quam secutus esset, videretur: in Macedoniam ad Cn. Pompeii castra venit, in eam ipsam causam, a qua erat reiectus
28 cum iniuria. Quid? cum ista res nihil commovisset eius animum, ad quem veneratis, languidiore, credo, studio in causa fuistis: tantummodo in praesidiis eratis, animi vero a causa abhorrebant: an, ut fit in civilibus bellis * * * nec in vobis magis quam in reliquis; omnes enim vincendi studio tenebamur. Pacis equidem semper auctor fui: sed tum sero; erat enim amentis, cum aciem videres, pacem cogitare. Omnes, inquam, vincere volebamus: tu certe praecipue, qui in eum locum venisses, ubi tibi esset pereundum, nisi vicisses: quamquam, ut nunc se res habet, non dubito, quin hanc salutem anteponas illi victoriae.

29 X. Haec ego non dicerem, Tubero, si aut vos constantiae vestrae, aut Caesarem beneficii sui poeniteret. Nunc quaero, utrum vestras iniurias, an rei publicae persequamini? Si rei publicae: quid de vestra in illa causa perse-

---

(non b.) — *ad Mac.* superscr. *in* l. — *in Cn.* b. — *et eam* b. — *reiectus iniuria* e. superscr. *cum. reiectus in iniuria* g. *reiectus iniuria* l.

§ 28. *fuisti* l. — *alii vero* l. — *an ne* superscr. *ut* b. — *bellis * * nec*] „Exciderunt, quae proprie de Tuberonum studio dicta erant." MADVIG. Volgo defectus non notatur. — *omnes enim*] eglb. om. *enim* v. — *tenebamur* superscr. „vel *tenebantur.*" e. — *viderem* l. — *omnes, omnes, inquam* Goerenzii coni. — *veneras* egl. (non b.) — *nisi vinceres* vel *vincisses* g. — *quamquam enim ut* e. (non glb.) — *habent* g. — *res habet se* b. — *quin etiam hanc* b. — *anteponas illi quam habere potuisses si vinceres victoriae. hoc* (sic) *ego* l.

§ 29. *si aut* (voc. eraso) *constantiae*, in marg. *nos* (sic) suppletur. l. — *constantiae vestrae* aut *nostrae* l. — *vestra in illa*] eg. *vestra nulla* l. *vestra in ea* bv. — *si vestras iniurias videte* l. — *videor*] el. *videor, Caesar* gbv. — *esse occupatus*] eglb. *occup. esse* v. — *misericordiae*] gl. *misericordiae* superscr. *tuae* e. *misericordiae tuae* bv.

---

§ 28. *pacis equidem*] Ad Famil. 6, 6. *Quid ego praetermisi aut monitorum aut querelarum, cum vel iniquissimam pacem iustissimo bello anteferrem?* Phil 10, 24. *pacis, concordiae, compositionis auctor esse non destiti.*

/erantia respondebitis? si vestras, videte, ne erretis, qui
Caesarem vestris inimicis iratum fore putetis, cum igno-
'erit suis.

Itaque num tibi videor in causa Ligarii esse occupatus?
ıum de eius facto dicere? Quidquid dixi, ad unam sum-
nam referri volo vel humanitatis vel clementiae vel mise-
·icordiae. Causas, Caesar, egi multas, et quidem tecum, 30
lum te in foro tenuit ratio honorum tuorum; certe nunquam
ıoc modo: Ignoscite, iudices; erravit; lapsus est;
ıon putavit; si unquam posthac. Ad parentem sic
ıgi solet: ad iudices, Non fecit, non cogitavit; falsi
testes, fictum crimen. Dic te, Caesar, de facto Ligarii
iudicem esse: quibus in praesidiis fuerit, quaere. Taceo;
ne haec quidem colligo, quae fortasse valerent etiam apud iu-
dicem; „Legatus ante bellum profectus, relictus in pace, bello
oppressus, in eo ipso non acerbus, † totus animo ac studio
tuus.“ Ad iudicem sic agi solet; sed ego ad parentem loquor:
Erravit, temere fecit, poenitet: ad clementiam tuam confugio,
delicti veniam peto; ut ignoscas, oro. Si nemo impetravit,
arroganter; si plurimi, tu idem fer opem, qui spem dedisti.
An sperandi Ligario causa non sit, cum mihi apud te locus 31
sit etiam pro altero deprecandi? Quamquam neque in hac
oratione spes est posita causae nec in eorum studiis, qui a
te pro Ligario petunt, tui necessarii.

---

§ 30. *multas equidem* gb. — *foro* superscr. *Romano* l. *in foro te* b. — *bonorum* e. — *si nunquam* g. — *agi solet. Sic agi solet ad iud.* b. — *quetere* (sic) b. — *ne hoc quidem* l. — *Ligarius ante* b. — *eo ipso*] egl. *eo* bv. — *acerbus*] (sic lv.) *acerbus* superscr. *fuit* e. *acerbus fuit* gb. — *totus*] g. (?). Dresd. — *tum etiamsi totus* e. (?) *tam et si totus* l. *tamen etsi totus* b. *tum etiam totus* v. *iam est totus* Madvigii suspicio. — om. *animo* b. — *ac studio*] e. *et studio* gbv. In l. *totus ac studio tuus* superscr. *et animo* post v. *studio*. — om. vv. *agi solet* b. — *apud par.* egl. — *erravit, temere fecit*] b. *erravi, t. feci* eglv. — om. *tuam* b. — *ignoscatur* gl. — *fieri opem* superscr. *fer* l.

§ 31. *locus sit*] e. *sit locus* glbv. — *nec in hac oratione* l. *nec in hac ratione* e. *nec in altero hac oratione* g. — *posita huic causae* gl. — *nec meorum* l. — *qui necessarii* a sec. manu l. — *gratiosiores*] Colon. gb. e. a sec. manu. — *gratiosius* l. *gratiores* e. a pr. manu. *graviores* v. — *esse quam preces* superscr. *vultus* el. *esse quam preces* g. — *te spectare*] e. *te expectare* g. *te id expectare* l. *spectare te* v. *spectare* b. — *necessarius, qui* gl. — *qui oraret* g. — *qua*, correctum *quae illius* e. — *illius* superscr. *causa* e. *illius causa* b. — *tribuis quidem* eg. *tribuis quidem* superscr. *tribuisti* l. *tribuisti quidem* b. — om. *ita* e. — *illi*] Colon. *esse illi* e. *illi esse* glv.

XI. Vidi enim et cognovi, quid maxime spectares, cum
pro alicuius salute multi laborarent: causas apud te rogan-
tium gratiosiores esse quam voltus: neque te spectare, quam
tuus esset necessarius is, qui te oraret, sed quam illius,
pro quo laboraret. Itaque tribuis tu quidem tuis ita multa,
ut mihi beatiores illi videantur interdum, qui tua liberalitate
fruantur, quam tu ipse, qui illis tam multa concedas. Sed
video tamen apud te causas, ut dixi, valere plus quam pre-
ces, ab iisque te moveri maxime, quorum iustissimum vi-
32 deas dolorem in petendo. In Q. Ligario conservando mul-
tis tu quidem gratum facies necessariis tuis; sed hoc, quaeso,
considera, quod soles. Possum fortissimos viros, Sabinos,
tibi probatissimos, totumque agrum Sabinum, florem Italiae,
robur rei publicae proponere. Nosti optime homines: anim-
adverte horum omnium maestitiam et dolorem. Huius
T. Brocchi, de quo non dubito quid existimes, lacrimas
33 squaloremque ipsius et filii vides. Quid de fratribus dicam?
Noli, Caesar, putare, de unius capite nos agere: aut tres
tibi Ligarii retinendi in civitate sunt aut tres ex civitate ex-
terminandi. Quodvis exilium his est optatius, quam patria,
quam domus, quam dii penates, uno illo exulante. Si fra-
terne, si pie, si cum dolore faciunt, moveant te horum

---

esse beatiores illi b. — *fruantur*] Colon. *fruuntur* Codd. mei et v. — *concedas*] eglb. *concedis* v. — *apud te causas* superscr. *rogantium* post v. *te*. l. — *ut dixi causas* b. — *valere*] egl. *rogantium valere* bv. — *ab hisque* g. — *videas dolorem*] elb. *dolorem videas* g.? v.

§ 32. *multis tuis* b. — *necessariis. sed* b. — *totum agrum* l. — *robur*] b. *ac robur* eglv. — *ponere* b. — *optimos* egl. — om. *omnium* l. — *quod* e. — *existimas* b.

§ 33. *retinendi civit.* b. — *e civ.* e. — *nam quodvis* egl. (non b.) — *moneant* - - *moneat* - *moneat* b. — *moveat fruternitas, valeat* l. — *quae dicit* b. — *te civem dicere* l. — *videsne hunc* l. — *splendorem omnium* egl. — *L. Macrum* e. a pr. manu. (corr. *Marcum.*) — *L. Macrum* g. *L. Macharum* superscr. *Marcium* l. — *C. Carcium* superscr. *Caesetium* l. *L. Cestium* g. — *L. Corsidium* (sic) superscr.

---

§ 32. *Sabinis* mores tribuebantur simplices ac severi, in primis etiam fortitudo bellica. — *T. Brocchi*] avunculi § 11.

§ 33. ad Att. 13, 44. *Brutus mihi T. Ligarii verbis nuntiavit, quod appelletur L. Corfidius in oratione Ligariana, erratum esse meum, sed ut aiunt, μνημονικὸν ἁμάρτημα. Sciebam Corfidium pernecessarium Ligariorum; sed cum video*

lacrimae, moveat pietas, moveat germanitas; valeat tua vox illa, quae vicit. Te enim dicere audiebamus nos omnes adversarios putare, nisi qui nobiscum essent: te omnes, qui contra te non essent, tuos. Videsne igitur hunc splendorem, omnem hanc Brocchorum domum, hunc L. Marcium, C. Caesetium, L. Corfidium, hosce omnes equites Romanos, qui adsunt veste mutata, non solum notos tibi, verum etiam probatos viros? Tecum fuerunt. Atque his irascebamur, hos requirebamus, his nonnulli etiam minabantur. Conserva igitur tuis suos: ut, quemadmodum cetera, quae dicta sunt a te, sic hoc verissimum reperiatur.

XII. Quodsi penitus perspicere posses concordiam Liga- 34
riorum, omnes fratres tecum iudicares fuisse. An potest quisquam dubitare, quin, si Q. Ligarius in Italia esse potuisset, in eadem sententia futurus fuerit, in qua fratres fuerunt? Quis est, qui horum consensum conspirantem et paene conflatum in hac prope aequalitate fraterna non noverit? qui hoc non sentiat, quidvis prius futurum fuisse, quam ut hi fratres diversas sententias fortunasque sequerentur? Voluntate igitur omnes tecum fuerunt: tempestate abreptus est unus; qui si consilio id fecisset, esset eorum similis, quos tu tamen salvos esse voluisti. Sed ierit ad bellum, 35
discesserit non a te solum, verum etiam a fratribus, hi te

Cornificium l. *L. Cornificium* b. — *hos omnes* egl. (non b.) — *notos verum* l. — *viros. Tecum fuerunt*] Ex coni. mea, recepta etiam a Madvigio. *viros, qui tecum fuerunt* egl. *viros tecum fuisse* bv. — *et hos req.* b. *et his* b. — *nonnullis* l. — *minabantur*] glb. *minabamur* ev. — *a te dicta sunt, a te sic* b.

§ 34. *tecum iudicares fuisse* superscr. rursus *tecum* post v. *iudicares* l. — *fuisset futurus* egl. (non b.) Malim *fuerit futurus.* — *quisque horum* l. — *quis hoc* l. a sec. manu. — *hi ut* b. — om. *sequerentur* b. — *fecissent* g.

§ 35. *sed ierit* superscr. *tamen* post *sed* l. — *dissenserit* eg. (non lb.) — *qualis* superscr. *tuus* e. *qualis tum* l. (?) b. — om. *nisi* e. — *quam hoc* el. — *quam*

---

ante mortuum. Da igitur, quaeso, negotium Pharnaci, Antaeo, Salvio (scriptoribus librariis), *ut id nomen ex omnibus libris tollatur.* Sed videntur iam nimis multa exempla clarissimae orationis facta fuisse, ut id fieri non posset. Ern.

§ 35. *T. Ligarius*] pro Balbo c. 27. *C. Caesarem senatus et genere supplicationum amplissimo ornavit et numero dierum novo. Idem in angustiis aerarii victorem exercitum stipendio affecit.* Ex his intelligitur T. Ligarium quaestorem ur-

orant tui. Equidem, cum tuis omnibus negotiis interessem, memoria teneo, qualis tum T. Ligarius quaestor urbanus fuerit erga te et dignitatem tuam. Sed parum est me hoc meminisse: spero etiam te, qui oblivisci nihil soles nisi iniurias, quoniam hoc est animi, quoniam etiam ingenii tui, te aliquid de huius illo quaestorio officio, etiam de aliis qui-
36 busdam quaestoribus reminiscentem recordari. Hic igitur T. Ligarius, qui tum nihil egit aliud (neque enim haec divinabat), nisi ut tu eum tui studiosum et bonum virum iudicares, nunc a te supplex fratris salutem petit. Quam huius admonitus officio cum utrisque his dederis, tres fratres optimos et integerrimos non solum sibi ipsis neque his tot ac talibus viris neque nobis necessariis, sed etiam rei pu-
37 blicae condonaveris. Fac igitur, quod de homine nobilissimo et clarissimo fecisti nuper in curia, nunc idem in foro de optimis et huic omni frequentiae probatissimis fratribus. Ut concessisti illum senatui, sic da hunc populo, cuius voluntatem carissimam semper habuisti: et, si ille dies tibi gloriosissimus, populo Romano gratissimus fuit; noli, obsecro, dubitare, C. Caesar, similem illi gloriae laudem quam saepissime quaerere. Nihil est tam populare quam bonitas; nulla de virtutibus tuis plurimis nec admirabilior nec gratior misericordia est; homines enim ad deos nulla re propius

---

etiam elb. — *quaestoris off.* b. — *officio*] g. *officio* superscr. *cogitantem* el. *officio cogitantem* bv.

§ 36. *hoc div.* b. *hoc* (sic) *damnabat* superscr. *divinabat* l. — *ut tu eum tui studiosum*] Colon. (sed *tuis.*) *ut tu eum studiosum tui* v. *ut tu eum studiosum* eglb. *ut tui studiosum* Wunder. Madvig. *ut eum tui studiosum* Soldan. — *sibi ipsis* Ern. susp. (Mei quattuor *s. ipsos.*) — *his totalibus* l. — *necessariis*] Colon. b. — *necessariis tuis* egl. *nec. suis* v. — *condonabis* gl. (non eb.) *condonaris* Margo Lamb.

§ 37. *clarissimo*] g. Item e., sed in marg. *M. Marcello restituto.* Item l., sed in marg. *viro M. Marcello* (hinc Lamb.: *clarissimo viro*) — *clarissimo M. Marcello* v. — *clarissimam* g. — *dubitarę ergo Caesar* l. (Ut aliquoties. *G.* scil. praenomen explicavit $\overset{e}{g}$, id est *ergo*) — *glorios. et rei publicae* b. — *tam*] gl. Item e., sed superscr. *enim.* *enim tam* bv. — *est misericordia* b.

---

banum fuisse Cn. Cornelio Lentulo, L. Marcio Philippo coss. a. u. c. 698., cum Caesar in Galliis bellum gerebat. Steinmetz.

§ 37. *M. Marcello*] qui consul a. u. c. 705 inprimis id pugnaverat, ne Caesaris absentis ratio haberetur in comitiis consularibus. Ad Fam. 4, 4. *Caesar*

accedunt quam salutem hominibus dando. Nihil habet nec 38 fortuna tua maius, quam ut possis, nec natura melius, quam ut velis servare quam plurimos. Longiorem orationem causa forsitan postulat, tua certe natura breviorem. Quare, cum utilius esse arbitrer te ipsum quam me aut quemquam loqui tecum, finem iam faciam: tantum te admonebo, si illi absenti salutem dederis, praesentibus his omnibus te daturum.

---

§ 38. *salute hom. danda* b. — *natura*] Colon. glb. *natura tua* ev. — *conservare* b. — *forsan* e. — Alibi cum v. *forsitan* Tullius iungit coniunctivum, sed h. l. propter verba *tua certe natura br.*, quibus de hoc membro omnis dubitatio excluditur, necessario requiritur indicativus. — *esse* in e. margini adscriptum. — *arbitror* l. — *quam me*] egl. *quam aut me* bv. — *te*] egl. *te ipsum* bv. — *dederis* in e. margini adscriptum. — om. *omnibus* b. *omnibus daturum* superscr. *te* el. (non gv.)

---

accusata acerbitate Marcelli - - repente praeter spem dixit se senatui roganti de Marcello ne hominis quidem causa negaturum. Matthiae.

M. TULLII CICERONIS

PRO

REGE DEIOTARO

AD

C. CAESAREM

ORATIO.

MONITUM.

Praeter ea, quae praebuerunt Madvigii, Steinmetzii, Frotscheri editiones, consului codices praecipue tres, Erfurtensem, Leidensem Perizonianum N. 12. et Bernensem, eosdem, quorum auxilio emendavi Ligarianam. Optimus inter hos est Erfurtensis (e.); ex eadem familia Leidensis (l.), permultis tamen vitiis inquinatus; Bernensis (b.) simillimus Stephaniani, volgaris, sed accuratius scriptus quam Leidensis. Verum ubi hi tres, duo melioris, unus peioris originis, in verborum ordine conspirant, is pro vera Tullii manu haberi debet atque omnino notandum est familiam deteriorem, quemadmodum b. et Havniensem Madvigii, item Oxonn. nonnullas servasse lectiones unice veras, in meliore familia oblitteratas. Itaque in rectiore verborum ordine restituendo maxime profecimus. Cum autem innumerabilia sint in his Codd. scripturae vitia, in eo me continui, ut, ubi ab Ernestio (E.) discedendum esset, aut ubi dubitatio aliqua de vera lectione remaneret, librorum eorum auctoritates apponerem.

Frotscherus in Ed. Deiotarianae dedit „Varias scripturas Codicis Ms. Bibliothecae Leidensis N. 1401. in 8." „Codicem istum," inquit, „P. Burmannus maior olim contulerat cum Graev. Ed. et ab ea discrepantes scripturas appinxerat eiusdem Ed. exemplari ei, quod cum postea P. Burmanni secundi beneficio ad Io. Aug. Ernestium pervenisset in Senatus Lips. bibliotheca asservatur." Permulta habet similia cum Leidensi Perizoniano N. 12., sed aut ab eo diversus est, aut, si idem est, manca et parum accurata est Burmanni collatio, ut ex hoc specimine colligas licet. Ubi posui notam o significat, lectiones mecum a Bakio communicatas non commemorari in Burmanni collatione.

Cod. Leidensis a Bakio collatus cum Ed. mea maiore.	Cod. Leidensis a Burmanno collatus cum Ed. Graeviana.
§ 1. gravibus	o
soleam et vehementius	soleam et vehementius
reum capitis	o
§ 2. eum quem	eum quem
ante	o
solebamus po. ro. perpetuis	solebamus Po. Ro.
crudelis Castor	Crudelis Castor
nepos animi in capitis discrimen	o
intulerit cuius	intulerit cuius
impulerit a	o
§ 3. accusantes	o
cum hos videbam	o
om. cum verba audiebam	*om.* cum verba audiebam
cum maiori	cum maiori
quaestione dolore licere veram	
vocem profert	o
invicto	o
extortus socius vel quem	extortus socius vel quem

In §§ 4—6 varietates XIV. notavit Bakius, quarum nulla omnino memoratur a Burmanno, sed demum e § 7. unam is habet, in qua quinque Bakius cet.

ARGUMENTUM.

Deiotarus tetrarcha Gallograeciae sive Galatiae, quod summa erat in Romanos fide, a Pompeio Armeniae minoris regno donatus est et rex a senatu appellatus. His ille beneficiis permotus, cum in bello civili Pompeio auxilia misisset, Caesaris animum offendit. Itaque Caesar, cum bello Alexandrino composito in Asiam profectus Pharnacem, Ponti regem, superasset, etiam Deiotarum regno Armeniae multavit, concesso tamen nomine regio et ceteris senatus beneficiis relictis. Idem, cum eo tempore ad regem devertisset, liberalissime ab hoc habitus est magnificeque donatus. Graves autem inimicitiae intercedebant Deiotaro cum Castore nepote ex filia, quae Saocondario nupserat. Itaque Castor Phidippum, servum medicum perfide ab avo abductum, misit, qui Romae accusaret avum, quod Caesari apud se deversanti insidias struxisset. Legati Deiotari causam ad Ciceronem detulerunt, veterem eius hospitem atque amicum. Is causa suscepta coram Caesare intra domesticos parietes Deiotarum defendit et non modo caput accusationis diluit, sed cetera etiam, quae criminis confirmandi gratia allata erant, veluti de odio Deiotari in Caesarem, de exercitu contra eum comparato et alia. Habita est oratio C. Iulio Caesare IV. consule sine collega eodemque dictatore a. u. c. 709. *Varr.*

I. Cum in omnibus causis gravioribus, C. Caesar, ini- 1
tio dicendi commoveri soleam vehementius, quam videatur
vel usus vel aetas mea postulare, tum in hac causa ita me
multa perturbant, ut, quantum mea fides studii mihi affe-
rat ad salutem regis Deiotari defendendam, tantum facul-
tatis timor detrahat. Primum dico pro capite fortunisque
regis; quod ipsum etsi non iniquum est in tuo dumtaxat
periculo, tamen est ita inusitatum, regem reum capitis esse,
ut ante hoc tempus non sit auditum. Deinde eum regem, 2
quem ornare antea cuncto cum senatu solebamus pro per-
petuis eius in nostram rem publicam meritis, nunc contra
atrocissimum crimen cogor defendere. Accedit, ut accusa-

---

§ 1. *videatur*] Colon. O4x. Frotscher. *videtur* elb. E. — *reum capitis*] el., id quod praestat vel propter syllabarum *re*, *re* repetitionem. *capitis reum* b. E.

§ 2. *solebamus*] el. *solebam* b. Ern. Cfr. de Rep. 1, 6, 10. *Quasi vero maior cuiquam necessitas accidere possit, quam accidit n o b i s! in qua quid facere p o t u i s s e m, nisi tum consul f u i s s e m?* — *Crudelis Castor*] el. *crudelem Castorem* b. E. (Hunc accusativum e sequentibus ortum esse arbitror: atque omnino initio orationis exclamatio minus apposita videtur.) — *capitis discr.*] el. *discr. cap.* b. E. — *et ab scelere*] Colon. b. *et scelere* el. E. — *impulerit*] el. *impulerit et* b. E.

---

§ 1. *commoveri*] Divinat. Caecil. 13: *ita deos mihi velim propitios, ut, cum illius diei mihi venit in mentem, quo die citato reo mihi dicendum sit, non solum commoveor animo, sed etiam toto corpore perhorresco.* pro Cluentio 18.: *Semper equidem magno cum metu incipio dicere; quotienscunque dico, totiens mihi videor in iudicium venire non ingenii solum, sed etiam virtutis atque officii.* — *aetas*] a. u. c. 709. annos LXI. natus erat.

§ 2. *quem ornare*] ad Fam. 15, 4. *Rex Deiotarus, cui non sine causa plurimum semper et meo et tuo* (M. Catonis) *et senatus iudicio tributum est, vir cum benevolentia et fide erga P. R. singulari, tum praesentia et magnitudine et animi et consilii* cet. Philipp. 11, 33. *Quid de patre Deiotaro dicam? cuius benevolentia in P. R. est ipsius aequalis aetati, qui non solum socius imperatorum nostrorum fuit in bellis, verum etiam dux copiarum suarum.* — *nepos*] ex filia, quae Saocondario nupserat, teste Strabone, cuius verba vide ad § 25. Contra Suidas in v. *Κάστωρ* generum Deiotari, ab hoc postea una cum filia occisum, dicit Castorem rhetorem Graecum, qui inter alia *χρονολογικὰ ἀγνοήματα* scripsit. Probabilior tamen auctor Strabo, Suidaeque error ex eo fluxisse videtur, quod Castorem, Deiotari nepotem, confudit cum Castore chronologo et rhetore: minus enim probabile est duos fuisse Deiotari generos Saocondarium et Castorem, Saocondariique filio avunculi Castoris nomen esse impositum. — *servum*] Phidippum medicum. — *a pedibus*] quia servus cum esset, non sedebat cum legatis, quibuscum venerat, sed ad eorum pedes iacebat. MANUT. Verr. 1, 36, 92. *habebat circum pedes homines formosos et litteratos.*

torum alterius crudelitate, alterius indignitate conturber. Crudelis Castor, ne dicam sceleratum et impium; qui nepos avum in capitis discrimen adduxerit adolescentiaeque suae terrorem intulerit ei, cuius senectutem tueri et tegere debebat, commendationemque ineuntis aetatis ab impietate et ab scelere duxerit; avi servum, corruptum praemiis, ad accusandum dominum impulerit, a legatorum pedibus ab-
3 duxerit. Fugitivi autem dominum accusantis, et dominum absentem et dominum amicissimum nostrae rei publicae, cum os videbam, cum verba audiebam, non tam afflictam regiam condicionem dolebam, quam de fortunis communibus extimescebam. Nam cum more maiorum de servo in dominum ne tormentis quidem quaeri liceat, in qua quaestione dolor elicere veram vocem possit etiam ab invito: exortus est servus, qui quem in eculeo appellare non posset, eum accuset solutus.

4 II. Perturbat me, C. Caesar, etiam illud interdum; quod tamen, cum te penitus recognovi, timere desino: re enim iniquum est, sed tua sapientia fit aequissimum. Nam dicere apud eum de facinore, contra cuius vitam consilium facinoris inisse arguare, si per se ipsum consideres, grave est; nemo enim fere est, qui sui periculi iudex, non sibi se aequiorem quam reo praebeat. Sed tua, Caesar, praestans singularisque natura hunc mihi metum minuit; non enim tam timeo, quid tu de rege Deiotaro, quam intelligo,
5 quid de te ceteros velis iudicare. Moveor etiam loci ipsius insolentia, quod tantam causam, quanta nulla unquam in disceptatione versata est, dico intra domesticos parietes, dico extra conventum et eam frequentiam, in qua oratorum studia niti solent: in tuis oculis, in tuo ore voltuque acquiesco; te unum intueor; ad te unum omnis mea spectat oratio. Quae mihi ad spem obtinendae veritatis gravissima sunt, ad motum animi et ad omnem impetum dicendi con-
6 tentionemque leviora. Hanc enim, C. Caesar, causam si

---

§ 3. *elicere veram vocem*] elb. — *veram vocem elicere* E. — *accuset*] Libri *accusaret* E. coni.

§ 4. *Caesar*] elb. *C. Caesar* E.

§ 6. *testarer*] Codd. mei. E. *contestarer* O2x. *contemplarer* Patricius.

in foro dicerem, eodem audiente et disceptante te, quan-
tam mihi alacritatem populi Romani concursus afferret!
Quis enim civis ei regi non faveret, cuius omnem aetatem
in populi Romani bellis consumptam esse meminisset? Spe-
ctarem curiam, intuerer forum, caelum denique testarer
ipsum. Sic, cum et deorum immortalium et populi Romani
et senatus beneficia in regem Deiotarum recordarer, nullo
modo mihi deesse posset oratio. Quae quoniam angustiora 7
parietes faciunt, actioque maximae causae debilitatur loco,
tuum est, Caesar, qui pro multis saepe dixisti, quid mihi
nunc animi sit, ad te ipsum referre; quo facilius cum aequi-
tas tua, tum audiendi diligentia minuat hanc perturbatio-
nem meam. Sed antequam de accusatione ipsa dico, de
accusatorum spe pauca dicam. Qui cum videantur nec in-
genio nec usu atque exercitatione rerum valere, tamen ad
hanc causam non sine aliqua spe et cogitatione venerunt.

III. Iratum te regi Deiotaro fuisse non erant nescii; 8
affectum illum quibusdam incommodis et detrimentis pro-
pter offensionem animi tui meminerant; [teque cum huic
iratum, tum sibi amicum esse cognoverant;] cumque apud
ipsum te de tuo periculo dicerent, fore putabant, ut in exul-
cerato animo facile fictum crimen insideret. Quamobrem
hoc nos primum, Caesar, metu, per fidem et constantiam
et per clementiam tuam. libera, ne residere in te ullam par-

---

§ 7. *maximae causae*] elb. id est, longe gravissimae, *quanta*, inquit § 5., *nulla unquam in disceptatione versata est;* sicque Quintilianus 12, 10, 63. *genus* (dicendi) *maximis quibusque causis accommodatissimum. causa maxime* (sic) E. — *mihi nunc*] elb. Sic magis elucet oppositio *mihi*)(*ad te ipsum. nunc mihi* E. — *cum aequitas*] elb. Hoc unice rectum esse scite demonstravit Stuerenburg ad Archianam p. 176. *tum aeq.* E. — *nec - - nec*] el. *neque - - neque* b. E. — *usu rerum atque exercitatione* Ernestii suspicio a Schuetzio recepta.

§ 8. *afflictum* el. Steinmetz. Verum hoc verbum minime, ut V. D. opinatur, *mollius* est, sed nimis invidiosum, quam ut coram Caesare usurpare potuerit orator. Scil. Steinmetz ratus est significare *betrübt;* esset autem *daniedergeworfen.* — *amicum esse*] elb. *amicum* E. Cum Madvigio Opuscc. p. 148. propter sententiae pravitatem hoc incisum [ ]. Mox *quodque* pro *cumque* O3x. duo Lambini Codd. et meus b. — *Caesar, metu*] el. *metu, Caesar* b. *metu, C. Caesar* E. — *per clementiam*] el. *clementiam* b. E. — *istam te*] elb. *te istam* E. Nondum me

---

§ 8. *afflictum*] de Divin. 2, 37. *Deiotarus Caesarem eodem tempore et hostem et hospitem vidit. Quid hoc tristius? Is cum ei Trogmorum tetrarchiam eri-*

tem iracundiae suspicemur. Per dexteram istam te oro, quam regi Deiotaro hospes hospiti porrexisti: istam, inquam, dexteram, non tam in bellis nec in proeliis quam in promissis et fide firmiorem. Tu illius domum inire, tu vetus hospitium renovare voluisti; te eius dii penates acceperunt; te amicum et placatum Deiotari regis arae focique viderunt.
9 Cum facile [exorari], Caesar, tum semel exorari soles; nemo unquam te placavit inimicus, qui ullas resedisse in te simultatis reliquias senserit. Quamquam cui sunt inauditae cum Deiotaro querelae tuae? Nunquam tu illum accusavisti ut hostem, sed ut amicum officio parum functum, quod propensior in Cn. Pompeii amicitiam fuisset quam in tuam. Cui tamen ipsi rei veniam te daturum fuisse dicebas, si tantum auxilia Pompeio vel si etiam filium misisset, ipse aetatis excusatione usus esset. Ita cum maximis eum rebus liberares, perparvam amicitiae culpam relinquebas.
10 Itaque non solum in eum non animadvertisti, sed omni metu liberavisti, hospitem agnovisti, regem reliquisti. Neque enim ille odio tui progressus, sed errore communi lapsus est. Is rex, quem senatus hoc nomine saepe honorificentissimis decretis appellavisset, quique illum ordinem ab adolescentia gravissimum sanctissimumque duxisset, iisdem rebus est perturbatus, homo longinquus et alienigena, quibus nos in media re publica nati semperque versati.

11 IV. Cum audiret senatus consentientis auctoritate arma sumpta; consulibus, praetoribus, tribunis plebi, nobis im-

---

poenitet coniecturae: *Per, te, dexteram istam oro.* Cfr. interpretes ad Plancianae 42, 103. et ad Salustii Iug. 14, 25. — *nec in proeliis*] el. *et in pr.* b. E.

§ 9. *facile orari* e. *facile orare* l. Madvig. [ ] *exorari.* — *si tantum auxilia*] Colon. E. *si, cum auxilia* elb. — *vel si etiam*] elb. E. *vel etiam* O1x. Lamb. — *ipse tamen* el. — *aetatis excus.*] elb. *excus. aet.* E.

§ 11. *esse inclusam*] elb. *inclusam* E. — *omnes cons.* b. *ei nuntiabatur*] lb. (idemque significat *enuntiabatur* e.) *nuntiabatur* E. — *effusam* Colon. b. (non el.) —

---

puisset et asseclae suo Pergameno nescio cui (Mithridati) *dedisset eidemque detraxisset Armeniam a senatu datam; cumque ab eo magnificentissimo hospitio acceptus esset, spoliatum reliquit et hospitem et regem.*

§ 10. *regem*] Gallograeciae s. Galatarum.

§ 11. *senatus consentientis*] ad Fam. 16, 11. *Ego ad Urbem accessi pridie Nonas Ianuar.* (a. u. c. 705.) - - *Incidi in ipsam flammam civilis discordiae vel*

peratoribus rem publicam defendendam datam, movebatur animo et vir huic imperio amicissimus de salute populi Romani extimescebat, in qua etiam suam esse inclusam videbat; in summo tamen timore quiescendum sibi esse arbitrabatur. Maxime vero perturbatus est, ut audivit, consules ex Italia profugisse, omnesque consulares, (sic enim ei nuntiabatur,) cunctum senatum, totam Italiam esse effusam: talibus enim nuntiis et rumoribus patebat ad Orientem via, nec ulli veri subsequebantur. Nihil ille de condicionibus tuis, nihil de studio concordiae et pacis, nihil de conspiratione audiebat certorum hominum contra dignitatem tuam. Quae cum ita essent, tamen usque eo se tenuit, quoad a Cn. Pompeio legati ad eum litteraeque venerunt. Ignosce, 12
ignosce, Caesar, si eius viri auctoritati rex Deiotarus cessit, quem nos omnes secuti sumus; ad quem cum dii atque homines omnia ornamenta congessissent, tum tu ipse plurima et maxima. Neque enim, si tuae res gestae ceterorum laudibus obscuritatem attulerunt, idcirco Cn. Pompeii memoriam amisimus. Quantum nomen eius fuerit, quantae opes, quanta in omni genere bellorum gloria, quanti honores populi Romani, quanti senatus, quanti tui, quis ignorat? Tanto ille superiores vicerat gloria, quanto tu omnibus praestitisti. Itaque Cn. Pompeii bella, victorias, triumphos, consulatus admirantes numerabamus; tuos enumerare non possumus.

V. Ad eum igitur rex Deiotarus venit hoc misero fa- 13

---

ad quem] Arusianus. el. *in quem* b. E. — *nomen illius* b. Madvig. — *tuos numerare* Havn. Madvig.

§ 13. *atque Alex. bellum gerente te* e. Recepit Frotscher.

---

potius belli. - - *Posteaquam senatus consulibus, praetoribus, tribunis plebi et nobis, qui pro consulibus sumus, negotium dederat, ut curaremus, ne quid res publica detrimenti caperet, nunquam maiore in periculo civitas fuit; nunquam improbi cives habuerunt paratiorem ducem.* — *consules*) C. Claudium Marcellum et L. Cornelium Lentulum. — *de condicionibus*] ad Fam. 16, 12. *Feruntur omnino condiciones ab illo, ut Pompeius eat in Hispaniam, delectus, qui sunt habiti, et praesidia nostra dimittantur; se ulteriorem Galliam Domitio, citeriorem Considio Noniano traditurum; ad consulatus petitionem se venturum neque se iam velle absente se rationem haberi sui; praesentem trinum nundinum petiturum.* — *conspiratione*] L. Domitii, P. Scipionis, M. Bibuli, M. Catonis, M. Favonii.

§ 13. *discessit*] Nec tamen continuo; Pompeium enim ex Pharsalico proelio

talique bello, quem antea iustis hostilibusque bellis adiuverat, quocum erat non hospitio solum, verum etiam familiaritate coniunctus; et venit vel rogatus, ut amicus, vel arcessitus, ut socius, vel evocatus, ut is, qui senatui parere didicisset; postremo venit ut ad fugientem, non ut ad insequentem, id est ad periculi, non ad victoriae societatem. Itaque Pharsalico proelio facto a Pompeio discessit; spem infinitam persequi noluit; vel officio, si quid debuerat, vel errori, si quid nescierat, satisfactum esse duxit; domum se contulit teque Alexandrinum bellum gerente utilitatibus tuis paruit.
14 Ille exercitum Cn. Domitii amplissimi viri suis tectis et copiis sustentavit; ille Ephesum ad eum, quem tu ex tuis fidelissimum et probatissimum omnibus delegisti, pecuniam misit, ille iterum, ille tertio auctionibus factis pecuniam dedit, qua ad bellum uterere; ille corpus suum periculo obiecit, tecumque in acie contra Pharnacem fuit, tuumque hostem esse duxit suum. Quae quidem a te in eam partem accepta sunt, Caesar, ut eum amplissimo honore et

---

§ 14. *omnibus*] om. Cod. Stephani. O2x. [ ] Madvig. Non est autem coniungendum cum vv. *ex tuis*, sed dativus pertinens ad v. *probatissimum*, ut in Plancianae c. 11, 27. *cui cum fuerit probatissimus hodieque sit, omnibus esse se probatum debet sperare.* — *uterere*] e. *utereris* l. E. — *tecum* b. ut Cod. Stephani. — *Caesar*] el. *C. Caesar* b. E. — *ampl. honore et regis nomine*] Colon. Dresd. Madvig. *ampl. regis hon. et nom.* elb. E. Ex Frotscheri Cod. Leidensi affertur: *ampl. regis nomine et honore*, quod e Perizoniano non notavit Bakius.

---

profugum secutus, in Cilicia vel in litore Icario expositus est, ut Orientis regna in auxilium illius concitaret. Narrat Plutarchus in Pomp. 73. Pompeium ex Pharsalico proelio per Tempe usque ad mare progressum, altero die a Peticio quodam Romano in navem onerariam una cum duobus Lentulis et Favonio receptum esse atque paullo post etiam Deiotarum: *μικρὸν ὕστερον ἰδόντες ἀπὸ γῆς ἁμιλλώμενον Δηϊόταρον τὸν βασιλέα προσαναλαμβάνουσιν.* Steinmetz.

§ 14. *Cn. Domitii*] Calvini, qui consul fuerat cum M. Messala a. u. c. 700. Is cum Caesare, Cn. Domitius autem Ahenobarbus cum Pompeio fuit. Manut. — *sustentavit*] Script. Bell. Alex. 34. *Adiungit Cn. Domitius legioni XXXVI. duas ab Deiotaro, quas ille disciplina atque armatura nostra complures annos constitutas habebat, equitesque centum.* (Hinc legio *Deiotariana* memoratur in *Inscr.* meis *Lat.* N. 519. 3396.) H. tamen l. potius loquitur de alimentis ac receptione in oppida regis. — *quem tu*] Alii Q. Fufium Calenum, Achaiae praetorem (a. u. c. 710 et 711. acerrimum Ciceronis inimicum) hic interpretantur, alii S. Iulium Caesarem, quem tum quaestorem Caesar Syriae et omnibus iis regionibus praefecerat, teste Dione 47, 26. — *iterum*] bello Alexandrino. — *tertio*] Africano. — *Pharnacem*]

regis nomine affeceris. Is igitur, non modo a te periculo 15
liberatus, sed etiam honore amplissimo ornatus, arguitur domi te suae interficere voluisse. Quod tu, nisi eum furiosissimum iudices, suspicari profecto non potes. Ut enim omittam, cuius tanti sceleris fuerit, in conspectu deorum penatium necare hospitem; cuius tantae importunitatis omnium gentium atque omnis memoriae clarissimum lumen exstinguere; cuius tantae ferocitatis victorem orbis terrarum non extimescere; cuius tam inhumani et ingrati animi, quo rex appellatus esset, in eo tyrannum inveniri: ut haec omittam, cuius tanti furoris fuit omnes reges, quorum multi erant finitimi, omnes liberos populos, omnes socios, omnes provincias, omnia denique omnium arma contra se unum excitare? Quonam ille modo cum regno, cum domo, cum coniuge, cum carissimo filio distractus esset, tanto scelere non modo perfecto, sed etiam cogitato?

VI. At, credo, haec homo inconsultus et temerarius 16
non videbat. — Quis consideratior illo? quis tectior? quis prudentior? quamquam hoc loco Deiotarum non tam ingenio

---

§ 15. om. *a te* Colon. Dresd. Sed habent Cassiodorus Garetii T. 2. p. 543. et elb. — *iudices*] el. *iudicas* b. E. — *cuius feroc.* el.

§ 16. *quis tectior*] om. b. [ ] E. Del. Weiske. *quis rectior* el. — *hom. prob.*,

---

Mithridatis filium et parricidam, Bospori Cimmerii regem, quem tandem Caesar ad Zelam, oppidum in Ponto, magno atque acri proelio devicit. Bell. Alex. 69—77. — *regis honore*] Dio Cass. 41, 63. *μέρος μὲν γάρ τι τῆς Ἀρμενίας τῆς τοῦ Δηϊοτάρου γενομένης Ἀριοβαρζάνει τῷ τῆς Καππαδοκίας βασιλεῖ ἔδωκεν. οὐ μέντοι καὶ τὸν Δηϊόταρον ἐν τούτῳ τὶ ἔβλαψεν, ἀλλὰ καὶ προσευηργέτησεν. οὐ γὰρ ἐκείνου τὴν χώραν ἀπετέμετο, ἀλλ' ὑπὸ τοῦ Φαρνάκου πᾶσαν τὴν Ἀρμενίαν καταληφθεῖσαν καταλαβὼν τὸ μέν τι αὐτῆς τῷ Ἀριοβαρζάνει, τὸ δὲ δὴ τῷ Δηϊοτάρῳ ἐχαρίσατο.*

§ 15. *distractus*] Plerique etiamnunc exponunt „discerptus, dilaceratus;“ cum sit, „a societate divolsus esset, in maximum odium omnium, etiam coniugis ac filii, incidisset.“ Hoc patet partim ex *ἐπιθέτῳ carissimo*, partim ex eo, quod dicit etiam *cogitato scelere* futurum fuisse, ut *distraheretur*. Tantam enim crudelitatem Caesari, apud quem verba facit, imputare non poterat, ut is detecto Deiotari perfido consilio atque occupato, etiam coniugem et filium regis, homines prorsus innocentes, laceraturus, discerpturus, id est, necaturus fuisset. (Verte: *er würde sich mit - - überworfen, veruneinigt haben.*) — *filio*] Philipp. 11, 13. *Deiotari regis, et patris et filii, et magnus et nostro more instructus exercitus; summa in filio spes, summa ingenii indoles, summa virtus.*

§ 16. *quis tectior?*] Metaphora petita ab gladiatoribus, qui, uti debent, con-

et prudentia quam fide et religione vitae defendendum puto.
Nota tibi est hominis probitas, C. Caesar, noti mores, nota
constantia. Cui porro, qui modo populi Romani nomen
audivit, Deiotari integritas, gravitas, virtus, fides non au-
dita est? Quod igitur facinus nec in hominem imprudentem
cadere posset propter metum praesentis exitii, nec in faci-
norosum, nisi esset idem amentissimus, id vos et a viro
optimo et ab homine minime stulto cogitatum esse confin-
17 gitis. At quam non modo non credibiliter, sed ne suspi-
ciose quidem! Cum, inquit, in castellum Luceium venisses
et domum regis, hospitis tui, devertisses, locus erat qui-
dam, in quo erant ea composita, quibus te rex munerare
constituerat. Huc te e balneo, priusquam accumberes, du-
cere volebat: ibi enim erant armati, qui te interficerent, in
eo ipso loco collocati. En crimen, en causa, cur regem
fugitivus, dominum servus accuset. Ego mehercules, Cae-
sar, initio, cum est ad me ista causa delata, Phidippum
medicum, servum regium, qui cum legatis missus esset,
ab isto adolescente esse corruptum, hac sum suspicione
percussus: medicum indicem subornavit; finget videlicet
aliquod crimen veneni. Etsi a veritate longe, tamen a con-
18 suetudine criminandi non multum res abhorrebat. Quid ait
medicus? Nihil de veneno. At id fieri potuit primo occul-
tius in potione, in cibo; deinde etiam impunius fit, quod

C. Caesar] elb. *C. Caesar, hom. prob.* E. — *non sit audita* el. Steinmetz. Frotscher. — *caderet* b. Madvig.

§ 17. Fortasse: *Blucium* vel *Bluceum.* (*Lucenum* superscr. *Luceium* l.) — *non modo credibiliter* l. solus. — *te rex*] elb. *rex te* E. — *munerari* O1x. — *ibi enim erant armati*] el. *Erant enim armati* b. E. — *mehercules, Caesar*] el. *mehercule C. Caesar* E. — *sum susp.*] elb. *susp. sum* E. — *subornavit*] b. *subornabit* E.

§ 18. *veneno. Fieri* el. — *in cibo*] el. *vel in c.* E. — *Iovis ille*] Ernestius. Madvig. *Iovis illius* Libri. — *celasset*] e. *celavisset* E. — *conari occultius*] elb. *occ. con.* E.

---

tra ictus adversariorum sese tegunt. Non igitur inest in his vv. malignae calliditatis reprehensio.

§ 17. *Luceium*] Strabo 12, p. 567. *Τολιστοβόγιοι δὲ ὅμοροι Βιθυνοῖς εἰσι καὶ τῇ ἐπικτήτῳ καλουμένῃ Φρυγίᾳ· φρούρια δ' αὐτῶν ἐστι τό τε Βλούκιον* (Groskurd Strabonem ex Cicerone emendandum suadet: mihi contra videtur:) *καὶ τὸ Πήϊον· ὧν τὸ μὲν ἦν βασίλειον Δηϊοτάρου, τὸ δὲ γαζοφυλάκιον.*

cum est factum, negari potest. Si palam te interemisset, omnium in se gentium non solum odia, sed etiam arma convertisset; si veneno, Iovis ille quidem hospitalis numen nunquam celare potuisset, homines fortasse celasset. Quod igitur et conari occultius et efficere cautius potuit, id tibi, et medico callido et servo, ut putabat, fideli, non credidit? de armis, de ferro, de insidiis celare te noluit? At quam 19
festive crimen contexitur! Tua te, inquit, eadem, quae semper, fortuna servavit: negavisti tum te inspicere velle.

VII. Quid postea? an Deiotarus re illo tempore non perfecta continuo dimisit exercitum? nullus erat alius insidiandi locus? At eodem te, cum coenavisses, rediturum dixeras: itaque fecisti. Horam unam aut duas eodem loco armatos, ut collocati fuerant, retinere magnum fuit? Cum in convivio comiter et iucunde fuisses, tum illuc isti, ut dixeras. Quo in loco Deiotarum talem erga te cognovisti, qualis rex Attalus in P. Africanum fuit: cui magnificentissima dona, ut scriptum legimus, usque ad Numantiam misit ex Asia; quae Africanus inspectante exercitu accepit. Quod cum praesens Deiotarus regio et animo et more fecisset, tu in cubiculum discessisti. Obsecro, Caesar, repete illius 20
temporis memoriam, pone illum ante oculos diem, voltus hominum te intuentium atque admirantium recordare. Num quae trepidatio? num qui tumultus? num quid nisi moderate, nisi quiete, nisi ex hominis gravissimi et sanctissimi disciplina? Quid igitur causae excogitari potest, cur te lotum

---

§ 20. *illius temporis*] elb. *temporis illius* E. — *nisi modo* Colon. *nisi modeste* el. — *lotum*] elb. *lautum* E.

---

§ 19. *Attalus*] rex Pergami, huius nominis tertius, qui (a. u. c. 621.) populum Ro. heredem instituit. Quamquam Liv. Epit. 57. haec narrat: *Scipio amplissima munera missa sibi ab Antiocho* (VII .Euergete, volgo Sidete) *rege Syriae, cum celare aliis imperatoribus regum munera mos esset, pro tribunali accepturum se esse dixit omniaque ea referre quaestorem in publicas tabulas iussit:* neutiquam cum Ursino h. l. *Antiochus* reponendum neque de Ciceronis ipsius *ἁμαρτήματι μνημονικῷ* cogitandum: nam ab Attalo non minus quam ab Antiocho, et simili quidem ratione, munera accipere potuit Scipio. Quae ad h. l. affert Scholiasta Ambrosianus, pro solito eius more non ex aliquo scriptore deperdito, sed ex Ciceronis verbis desumpta sunt, sed tamen probant eius iam aetate Attali, non Antiochi nomen hic lectum esse.

21 voluerit, coenatum noluerit occidere? In posterum, inquit,
diem distulit, ut cum in castellum Luceium ventum esset,
ibi cogitata perficeret. Non video causam loci mutandi;
sed tamen acta res criminose est. Cum, inquit, vomere
post coenam te velle dixisses, in balneum te ducere coepe-
runt: ibi enim erant insidiae. At te eadem tua illa fortuna
servavit: in cubiculo malle dixisti. Dii te perduint, fugi-
tive! ita non modo nequam et improbus, sed etiam fatuus
et amens es. Quid? ille signa aenea in insidiis posuerat,
quae e balneo in cubiculum transferri non possent? Habes
crimina insidiarum: nihil enim dixit amplius: horum, inquit,
eram conscius. Quid tum? ita ille demens erat, ut eum,
quem tanti sceleris conscium haberet, a se dimitteret? Ro-
mam etiam mitteret, ubi et inimicissimum sciret esse nepo-
tem suum, et C. Caesarem cui fecisset insidias? praesertim
22 cum is unus esset, qui posset de absente se indicare? Et fra-
tres meos, inquit, quod erant conscii, in vincula coniecit.
Cum igitur eos vinciret, quos secum habebat, te solutum
Romam mittebat, qui eadem scires, quae illos scire dicis?

VIII. Reliqua pars accusationis duplex fuit: una, regem semper in speculis fuisse, cum a te animo esset alieno; altera exercitum eum contra te magnum comparasse. De exercitu dicam breviter, ut cetera. Nunquam eas copias rex Deiotarus habuit, quibus inferre bellum populo Romano posset; sed quibus fines suos ab excursionibus [hostium] et latrociniis tueretur et imperatoribus nostris auxilia mitteret. Atque antea quidem maiores copias alere poterat; nunc exi-

§ 21. *mutandi loci*] el. *loci mutandi* E. — *vomere post c. te*] el. *vomere te post c.* E. Vv. *post coenam* suspecta Bakio. — *tua illa*] b. (Vestigia Colon. Dresd. *tum illa*) *tua* el. E. — *in cubiculo malle*] b. Havn. Madvig. *in cubiculum malle* Col. *in cubiculum te ire malle* el. E. — *cubic. transire* b. O6x. Recepit Frotscher. — *ille demens*] el. *demens ille* E. — *tanti sceleris conscium*] el. *consc. t. scel.* b. E. — *haberet*] b. Madvig. *habebat* el. E. — *indicare*] Victorius. *vindicare* elb. E.

§ 22. Omittunt *hostium* el. Post v. *latrociniis* ponit b. sicque Madvig.

§ 21. *vomere*] ad Att. 13, 32. *Caesar post horam octavam in balneum; unctus est; accubuit, ἐμετικὴν agebat. Itaque et edit et bibit ἀδεῶς et iucunde, opipare sane et apparate.*

uas vix tueri potest. At misit ad Caecilium nescio quem: 23
ed eos, quos misit, quod ire noluerunt, in vincula coniecit. lon quaero, quam veri simile sit aut non habuisse regem, uos mitteret, aut eos, quos misisset, non paruisse; aut ui dicto audientes in tanta re non fuissent, eos vinctos otius quam necatos. Sed tamen cum ad Caecilium mittebat, trum causam illam victam esse nesciebat, an Caecilium stum magnum hominem putabat? quem profecto is, qui ptime nostros homines novit, vel quia nosset vel quia non osset, contemneret. Addit etiam illud, equites non opti- 24
nos misisse. Credo, Caesar; nihil ad tuum equitatum; ed misit ex iis, quos habuit, delectos. At nescio quem ex o numero servum iudicatum. Non arbitror, non audivi; ed in eo, etiam si accidisset, culpam regis nullam fuisse arbitrarer.

---

§ 23. *necatos*] elb. *necatos fuisse* E. — *vel quia non nosset vel si nosset* el. Steinmetz. Ut nos, b.

§ 24. *Addit*] elb. *Addidit* E. — *misisse. Credo*] b. Havn. Madvig. *misisse. Veteres, credo* el. E. Cfr. Madvig. Opuscc. p. 201. — *delectos*] Matthiae ad Milon. § 23. Cfr. huius orat. § 28. *electos* Libri. — *At nescio*] elb. *Ait nescio* E. — *animo quomodo?*] el. Madvig. *animo fuit? Quomodo* b. E. — *Alexandreae*] Libri. *Alexandria* Patricius. E. — *regionum*] elb. *regionis* E. — *tempore ipso*] elb. *ipso tempore* E. — *nulla re* el. — *ad periculum atque aciem* el.

---

§ 23. Caecilius Bassus, Pompeianus, qui rumoribus sparsis de clade Caesaris in Africa accepta, privatus Syriae imperium occupavit, donec a Cassio eiectus est. cfr. ad § 125. (Philipp. 11, 13. *Est Q. Caecilii, privati illius quidem, sed fortis et praeclari viri, robustus et victor exercitus.*) — *qui optime*] ipse Deiotarus.

§ 24. *veteres, credo*] Volgatam hanc lectionem aliter ac fecit Heumannus apud Matthiaeum, explicandam arbitrarer: „veteres tamen, exercitatos, non tirones, credo, Caesar; utique minime comparandos cum tuo equitatu, sed tamen ex iis, quos habuit, electos, ita ut meliores mittere non posset.“ Sed longe praestat lectio a nobis recepta; et *veteres* non est nisi gloss. vv. *non optimos.* — *servum*] Servius ad Aen. 9, 547. *Lege militari servi a militia prohibebantur; unde et in Deiotariana purgat hoc Cicero, cum fuisset obiectum, inter equites, quos Deiotarus miserat Caesari, unum servum fuisse. Servos sane nunquam militasse constat nisi servitute deposita, excepto Hannibalis tempore, cum post Cannense proelium in tanta necessitate fuit urbs Roma, ut ne liberandorum quidem servorum daretur facultas.* Marcianus in Fr. 11. Dig. 49, 16. *Ab omni militia servi prohibentur; alioquin capite puniuntur.* — *quem Asiae praefeceras*] Cn. Domitium Calvinum; cfr. § 14. Cfr. Dio Cass. 47, 26. *Καικίλιος Βάσσος ἱππεὺς στρατεύσας τε τῷ Πομπηΐῳ καὶ ἀναχωρήσας ἐς Τύρον, ἐκεῖ ἐν τῷ ἐμπορίῳ τὰς διατριβὰς λανθάνων*

IX. Alieno autem a te animo quomodo? Speravit, credo, difficiles tibi Alexandreae fore exitus propter regionum naturam et fluminis. At eo tempore ipso pecuniam dedit, exercitum aluit; ei, quem Asiae praefeceras, nulla in re defuit; tibi victori non solum ad hospitium, sed ad periculum etiam
25 atque ad aciem praesto fuit. Secutum est bellum Africanum; graves de te rumores; qui etiam furiosum illum Caecilium excitaverunt. Quo tum rex animo fuit? qui auctionatus sit seseque spoliare maluerit quam tibi pecuniam non subministrare. At eo, inquit, tempore ipso Nicaeam Ephesumque mittebat, qui rumores Africanos exciperent et celeriter ad se referrent. Itaque cum esset ei nuntiatum, Domitium naufragio perisse, te in castello circumsederi, de Domitio dixit versum Graecum eadem sententia, qua etiam nos habemus Latinum:

Pereánt amici, dum úna inimici intércidant.

---

§ 25. *rumores*] l. *rumores sparsi* b. E. (In e. superscr. *sparsi.*) — *quo tum rex animo fuit?*] el. *quo tum rex animo fuit erga te?* b. *quo tum erga te rex animo fuit?* E. — *spoliare*] el. *exspoliare* b. E. — *perisse - - circumsederi*] el. *perisse - - circumsideri* E.

ἐποιεῖτο· ἦρχε δὲ τῶν Σύρων Σέξστος (S. Iulius Caesar.)*τούτῳ γὰρ καὶ ταμίᾳ καὶ συγγενεῖ αὐτοῦ ὄντι ὁ Καῖσαρ πάντα τὰ τῇδε κατὰ τὴν ἐκ τῆς Αἰγύπτου ἐπὶ τὸν Φαρνάκην ἔλασιν ἐπέτρεψεν. ὁ οὖν Βάσσος τὸ μὲν πρῶτον ἡσυχίαν ἦγεν, ἀγαπῶν εἴ τις αὐτὸν ζῆν ἐάσειεν. ὡς δὲ τῶν τοῦ Σέξστου στρατιωτῶν ἄλλοτε ἄλλους ἐς φυλακὴν τῆς πόλεως φοιτῶντας ἀνηρτήσατο, περί τε τοῦ Καίσαρος πολλὰ καὶ δεινὰ ἐκ τῆς Ἀφρικῆς ἠγγέλλετο, οὐκέτι τοῖς παροῦσιν ἔστερξεν, ἀλλ' ἢ τοῖς ἀμφὶ τὸν Σκιπίωνα τόν τε Κάτωνα καὶ τοὺς Πομπηΐους συναιρόμενος, ἢ καὶ ἑαυτῷ δυναστείαν τινὰ περιβαλλόμενος ἐνεώχμου.* Liv. Ep. 114. *Bellum in Syria Caecilius Bassus eques Ro. Pompeianarum partium excitavit, relicto a legione Sex. Caesare, quae ad Bassum transierat occisoque eo.* Rebus in Asia (adversus Pharnacem) felicissime celerrimeque confectis, Caesar in Italiam celerius omnium opinione venit, atque ibi paucos dies moratus itineribus iustis confectis, nullo die intermisso a. d. XIV. Kal. Ian. (19 Decembr.) Lilybaeum pervenit. Datis mandatis ipse navem conscendit a. d. VI. Kal. Ian. (27 Decembr. a. 707.) et reliquas naves celeriter est consecutus. Ita vento certo celerique navigio vectus post diem quartam cum paucis longis navibus in conspectum Africae venit. Bell. Alex. ult. Afric. 1. Steinmetz. — *graves rumores*] Dio l. l. Caecilius Bassus *γράμματά τινα συνέπλασεν, ὡς καὶ παρὰ τοῦ Σκιπίωνός οἱ πεμφθέντα, καὶ ἐξ αὐτῶν τόν τε Καίσαρα ἐν τῇ Ἀφρικῇ ἡττῆσθαι καὶ ἀπολωλέναι, καὶ ἑαυτῷ τὴν ἀρχὴν τῆς Συρίας προστετάχθαι ἔλεγε.*

§ 25. *Nicaeam*] caput Bithyniae. — *versum Graecum*] Plutarch. de discrim.

quod ille, si esset tibi inimicissimus, nunquam tamen dixisset: ipse enim mansuetus, versus immanis. Qui autem Domitio poterat esse amicus, qui tibi esset inimicus? Tibi porro inimicus cur esset, a quo cum vel interfici belli lege potuisset, regem et se et filium suum constitutos esse meminisset? Quid deinde? furcifer quo progreditur? Ait, hac 26
laetitia Deiotarum elatum vino se obruisse, in convivioque nudum saltavisse. Quae crux huic fugitivo potest satis supplicii afferre? Deiotarum saltantem quisquam aut ebrium vidit unquam? Omnes in illo sunt rege virtutes, quod te, Caesar, ignorare non arbitror; sed praecipue singularis et admiranda frugalitas: etsi hoc verbo scio laudari regem non solere. Frugi hominem dici non multum habet laudis in rege; fortem, iustum, severum, gravem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem, hae sunt regiae laudes; illa privata est. Ut volet quisque accipiat; ego tamen frugalitatem, id est, modestiam et temperantiam, virtutem maximam iudico. Haec in illo est ab ineunte aetate cum a cuncta Asia, tum a magistratibus legatisque nostris, tum ab equitibus Romanis, qui in Asia negotiati sunt, perspecta et cognita. Multis ille 27
quidem gradibus officiorum erga rem publicam nostram ad hoc regium nomen ascendit; sed tamen quidquid a bellis populi Romani vacabat, cum hominibus nostris consuetudines, amicitias, res rationesque iungebat, ut non solum tetrarches nobilis, sed etiam optimus paterfamilias et diligentissimus agricola et pecuarius haberetur. Qui igitur adolescens, nondum tanta gloria praeditus, nihil unquam nisi severissime et gravissime fecerit, is ea existimatione eaque aetate saltavit?

§ 26. *in illo sunt*] el. *sunt in illo* b. E. — *rege*] elb. *rege regiae* E. — *regem*] elb. *reges* E. — *virtutem*] elb. *virtutem esse* E. — *aetate cum*] el. *aetate, tum* E. — *conspecta* b.

§ 27. *quidem ille* e. — *tetrarches*] el. *tetrarcha* b. E. — *sed etiam*] el. *sed* b. E.

am. et adul. p. 50 F. *ἐῤῥέτω φίλος σὺν ἐχθρῷ.* — *mansuetus*] Crudelissimum fuisse Deiotarum et Plutarchus de contradiction. Stoicorum c. 32. narrat (*πλειόνων αὐτῷ παίδων γεγονότων, ἑνὶ βουλόμενος τὴν ἀρχὴν ἀπολιπεῖν καὶ τὸν οἶκον ἅπαντας ἐκείνους ἀπέσφαξεν*) et Strabo 12. p. 568. *Γοβρειοῦς, τὸ τοῦ Κάστορος βασίλειον τοῦ Σαωκονδαρίου, ἐν ᾧ γαμβρὸν τοῦτον ἀπέσφαξε Δηϊόταρος καὶ τὴν θυγατέρα τὴν ἑαυτοῦ.* Steinmetz.

§ 27. *agricola*] *Magonis Poeni libros de re rustica utiliter ad sex libros redegit Diophanes in Bithynia et misit Deiotaro regi.* Varro de R. R. 1, 1, 11.

28 X. Imitari, Castor, potius avi tui mores disciplinamque
debebas quam optimo et clarissimo viro fugitivi ore maledi-
cere. Quod si saltatorem avum habuisses, neque eum virum,
unde pudoris pudicitiaeque exempla peterentur, tamen hoc
maledictum minime in illam aetatem conveniret. Quibus
ille studiis ab ineunte aetate se imbuerat, non saltandi, sed
bene ut armis, optime ut equis uteretur, ea tamen illum
cuncta iam exacta aetate defecerant. Itaque Deiotarum cum
plures in equum sustulissent, quod haerere in eo senex pos-
set, admirari solebamus. Hic vero adolescens, qui meus
in Cilicia miles, in Graecia commilito fuit, cum in illo no-
stro exercitu equitaret cum suis delectis equitibus, quos
una cum eo ad Pompeium pater miserat, quos concursus
facere solebat! quam se iactare! quam ostentare! quam ne-
29 mini in illa causa studio et cupiditate concedere! Cum vero
exercitu amisso ego, qui pacis semper auctor, post Pharsa-
licum proelium suasor fui armorum non deponendorum,
sed abiiciendorum: hunc ad meam auctoritatem non potui
adducere, quod et ipse ardebat studio ipsius belli, et patri
satisfaciendum esse arbitrabatur. Felix ista domus, quae
non impunitatem solum adepta sit, sed accusandi etiam
licentiam; calamitosus Deiotarus, † qui ab eo, qui in iisdem

§ 28. *Castor, potius*] elb. *potius, Castor*] E. — *avi mores* el. — *exacta aetate*] lb. (Om. *aetate* e.) *aetate exacta* E. — *Ita Deiot.* e. — *senex in eo* e.

§ 29. *semper auctor*] lb. *auctor semper fui* E. — *Pharsalicum*] el. *Pharsalicum autem* E. — *fui*] e vestigiis Codd. Madvig. *fuissem* el. E. Totum locum sic exhibet b: *semper fui, Pharsalico autem proelio suasor - - - abiiciendorum fui.* — *illius belli* Havn. Madvig. (Sed *ipsius belli* est, belli per se spectati; bellum geri et in eo cum qualicunque hoste decertare cupiebat, nulla ratione eventorum ac personarum habita.) — *adducere*] Firmant elb. *revocare* O1x. Edd. vett. — *accus. etiam*] el. *etiam accus.* b. B. — *qui ab eo*] Edd. vett. *qui et ab eo* el. E. prob. Hand. Tursell. 2. p. 521. — *quod ab eodem, qui in castris fuerit, non modo a peregrinis, sed etiam a suis accusetur* b. *qui quod in iisdem castris fuerit* cet. proposuit Madvig.; verum non propter hoc accusabatur, ut Ligarius; sed propter insidias Caesari structas. Quod autem Matthiae lectionem in contextu nostro exhibitam defendit, non satis attendit nullam iustam oppositionem inesse in his: *non modo apud te, sed etiam a suis.* Et, quaeso, apud quemnam tandem accusari poterat nisi apud Caesarem? Eodem incommodo laborat etiam Frotscheri suspicio: *qui non modo apud te et ab eo, qui in iisdem castris fuerit, sed etiam a*

---

§ 28. *in Cilicia miles*] a. u. c. 704. adversus Eleutherocilices.

§ 29. *patri*] Saocondario.

astris fuerit, non modo apud te, sed etiam a suis accuse-ur. Vos vestra secunda fortuna, Castor, non potestis sine ropinquorum calamitate esse contenti?

XI. Sint sane inimicitiae, quae esse non debebant: rex 30
nim Deiotarus vestram familiam abiectam et obscuram e enebris in lucem evocavit. Quis tuum patrem antea qui sset, quam cuius gener esset audivit? Sed quamvis ingrate t impie necessitudinis nomen repudiaretis, tamen inimicitias ominum more gerere poteratis, non ficto crimine insectari, on expetere vitam, non capitis arcessere. Esto; conceda-ur haec quoque acerbitas et odii magnitudo: adeone, ut omnia vitae salutisque communis atque etiam humanitatis ura violentur? Servum sollicitare verbis, spe promissisque corrumpere, abducere domum, contra dominum armare, hoc est non uni propinquo, sed omnibus familiis nefarium bellum indicere. Nam ista corruptela servi si non modo impunita fuerit, sed etiam a tanta auctoritate approbata, nulli parietes nostram salutem, nullae leges, nulla iura custodient. Ubi enim id, quod intus est atque nostrum, impune evolare potest contraque nos pugnare, fit in dominatu servitus, in servitute dominatus. O tempora, o mores! 31
Cn. Domitius ille, quem nos pueri consulem, censorem,

---

suis accusetur. Immo recta sententia unice inest in ea, quam olim proposui, coniectura: *qui non modo ab eo, qui in iisdem castris fuerit, apud te, sed etiam a suis accusetur.* Corruptela inde orta videtur, quod, cum, ut aliquoties factum est (cfr. Philipp. 13, 8, 18.) vv., *non modo* e Codd. aliquo *ἀρχετύπῳ* excidissent, non suo loco suppleta sunt.

§ 30. *antea*] elb. *ante* E. — *repudiaretis*] el. *repudiaveritis* b. *repudiaritis* E. — *acerbitas*] b. Madvig. *acerbitatis* el. E. — *ut omnia*] elb. *ut etiam omnia* E. — *nefarium bellum*] elb. *bellum nefarium* E.

§ 31. *apprehendi* elb. Steinmetz. (*prehendi* firmatur consuetudine Tulliana et a Colon. *comprehendi* cum O1x. legebatur ante Gruterum.)

---

§ 31. *Cn. Domitius Ahenobarbus, qui consul fuit cum C. Cassio Longo* (a. u. c. 658.) *cum esset trib. pl.* (a. 650.) *iratus M. Scauro, quod eum in augurum collegium non cooptaverat, diem ei dixit apud populum et multam irrogavit, quod eius opera sacra multa populi Ro. deminuta esse diceret. Crimini dabat sacra publica populi Ro. deum Penatium, quae Lavinii fierent* (cfr. Inscriptt. meas N. 2275.), *opera eius minus recte casteque fieri. Quo crimine absolutus est Scaurus quidem, sed ita, ut a tribus tribubus damnaretur, a XXXII. absolveretur, et in eis pauca puncta inter damnationem et absolutionem interessent.* Asconius in Scaur. p. 21. ed. Baiter.

pontificem maximum vidimus, cum tribunus plebi M. Scaurum principem civitatis in iudicium populi vocasset Scaurique servus ad eum clam domum venisset et crimina in dominum delaturum se esse dixisset, prehendi hominem iussit ad Scaurumque deduci. Vide, quid intersit; etsi inique Castorem cum Domitio comparo: sed tamen ille inimico servum remisit, tu ab avo abduxisti; ille incorruptum audire noluit, tu corrupisti; ille adiutorem servum contra dominum
32 repudiavit, tu etiam accusatorem adhibuisti. At semel iste est corruptus a vobis? Nonne cum esset productus et cum tecum fuisset, refugit ad legatos? nonne etiam ad hunc Cn. Domitium venit? nonne audiente hoc Ser. Sulpicio clarissimo viro, qui tum casu apud Domitium coenabat, et hoc T. Torquato, optimo adolescente, se a te corruptum, tuis promissis in fraudem impulsum esse confessus est?

XII. Quae est ista tam impotens, tam crudelis, tam immoderata inhumanitas? iccirco in hanc urbem venisti, ut huius urbis iura et exempla corrumperes, domesticaque im-
33 manitate nostrae civitatis humanitatem inquinares? At quam acute collecta crimina! Blesamius, inquit, (eius enim nomine, optimi viri nec tibi ignoti, maledicebat tibi,) ad regem scribere solebat te in invidia esse, tyrannum existimari; statua inter reges posita animos hominum vehementer offensos; plaudi tibi non solere. Nonne intelligis, Caesar,

---

§ 32. *nonne ad hunc* el. Servavi cum Cod. b. v. *etiam*; videlicet significat, „vel ad ipsum Cn. Domitium, Caesaris amicum, venisse Phidippum, sui indicii iamiam poenitentem.“ — *impotens*] Cod. Steph. (*potens* b.) *impudens* el. E. Ignorabant scil. scriptores librarii eum, qui hic obtinet, significatum voc. *impotens*. — *domesticaque inhumanitate* el. Steinmetz. *domesticaque tua immanitate* b.

§ 33. *optimi viri*] Priscian. 18, 19. p. 168. Krehl. (Etiam Cod. Turic.) Cod. Dresd. *viri optimi* b. *optimi hominis* el. E., id quod etiam sono (*nomine - - hominis*) aures offendit. — *Nonne*] elb. *Non* E. coni. — *capita civium*] elb. *civium capita* E.

---

§ 32. *hunc*] praesentem Cn. Domitium Calvinum. *Ser. Sulpicius*, clarissimus ICtus, mortuus a. u. c. 711. *T. Manlius Torquatus*, eius T. Torquati filius, de quo loquitur in Bruto c. 70.

§ 33. *Blesamius*] legatus Deiotari cum Hiera et Antigono § 41. — *inter reges*] Dio Cass. 43, 45. *Καίσαρος εἰκόνα ἐς τὸ Καπιτώλιον παρὰ τοὺς βασιλεύσαντάς ποτε ἐν τῇ Ῥώμῃ ἀνέθεσαν. καί μοι θαυμάσαι τῆς συντυχίας ἐπέρχεται. ὀκτὼ γὰρ ἅμα αὐτῶν (ἑπτὰ μὲν ἐκείνοις, ὀγδόῳ δὲ τῷ γε Βρούτῳ τῷ τοὺς*

ex urbanis malevolorum sermunculis haec ab istis esse collecta? Blesamius tyrannum Caesarem scriberet? Multorum enim capita civium viderat; multos iussu Caesaris vexatos, verberatos, necatos; multas afflictas et eversas domos; armatis militibus refertum forum. Quae semper in civili victoria sensimus, ea te victore non vidimus. Solus, inquam, 34
es, C. Caesar, cuius in victoria ceciderit nemo nisi armatus. Et quem nos liberi, in summa populi Romani libertate nati, non modo non tyrannum, sed etiam clementissimum in victoria ducimus, is Blesamio, qui vivit in regno, tyrannus videri potest? Nam de statua quis queritur, una praesertim, cum tam multas videat? Valde enim invidendum est eius statuis, cuius tropaeis non invidimus. Nam si locus affert invidiam, nullus est ad statuam quidem Rostris clarior. De plausu autem quid respondeam? qui nec desideratus unquam a te est, et nonnunquam, obstupefactis hominibus, ipsa admiratione compressus est, et fortasse eo praetermissus, quia nihil volgare te dignum videri potest.

XIII. Nihil a me arbitror praetermissum, sed aliquid 35
ad extremam causae partem reservatum. Id autem aliquid est, te ut plane Deiotaro reconciliet oratio mea: non enim iam metuo, ne illi tu succenseas; illud vereor, ne tibi

---

§ 34. *Solus, solus, inquam* Lamb. — *sed clement.* b. Madvig. (non el.) — *in victoria ducem vidimus* e. — *invidemus* b. (sed *invidimus*, ut Gruterus et E., habent el.) — *nullus est*] Vetus Schol. b. *nullus locus est* el. E.

§ 35. *praeteritum, sed aliquid ad extremum causae reservatum. Id autem quid est? Te ut* e Cod. Vir doctus (Cuiacius vel Bongarsius) in marg. exemplaris

---

Ταρκυνίους καταλύσαντι οὖσαν παρὰ ταύτην τότε τὴν τοῦ Καίσαρος ἔστησαν. Septem scil. hi erant Romulus, Tatius, Numa, Tullus Hostilius, Ancus Marcius, L. Tarquinius Priscus, Servius Tullius. cfr. Ascon. in Scaur. p. 30. — *multorum enim civium*] Confectis bellis civilibus, ut scribit Appianus B. C. 2, 107. *σπεῖραι δ' ὅσαι στρατηγίδες αὐτὸν ἐκ τῶν πολέμων ἔτι ἐσωματοφυλάκουν, ἀπέστησε τῆς φυλακῆς καὶ μετὰ τῆς δημοσίας ὑπηρεσίας ἐπεφαίνετο μόνης.* Velleius 2, 57. de Hirtio et Pansa: *semper praedixerunt Caesari, ut principatum armis quaesitum armis teneret, quibus ille respondit, „mori se quam timeri malle."*

§ 34. *Rostris*] Dio Cass. 44, 4. *καὶ ἐν ταῖς πόλεσι τοῖς τε ναοῖς τοῖς ἐν τῇ Ῥώμῃ πᾶσιν ἀνδριάντα τινὰ αὐτοῦ εἶναι ἐκέλευσαν. καὶ ἐπί γε τοῦ βήματος δύο, τὸν μὲν, ὡς τοὺς πολίτας σεσωκότος, τὸν δὲ, ὡς τὴν πόλιν ἐκ πολιορκίας ἐξῃρημένου, μετὰ τῶν στεφάνων τῶν ἐπὶ τοῖς τοιούτοις νενομισμένων ἱδρύσαντο.*

illum succensere aliquid suspicere. Quod abest longissime, mihi crede, Caesar: quid enim retineat per te, meminit, non quid amiserit; neque se a te multatum arbitratur, sed cum existimaret multis tibi multa esse tribuenda, quominus a se, qui in altera parte fuisset, ea sumeres, non
36 recusavit. Etenim si Antiochus magnus ille, rex Asiae, posteaquam a L. Scipione devictus Tauro tenus regnare iussus esset omnemque hanc Asiam, quae est nunc nostra provincia, amisisset, dicere est solitus, benigne sibi a populo Romano esse factum, quod nimis magna procuratione liberatus modicis regni terminis uteretur, potest multo facilius se Deiotarus consolari. Ille enim furoris multam sustulerat, hic erroris. Omnia tu Deiotaro, Caesar, tribuisti, cum et ipsi et filio nomen regium concessisti. Hoc nomine retento atque servato nullum beneficium populi Romani, nullum iudicium de se senatus imminutum putat; magno animo et erecto est, nec unquam succumbet inimicis, ne fortunae qui-
37 dem. Multa se arbitratur et peperisse ante factis et habere in animo atque virtute, quae nullo modo possit amittere. Quae enim fortuna aut quis casus aut quae tanta possit iniuria omnium imperatorum de Deiotaro decreta delere? ab omnibus est enim iis ornatus, qui, posteaquam in castris

---

Bernensis Ed. Lambin. 1566. — *illi tu*] b. Havn. *tu illi* el. E. — *existimares* el. — *in alteram partem potuisset* el. in quibus latet gloss. *in altera parte* Pompeii *fuisset*.

§ 36. *Asiae, postquam*] Patricius. (Frotscher.) *Asiae, qui, postquam* b. Dresd. *Asiae, cum, postquam* el. E. Ex varietate Cod. b. patet, alios, cum constructionis part. *si* rationem non perspicerent, inculcasse *qui*, alios non minus perverse *cum*. *Asiae, cum,* [*postquam*] Madvig. — *a L. Scipione*] Dresd. b. *a Scipione* el. E. — *multam sustulerat* Colon. Cfr. Madvig. Opuscc. p. 202. (de N. D. 33, 82. *poenas sustulit.*) — *sustinuerat* el. E. *subierat* b. — *servato*] el. *reservato* b. *conservato* E. — *nec fortunae quidem* b.

§ 37. *est enim iis ornatus*] Colon. *enim est ornatus* el. *enim his ornatus est* b. E. — *posteaquam*] elb. *postquam* E. — *de magn.*] elb. *quid de m.* E. — *esse virt.*] elb. *virt. esse* E.

---

§ 35. *multis tibi*] Dio Cass. 43, 47., ubi praetores quattuordecim, quadraginta autem quaestores a Caesare factos scribit, *πολλοῖς γὰρ δὴ πολλὰ ὑπεσχημένος οὐκ εἶχεν ὅπως σφᾶς ἄλλως ἀμείψεται.*

§ 36. Devicto Antiocho a L. Scipione Asiatico a. u. c. 565., Asia cis Taurum ei adempta est.

§ 37. *omnium imperatorum*] Philipp. 11, 13, 33. *Quae de illo viro Sulla,*

se potuit per aetatem, in Asia, Cappadocia, Ponto, Cili-
a, Syria bella gesserunt. Senatus vero iudicia de illo tam
ulta tamque honorifica, quae publicis populi Romani litte-
s monumentisque consignata sunt, quae unquam vetustas
oruet aut quae tanta delebit oblivio? Quid de virtute eius
icam? de magnitudine animi, gravitate, constantia? quae
nnes docti atque sapientes summa, quidam etiam sola bona
se dixerunt, hisque non modo ad bene, sed etiam ad beate
ivendum contentam esse virtutem. Haec ille reputans et 38
ies noctesque cogitans, non modo tibi non succenset, (esset
nim non solum ingratus, sed etiam amens), verum omnem
ranquillitatem et quietem senectutis acceptam refert cle-
nentiae tuae.

XIV. Quo quidem animo cum antea fuit, tum non du-
bito, quin tuis litteris, quarum exemplum legi, quas ad eum
Tarracone huic Blesamio dedisti, se magis etiam erexerit
ab omnique sollicitudine abstraxerit. Iubes enim eum bene
sperare et bono esse animo: quod scio te non frustra scri-
bere solere; memini enim iisdem fere verbis ad me te scri-
bere meque tuis litteris bene sperare non frustra esse iussum.
Laboro equidem regis Deiotari causa, quocum mihi amici- 39
tiam res publica conciliavit, hospitium voluntas utriusque
coniunxit, familiaritatem consuetudo attulit, summam vero
necessitudinem magna eius officia et in me et in exercitum
meum effecerunt; sed cum de illo laboro, tum de multis
amplissimis viris, quibus semel ignotum a te esse oportet,
nec beneficium tuum in dubium vocari, nec haerere in ani-
mis hominum sollicitudinem sempiternam nec accidere, ut
quisquam te timere incipiat eorum, qui sint semel a te libe-
rati timore. Non debeo, C. Caesar, quod fieri solet in 40
tantis periculis, tentare, ecquonam modo dicendo miseri-
cordiam tuam commovere possim. Nihil opus est; occurrere

§ 38. *noctesque*] el. *et noctes* b. E.

§ 39. *et in me*] b. *in me* el. E. — *sint semel a te*] elb. *semel a te sint* E.

quae Murena, quae Sertorius, quae Lucullus quam ornate, quam honorifice, quam graviter saepe in senatu praedicaverunt? Quid de Cn. Pompeio loquar? qui unum Deiotarum in toto orbe terrarum ex animo amicum vereque benevolum, unum fidelem populo R. iudicavit.

solet ipsa supplicibus et calamitosis, nullius oratione evocata. Propone tibi duos reges, et id animo contemplare, quod oculis non potes. Dabis profecto misericordiae, quod iracundiae denegavisti. Multa sunt tuae clementiae monumenta, sed maxime eorum incolumitates, quibus salutem dedisti. Quae si in privatis gloriosa sunt, multo magis commemorabuntur in regibus. Semper regium nomen in hac civitate sanctum fuit; sociorum vero regum et amicorum sanctissimum.

41 XV. Quod nomen hi reges ne amitterent, te victore timuerunt; retentum vero et a te confirmatum posteris etiam suis traditaros esse confido. Corpora sua pro salute regum suorum hi legati tibi regii tradunt, Hieras et Blesamius et Antigonus, tibi nobisque omnibus iam diu noti, eademque fide et virtute praeditus Dorylaus, qui nuper cum Hiera legatus est ad te missus, cum regum amicissimi, tum tibi
42 etiam, ut spero, probati. Exquire de Blesamio, numquid ad regem contra dignitatem tuam scripserit. Hieras quidem causam omnem suscipit et criminibus illis pro rege se supponit reum; memoriam tuam implorat, qua vales plurimum; negat unquam se a te in Deiotari tetrarchia pedem discessisse; in primis finibus tibi se praesto fuisse dicit, usque ad ultimos prosecutum; cum e balneo exisses, tecum se fuisse, cum illa munera inspexisses coenatus, cum in cubiculo secubuisses; eandemque assiduitatem tibi se praebuisse
43 postridie. Quamobrem si quid eorum, quae obiecta sunt, cogitatum sit, non recusat, quin id suum facinus iudices. Quocirca, C. Caesar, velim existimes, hodierno die sententiam tuam aut cum summo dedecore miserrimam pestem importaturam esse regibus, aut incolumem famam cum salute: quorum alterum optare illorum crudelitatis est, alterum conservare clementiae tuae.

---

§ 40. *solet ipsa*] el. *ipsa solet* b. E. — *profecto id.* e. (non lb.) — *denegavisti*] el. *denegasti* b. *negavisti* E. — *monumenta clementiae tuae* e. — *incolumitas* l. *incolumitatis* (sic) e.

§ 41. *corpora sua*] el. *corpora vero sua* b. E. — *cum regum*] eb. *tum* r. l. B.

§ 42. *assiduitatem se* b. prob. Madvig.

§ 43. *suum facinus*] e. *facinus suum* lb. E.

M. TULLII CICERONIS

IN

M. ANTONIUM

ORATIO PHILIPPICA I.

MONITUM.

In his duabus primis orationibus Philippicis denuo emendavi meam recognitionem (O.) in nonnullis accuratius sequens Codicem Vaticanum praestantissimum, in aliis, ubi ille corruptus videbatur, tres nondum ab aliis usurpatos, scilicet Guelferbytanum N. 216. Sec. XII.; Bernensem N. 104. Sec. XIII., simillimum eius, cuius excerpta dedit Carolus Stephanus; Bambergensem Sec. XIII.

ARGUMENTUM.

A. d. IV. Non. Septembr. a. u. c. 710. *in senatum venit Cicero absente M. Antonio et hac oratione prima primum exposuit consilium profectionis in Graeciam susceptae ob M. Antonium a se captum, inde a Kalendis Iuniis res novas in civitate molientem.* (*c.* 1. 2.) *Deinde ratione reversionis suae reddita Pisonis orationem collaudat, Kal. habitam Sextilibus* (*c.* 3. 4.) *Tum Antonii iniuriam hesterno die sibi illatam castigat et se, si in senatu adfuisset, pariter ac Pisonem supplicationes Caesari mortuo negaturum fuisse pronuntiat.* (*c.* 5. 6.)

Iam quae in praesentia e re publica esse sibi videantur, exponit. Ac primum quidem Caesaris acta pacis et otii causa servanda esse censet. Docet autem nihil esse tam in actis Caesaris quam leges Caesaris. In his acta eius chirographis ab Antonio prolatis dissolvi ferendum non esse. Hic commemorat legem, ne praetoriae provinciae ultra annum neve consulares ultra biennium obtineantur. Deinde ostendit Antonii lege de tertia iudicum decuria Iulias leges iudiciarias tolli omnes; item Antonii lege, quae homines de vi et de maiestate damnatos, si velint, ad populum provocare iubeat, cum ceteras leges dissolvi, tum in primis Iulias, quibus decretum sit, ut de vi et de maiestate damnatis aqua et igni interdicatur. Sed ne Antonii quidem leges post Caesaris mortem latas evertendas iudicat: quamquam verendum sit, ne iste, qui quasi ex Caesaris mortui commentariis reduxerit exules, universas nationes et provincias civitate et immunitatibus donarit, omnia susque deque habeat, iam quaecunque videantur vi et armis obtrudat pro legibus. (*c.* 7—10.) *Iam si, quae de re publica sentiat, libere dixerit, deprecatur iram Antonii, quam si non possit lenire precibus, petit, ut Antonius sibi tamquam civi irascatur, armorum vi abstineat.* (*c.* 11.) *Postremo utrumque consulem, Dolabellam praesentem, absentem Antonium cohortatur, ut veram sectentur gloriam, quae ex recte factis magnisque in rem publicam meritis nascatur.* (*c.* 12—15.)

I. Antequam de re publica, Patres conscripti, dicam 1
a, quae dicenda hoc tempore arbitror, exponam vobis bre-
iter consilium et profectionis et reversionis meae. Ego
um sperarem aliquando ad vestrum consilium auctorita-
emque rem publicam esse revocatam, manendum mihi sta-
uebam quasi in vigilia quadam consulari ac senatoria. Nec
'ero usquam discedebam nec a re publica deiiciebam oculos
'x eo die, quo in aedem Telluris convocati sumus. In quo
emplo, quantum in me fuit, ieci fundamenta pacis Athe-
iensiumque renovavi vetus exemplum; Graecum etiam ver-
oum usurpavi, quo tum in sedandis discordiis usa erat civi-
tas illa, atque omnem memoriam discordiarum oblivione
sempiterna delendam censui. Praeclara tum oratio M. An- 2
tonii; egregia etiam voluntas; pax denique per eum et per
liberos eius cum praestantissimis civibus confirmata est.
Atque his principiis reliqua consentiebant. Ad deliberationes
eas, quas habebat domi de re publica, principes civitatis
adhibebat; ad hunc ordinem res optimas deferebat; nihil tum,
nisi quod erat notum omnibus, in C. Caesaris commentariis
reperiebatur; summa constantia ad ea, quae quaesita erant,

---

§ 1. *reversionis meae*] ad Att. 16, 7. *quam valde ille reditu vel potius reversione mea laetatus. Reditus* proprie est eius, qui quo statuerat, pervenit indeque domum redit: *reversio* autem eius, quem ex itinere causa aliqua revocat ac reducit ad eundem locum, unde a principio discesserat. MANUT. — *ex eo die*] XVI. Kal. April. (17. d. Maii.) cfr. Philipp. 2, 35. — *Telluris*] Appian. B. C. 2, 126. *διάγραμμα νυκτὸς ἀνεγιγνώσκετο Ἀντωνίου τὴν βουλὴν συγκαλοῦντος ἔτι πρὸ ἡμέρας ἐς τὸ τῆς Γῆς ἱερὸν ἀγχοτάτω μάλιστα ὂν τῆς οἰκίας Ἀντωνίου· οὔτε γὰρ ἐς τὸ βουλευτήριον ἐθάῤῥει κατελθεῖν ὑποκείμενον τῷ Καπιτωλίῳ μονομάχων ὄντων τοῖς τυραννοκτόνοις συνεργῶν, οὔτε στρατιὰν εἰσαγαγὼν ἐς τὴν πόλιν διαταράξαι.* — *Graecum verbum*] Scil. *ἀμνηστίας* s. *μὴ μνησικακήσειν.* Thrasybulas a. ante Chr. 403. cum Athenas occupasset, *οἱ ἐκ τοῦ Πειραιῶς, καὶ οἱ ἐκ τοῦ ἄστεος*, ut est apud Xenoph. Hist. Gr. 2, 4, 43., *ὀμόσαντες ὅρκους ἦ μὴν μὴ μνησικακήσειν, ἔτι καὶ νῦν ὁμοῦ γε πολιτεύονται καὶ τοῖς ὅρκοις ἐμμένει ὁ δῆμος.* Appian. B. C. 2, 142. *Κικέρων πολὺ τῆς ἀμνηστίας ἐγκώμιον ἐπέλεγεν.*

§ 2. *per liberos*] Velleius 2, 58. *Consul Antonius velut pacis auctor, liberos suos obsides in Capitolium misit fidemque descendendi tuto interfectoribus Caesaris dedit.* Proprie unus erat eius filius parvulus; cfr. c. 13. — *res optimas deferebat*] Patet aliquanto latius quam *referebat*, (quod volebat Ernestius); senatui optima quaeque proponebat pollicebaturque etiam extra relationem consularem proprie dictam.

3 respondebat. Num qui exules restituti? Unum aiebat, praeterea neminem. Num immunitates datae? Nullae, respondebat. Assentiri etiam nos Ser. Sulpicio, clarissimo viro, voluit, ne qua tabula post Idus Martias ullius decreti Caesaris aut beneficii figeretur. Multa praetereo, eaque praeclara; ad singulare enim M. Antonii factum festinat oratio. Dictaturam, quae iam vim regiae potestatis obsederat, funditus ex re publica sustulit. De qua ne sententias quidem diximus; scriptum senatus consultum, quod fieri vellet, attulit; quo recitato, auctoritatem eius summo studio secuti sumus eique amplissimis verbis per senatus consultum gratias egimus.

4 II. Lux quaedam videbatur oblata non modo regno, quod pertuleramus, sed etiam regni timore sublato; magnumque pignus ab eo rei publicae datum se liberam civitatem esse velle, cum dictatoris nomen, quod saepe iustum fuisset, propter perpetuae dictaturae recentem memoriam fun-
5 ditus ex re publica sustulisset. Liberatus periculo caedis paucis post diebus senatus; uncus impactus est fugitivo illi, qui in C. Marii nomen invaserat. Atque haec omnia communiter cum collega. Alia porro propria Dolabellae; quae, nisi collega abfuisset, credo eis futura fuisse communia.

---

§ 3. *restituti*] a Caesare. — *unum*] Antonius ipse in Epp. ad Att. 14, 13.: *A Caesare petii, ut Sex. Clodium* (hominem turbulentum, asseclam olim P. Clodii) *restitueret; impetravi.* — *immunitates datae*] provinciis et liberis civitatibus, quibus immunitatibus minuerentur populi Ro. vectigalia. — *Ser. Sulpicio*] Rufo, cos. a. u. c. 703., clarissimo iureconsulto. — *obsederat*] occuparat, ut saepe de militibus apud Livium 3, 50. *qui armati Aventinum obsedissent*; 31, 28. *ad obsidendas angustias*; hinc translate h. l. pro *obtinebat*, quod ipsum gloss. malebat Ern.

§ 4. *oblata*] Exquisitius verbum pro *oborta*, quod proposuit Ern. habetque Cod. Oxon. φ.

§ 5. *fugitivo illi*] Appian. B. C. 3, 2. *Ἀμάτιος* (Livio *Chamax*, Valerio Max. *Herophilus*) *ἦν ὁ ψευδομάριος· Μαρίου γὰρ ὑπεκρίνατο υἱωνὸς εἶναι, καὶ διὰ Μάριον ὑπερήρεσκε τῷ δήμῳ. γιγνόμενος οὖν κατὰ τήνδε τὴν ὑπόκρισιν συγγενὴς τῷ Καίσαρι ὑπερήλγει μάλιστα αὐτοῦ τεθνεῶτος καὶ βωμὸν ἐπῳκοδόμει τῇ πυρᾷ καὶ χεῖρα θρασυτέρων ἀνδρῶν εἶχε καὶ φοβερὸς ἦν αἰεὶ τοῖς σφαγεῦσιν.* — *Τούτοις αὐτοῖς ὁ Ἀμάτιος, ὅτε συντύχοι, καὶ ἐνεδρεύσειν ἐλέγετο. τῷδε οὖν τῷ λόγῳ τῆς ἐνέδρας ὁ Ἀντώνιος ἐπιβαίνων οἷα ὕπατος συλλαμβάνει καὶ κτείνει τὸν Ἀμάτιον χωρὶς δίκης μάλα θρασέως.* Qua impudentia is vivo Caesare Ciceronem rogarit, ut se defenderet ab iis, qui dubiam ei a Mario originem faciebant, non minus festive quam stomachose narrat ad Att. 12, 49. — *collega abfuisset*] Scilicet per men-

am, cum serperet in urbe infinitum malum, idque mana-
t in dies latius iidemque bustum in foro facerent, qui
am insepultam sepulturam effecerant, et quotidie magis
agisque perditi homines cum sui similibus servis tectis ac
mplis urbis minarentur, talis animadversio fuit Dolabellae
ım in audaces sceleratosque servos, tum in impuros et
ıfarios liberos, talisque eversio illius exsecratae columnae,
t mihi mirum videatur tam valde reliquum tempus ab illo
no die dissensisse. Ecce enim Kalendis Iuniis, quibus ut 6
dessemus edixerant, mutata omnia; nihil per senatum, multa
t magna per populum et absente populo et invito. Con-
ules designati negabant se audere in senatum venire; pa-
iae liberatores urbe carebant ea, cuius a cervicibus iugum
ervile deiecerant: quos tamen ipsi consules et in contioni-
us et in omni sermone laudabant. Veterani qui appella-
antur, quibus hic ordo diligentissime caverat, non ad con-
ervationem earum rerum, quas habebant, sed ad spem
ıovarum praedarum incitabantur. Quae cum audire mal-
em quam videre haberemque ius legationis liberum, ea

---

em Aprilem et Maium veteranorum colonias peragravit Antonius. — *bustum in foro*] ueton. Caes. 85. (infima plebs) *solidam columnam prope viginti pedum lapidis Numidici n foro statuit scripsitque* PARENTI PATRIAE. *Apud eundem longo tempore sacrificare, ota suscipere, controversias quasdam interposito per Caesarem iure iurando distrahere perseveravit.* De praeclaro Dolabellae facinore verba facit Cic. ad Fam. 12, 1. t 9, 1. ad Att. 14, 15. *O mirificum Dolabellam meum! Iam enim dico meum; antea, crede mihi, subdubitabam. Magnam ἀναθεώρησιν: de saxo* (Tarpeio sedi-tiosos liberos praecipitari iussit;) *in crucem* (servos agi;) *columnam tollere; locum illum sternendum locare. Quid quaeris? heroica; sustulisse mihi videtur simulatio-nem desiderii, adhuc quae serpebat in dies, et inveterata verebar, ne periculosa no-stris τυραννοκιόνοις esset.* — *insepulta sepultura*] id est, infausta, exsecrabilis. Ut Tragicus de Orat. 3, 58. Euripidis Hel. 690. *γάμον ἄγαμον* sic expressit: *qua tempestate Paris Helenam* i n n u p t i s *iunxit nuptiis*, sic Cic. h. l. τάφον ἄταφον.

§ 6. *absente populo*] Scil. *vero* (Sest. § 108.) et integro, cum omnia per ope-ras conductas agerentur. — *designati*] Hirtius et Pansa. — *appellabantur*] quos cum laudibus et miseratione Caesaris in contionibus alloquebatur concitabatque Antonius. — *caverat*] Praemiis scil., quae a Caesare acceperant, confirmandis. — *ius legationis liberum*] Usitatius esset, quod proposuit Beroaldus, *ius legationis liberae*: id est, cum sine certo mandato permittebatur senatoribus, ut per defini-tum tempus (ad Att. 15, 11.) extra Italiam proficiscerentur, omni legatorum iure in vecturis, hospitiis publicis ceterisque emolumentis legitimis usuri; quod qui-dem ius illo tempore usurpabant, qui turbis intestinis honesta sub causa subtra-

mente discessi, ut adessem Kalendis Ianuariis, quod initium senatus cogendi fore videbatur.

7 III. Exposui, Patres conscripti, profectionis consilium; nunc reversionis, quae plus admirationis habet, breviter exponam. Cum Brundisium iterque illud, quod tritum in Graeciam est, non sine causa vitavissem, Kalendis Sextilibus veni Syracusas, quod ab ea urbe transmissio in Graeciam laudabatur; quae tamen urbs mihi coniunctissima plus una me nocte cupiens retinere non potuit. Veritus sum, ne meus repentinus ad meos necessarios adventus suspicionis aliquid afferret, si essem commoratus. Cum autem me ex Sicilia ad Leucopetram, quod est promontorium agri Rhegini, venti detulissent, ab eo loco conscendi, ut transmitterem; nec ita multum provectus, reiectus austro sum

8 in eum ipsum locum, unde conscenderam. Cumque intempesta nox esset mansissemque in villa P. Valerii, comitis et familiaris mei, postridieque apud eundem ventum exspectans manerem, municipes Rhegini complures ad me venerunt; ex his quidam Roma recentes: a quibus primum accipio M. Antonii contionem, quae mihi ita placuit, ut ea lecta de reversione primum coeperim cogitare. Nec ita multo post edictum Bruti affertur et Cassii; quod quidem mihi, fortasse quod eos plus etiam rei publicae quam familiaritatis gratia diligo, plenum aequitatis videbatur. Addebant praeterea (fit enim plerumque, ut ii, qui boni quid volunt afferre, affingant aliquid, quo faciant id, quod nuntiant, laetius), rem conventuram; Kalendis [Sextilibus] senatum frequentem fore; Antonium repudiatis malis suasoribus, remissis provinciis Galliis ad auctoritatem senatus esse rediturum.

---

here sese cupiebant, ita tamen, ut exules non fierent. Paullo diversa est legatio votiva, voti solvendi causa suscepta. — *Kalendis Ianuariis*] a. u. c. 711.

§ 7. *coniunctissima*] propter Verris causam cet.

§ 8. *Kalendis Sextilibus*] Recte Madvig. Opuscc. acad. p. 168. demonstravit h. l. necessario sermonem esse de Kalendis Septembribus, collata ad Att. 16. Ep. 7. (quae tota comparanda): adeoque delendum esse falsum glossema, quod tamen nuper tueri conatus est Drumann I. p. 143. — *Galliis provinciis*] Gallia Transalpina Munatio Planco, Cisalpina D. Bruto decreta erat a Caesare. Hanc D. Bruti provinciam maxime appetebat Antonius. — *Velia*] Ἐλέα, *Βελία*, oppidum Lucaniae.

IV. Tum vero tanta sum cupiditate incensus ad redi- 9
um, ut mihi nulli neque remi neque venti satisfacerent: non quo me ad tempus occursurum non putarem, sed ne tardius, quam cuperem, rei publicae gratularer. Atque ego celeriter Veliam devectus, Brutum vidi; quanto meo dolore, non dico. Turpe mihi ipsi videbatur in eam urbem me audere reverti, ex qua Brutus cederet, et ibi velle tuto esse, ubi ille non posset. Neque vero illum similiter, atque ipse eram, commotum esse vidi. Erectus enim maximi ac pulcherrimi facti sui conscientia, nihil de suo casu, multa de vestro querebatur. Exque eo primum cognovi, quae 10
Kalendis Sextilibus in senatu fuisset L. Pisonis oratio: qui quamquam parum erat, (id enim ipsum a Bruto audieram) a quibus debuerat, adiutus, tamen et Bruti testimonio (quo quid potest esse gravius?) et omnium praedicatione, quos postea vidi, magnam mihi videbatur gloriam consecutus. Hunc igitur ut sequerer, properavi, quem praesentes non sunt secuti: non ut proficerem aliquid, (neque enim sperabam id nec praestare poteram), sed ut, si quid mihi humanitus accidisset, (multa autem impendere videntur praeter naturam etiam praeterque fatum), huius tamen dici vocem testem rei publicae relinquerem meae perpetuae erga se voluntatis.

Quoniam utriusque consilii causam, Patres conscripti, 11
probatam vobis esse confido, priusquam de re publica dicere incipio, pauca querar de hesterna M. Antonii iniuria; cui

---

§ 9. *de vestro*] de misero statu senatus populique Romani. Hoc longe *παθητικώτερον* quam Edd. vett. *de nostro*.

§ 10. L. Calpurnius Piso cos. a. u. c. 696., in quem est Ciceronis oratio, multaeque aliae invectivae in Sestiana praesertim. Tum autem propter causam ignotam iratus fuit Antonio; nihilominus postea legatus ad Antonium, D. Brutum Mutinae obsidentem, foede ac flagitiose rem egit. ad Fam. 12, 4. — *praeter naturam* cet.] Gellius 13, 1. de h. l.: *An utrumque idem valere voluerit*, fatum *et* naturam, *et duas res ἀνθ' ἑνὸς ὑποκειμένου, πεπρωμένην καὶ φύσιν, an vero diviserit separaritque, ut alios casus natura ferre videatur, alios fatum, considerandum equidem puto* cet. Sane populariter locutus est orator nec cogitandum cum Gellio aliisque de imitatione formularum Homericarum· ὑπὲρ μόρον, ὑπὲρ μοῖραν. „Etiam praeter ultimam necessitatem, sive natura sive certum fatum eam regit, multae aliae insidiae ab hominibus improbis semper impendere mihi videntur:“ (non: (tunc) *videbantur*, ut cum aliis Ern.)

sum amicus idque me nonnullo eius officio debere esse prae me semper tuli.

V. Quid tandem erat causae, cur in senatum hesterno die tam acerbe cogerer? Solusne aberam? an non saepe minus frequentes fuistis? an ea res agebatur, ut etiam aegrotos deferri oporteret? Hannibal, credo, erat ad portas aut de Pyrrhi pace agebatur; ad quam causam etiam Appium illum et caecum et senem delatum esse memoriae
12 proditum est. De supplicationibus referebatur; quo in genere senatores deesse non solent. Coguntur enim non pignoribus, sed eorum, de quorum honore agitur, gratia; quod idem fit, cum de triumpho refertur. Ita sine cura consules sunt, ut paene liberum sit senatori non adesse. Qui cum mihi mos notus esset cumque e via languerem et mihimet displicerem, misi pro amicitia, qui hoc ei diceret. At ille, vobis audientibus, cum fabris se domum meam venturum esse dixit. Nimis iracunde hoc quidem et valde intemperanter. Cuius enim maleficii tanta ista poena est, ut dicere in hoc ordine auderet, se publicis operis disturbaturum publice ex senatus sententia aedificatam domum? Quis autem unquam tanto damno senatorem coëgit? aut quid est ultra pignus aut multam? Quod si scisset, quam sententiam dicturus essem, remisisset aliquid profecto de severitate cogendi.

13 VI. An me censetis, Patres conscripti, quod vos inviti secuti estis, decreturum fuisse, ut parentalia cum supplicationibus miscerentur? ut inexpiabiles religiones in rem

---

§ 11. *officio*] Quod eum Antonius post pugnam Pharsalicam nondum impetrata Caesaris venia Brundisii commorantem, cum interimere iure posset, noluit. Philipp. 2, 24. Ipse Antonius (ad Att. 14, 13.) *Meo*, inquit, *iure te hoc beneficium rogo; nihil enim non tua causa feci* Man. — *Hannibal ad portas*) Proverbium hoc de magno et propinquo periculo apud Romanos invaluerat. — *de quorum*] Vat. *quorum de* O.

§ 12. *e via*] Vatic. Bern. Guelf. Bamb. *de via* O. — *mihimet displicerem*] Accipe de eo aegritudinis ac molestiae sensu, quo afficimur interdum etiam leviter aegrotantes vel defatigati. *(gar nicht aufgelegt, guter Laune sein.)* — *pignus*] Huius moris aliud extat exemplum de Orat. 3, § 4. *Philippus consul pignoribus ablatis Crassum instituit coërcere.* — *aedificatam*] Velleius 2, 45. *Ciceronis domus quam infeste a Clodio disiecta erat, tam speciose a senatu restituta est.*

§ 13. *inexpiabiles religiones*] cerimonias adeo illicitas, ut nullo modo expiari

publicam inducerentur? ut decernerentur supplicationes mortuo? Nihil dico, cui. Fuerit ille Brutus, qui et ipse dominatu regio rem publicam liberavit et ad similem virtutem et simile factum stirpem iam prope in quingentesimum annum propagavit: adduci tamen non possem, ut quemquam mortuum coniungerem cum immortalium religione; ut, cuius sepulcrum usquam exstet, ubi parentetur, ei publice supplicetur. Ego vero eam sententiam dixissem, Patres conscripti, ut me adversus populum Romanum, si qui accidisset gravior rei publicae casus, si bellum, si morbus, si fames, facile possem defendere; quae partim iam sunt, partim timeo ne impendeant. Sed hoc ignoscant dii immortales velim et populo Romano, qui id non probat, et huic ordini, qui decrevit invitus. Quid? de reliquis rei publicae 14
malis licetne dicere? Mihi vero licet et semper licebit dignitatem tueri, mortem contemnere. Potestas modo veniendi in hunc locum sit: dicendi periculum non recuso. Atque utinam, Patres conscripti, Kalendis Sextilibus adesse potuissem! Non quo profici potuerit aliquid: sed ne unus modo consularis, quod tum accidit, dignus illo honore, dignus re publica inveniretur. Qua quidem ex re magnum accipio dolorem homines amplissimis populi Romani beneficiis usos, L. Pisonem ducem optimae sententiae non secutos. Idcircone nos populus Romanus consules fecit, ut in altissimo gradu dignitatis locati, rem publicam pro nihilo haberemus? Non modo voce nemo L. Pisoni consularis, sed ne voltu

---

possint, fore dicit, ubi simul parentetur mortuo, diis caelestibus supplicetur. — *ille Brutus*] Vat. *ille L. Brutus* O. — *stirpem*] Volgaris haec erat fama, satis tamen refutata a Dionysio Halic. 5, 18. Scil. L. Iunius Brutus patricius fuit, plebeii Bruti ii, a quibus genus ducebat ὁ τυραννοκτόνος. Cfr. Voegelinum meum ad Plut. M. Brut. p. 5. — *quingentesimum*] ab a. u. c. 245. ad 710. proprie anni sunt 465. — *usquam extet*] Recte hanc Codd. Colon. Bern. lect. praetulerunt Ern. et Madvig. Opusc. acad. p. 202. Hoc dicit: „mortuum, cuius sepulcrum ipsum testatur eum mortalem, non deum fuisse, nunquam equidem pro deo colam.“ Vatic. *nusquam* totam h. l. sententiam manifesto pervertit. Contrariam sententiam habes apud Euripidem, Alcest. 995. μηδὲ νεκρῶν ὡς φθιμένων χῶμα νομιζέσθω Τύμβος σᾶς ἀλόχου, θεοῖσι δ' ὁμοίως τιμάσθω, σέβας ἐμπόρων.

§ 14. *altissimo*] Sic Vatic. a pr. m. Bern. Guelf. *altissimo amplissimoque* Vat. a m. sec. in marg. O. Ortum videtur vel e διττογραφίᾳ vel ex superiore v. *amplissimis*.

15 quidem assensus est. Quae, malum! est ista voluntaria servitus? Fuerit quaedam necessaria. Neque ego hoc ab omnibus iis desidero, qui sententiam consulari loco dicunt. Alia causa est eorum, quorum silentio ignosco: alia eorum, quorum vocem requiro. Quos quidem doleo in suspicionem populo Romano venire non modo metus, quod ipsum esset turpe, sed alium alia de causa deesse dignitati suae.

VII. Quare primum maximas gratias et ago et habeo L. Pisoni, qui non, quid efficere posset in re publica, cogitavit, sed quid facere ipse deberet: deinde a vobis, Patres conscripti, peto, ut, etiam si sequi minus audebitis orationem atque auctoritatem meam, benigne me tamen, ut adhuc fecistis, audiatis.

16 Primum igitur acta Caesaris servanda censeo; non quo probem: (quis enim id quidem potest?) sed quia rationem habendam maxime arbitror pacis atque otii. Vellem adesset Antonius, modo sine advocatis. Sed, ut opinor, licet ei minus valere, quod mihi heri per illum non licuit. Doceret me vel potius vos, Patres conscripti, quemadmodum ipse Caesaris acta defenderet. An in commentariolis et chirographis et libellis se uno auctore prolatis, ne prolatis quidem, sed tantummodo dictis, acta Caesaris firma erunt: quae ille in aes incidit, in quo populi iussa perpetuasque
17 leges esse voluit, pro nihilo habebuntur? Equidem existimo nihil tam esse in actis Caesaris, quam leges Caesaris. An, si cui quid ille promisit, id erit fixum, quod idem non facere potuit? ut multis multa promissa non fecit. Quae tamen multo plura illo mortuo reperta sunt, quam a vivo benefi-

§ 15. *consulari loco*] inter consulares; proxima huic erat senatorum dignitas praetorio loco sententiam dicendi. Balb. 25, 57. *qui legum praemiis praetoriam sententiam et praetextam togam consequuntur.* — *populo Romano*] Sic Bern. Guelf. omnibus litteris pro Ern. *populi Romani.* — *non modo metus*] Vatic. Est genitivus pendens a v. *suspicionem.* Quod cum parum intelligerent, in Bern. aliisque scripserunt *non metu;* id quod praetulit Madvig. — *alia de causa*] quia Antonii partibus favebant.

§ 16. *sine advocatis*] κατ' εἰρωνείαν, sine militibus, quibus solebat senatum obsidere.

§ 17. *non facere potuit*] Firmat tandem hanc Mureti coni. Cod. Bamberg. „Quod pro suo iure, arbitratu suo facere aut non facere potuit." idque requirit

cia per omnes annos tributa et data. Sed ea non muto, non
moveo; summo etiam studio praeclara illius acta defendo.
Pecunia utinam ad Opis maneret! cruenta illa quidem, sed
his temporibus, quoniam iis, quorum est, non redditur,
necessaria. Quamquam ea quoque sit effusa, si ita in actis
fuit! Ecquid est, quod tam proprie dici possit actum eius, 18
qui togatus in re publica cum potestate imperioque versatus
sit, quam lex? Quaere acta Gracchi: leges Semproniae pro-
ferentur. Quaere Sullae: Corneliae. Quid? Cn. Pompeii
tertius consulatus in quibus actis constitit? Nempe in legi-
bus. De Caesare ipso si quaereres, quidnam egisset in urbe
et in toga: leges multas responderet se et praeclaras tulisse;
chirographa vero aut mutaret aut non daret aut, si dedis-
set, non istas res in actis suis duceret. Sed haec ipsa con-
cedo; quibusdam etiam in rebus conniveo: in maximis vero
rebus, id est, legibus, acta Caesaris dissolvi ferendum non
puto.

VIII. Quae lex melior, utilior, optima etiam re publica 19
saepius flagitata, quam ne praetoriae provinciae plus quam
annum neve plus quam biennium consulares obtinerentur?
Hac lege sublata, videnturne vobis Caesaris acta servari?
Quid? lege, quae promulgata est de tertia decuria, nonne

---

ipsa loci sententia pro Vatic. et volg. *facere non potuit*, i. e. ὃ ἀδύνατον ἦν αὐτῷ. — *ad Opis*] Cfr. Philipp. 2, 37, 93.

§ 18. *tertius consulatus*] a. u. c. 702.

§ 19. *de tertia decuria*] Scil. *iudicum*, quod gloss. addit Bern. cum plerisq. „L. Aurelius Cotta praetor a. u. c. 684. tulit, ut omnes tres ordines iudicatu fungerentur. A quo tempore tres *decuriae* s. classes iudicum a praetore urbano iurato descriptae fuerunt, prima senatorum, altera equitum, tertia tribunorum aerariorum e plebe; ita quidem, ut in singulis iudiciis e tribus istis decuriis aliquot legerentur. Eam deinde Cn. Pompeius Magnus iterum cos. a. 699. rationem iniit, lege iudiciaria lata, ut ex iisdem quidem tribus ordinibus, sed aliter tamen, iudices legerentur. Tulit enim, ut ex amplissimo censu ex centuriis aliter quam antea lecti iudices, aeque tamen ex illis tribus ordinibus res iudicarent. (Ascon. ad Pison. c. 39.) Mansit ea ratio usque ad C. Caesarem dictatorem, qui tres decurias ad duas redegit, senatorum et equitum; tribunos aerarios, quae erat tertia, sustulit. (Suet. Caes. 41.) Tertiam decuriam ex centurionibus vilissimoque genere hominum paullo post M. Antonius lege sua addidit; quae brevi post iudicato hoste Antonio rursus sublata est, restituta haud dubie tribunorum aerariorum decuria.“ Bachii Hist. iurisprud. Ed. 5. Lipsiae 1796. p. 97.

omnes iudiciariae leges Caesaris dissolvuntur? Et vos acta Caesaris defenditis, qui leges eius evertitis? Nisi forte, si quid memoriae causa rettulit in libellum, id numerabitur in actis et quamvis iniquum et inutile sit defendetur: quod ad populum centuriatis comitiis tulit, id in actis Caesaris
20 non habebitur. At quae est ista tertia decuria? — Centurionum, inquit. — Quid? isti ordini iudicatus lege Iulia, etiam ante Pompeia, Aurelia non patebat? — Census praefiniebatur, inquit. — Non centurioni quidem solum, sed equiti etiam Romano. Itaque viri fortissimi atque honestissimi, qui ordines duxerunt, res et iudicant et iudicaverunt. — Non quaero, inquit, istos. Quicunque ordinem duxit, iudicet. — At si ferretis, quicunque equo meruisset, quod est lautius, nemini probaretis; in iudice enim spectari et fortuna debet et dignitas. — Non quaero, inquit, ista: addo etiam iudices manipulares ex legione Alaudarum. Aliter enim nostri negant posse se salvos esse. — O contumeliosum honorem iis, quos ad iudicandum nec opinantes vocatis! Hic enim est legis index, ut ii res in tertia decuria iudicent, qui libere iudicare non audeant. In quo quantus error est, dii immortales! eorum, qui istam legem excogitaverunt! Ut enim quisque sordidissimus videbitur, ita libentissime severitate iudicandi sordes suas eluet laborabitque, ut honestis decuriis potius dignus videatur, quam in turpem iure coniectus.

---

§ 20. *lege Iulia*] Haec ita cum Suetonii l. l. narratione componenda: patebat etiam centurioni iudicatus, si forte fortuna censu erat equestri aut senatorio. — *equiti etiam*] Equites etiam in donis militaribus centuriones anteibant. Liv. 41, 13, 7. *militibus in singulos quini deni denarii dati, duplex centurioni, triplex equiti.* — *quicunque equo meruisset*] Equites Romani propter censum 400000 HS. dumtaxat aut paullo ampliorem splendidioribus, quibus solis ex lege Pompeia iudicatus patebat, non adnumerabantur. — *lautius*] honestius est, maiorem habet dignitatem quam centurionem esse. — *alaudarum*] Suet. Caes. 24. *Addidit legionem unam etiam ex Transalpinis conscriptam vocabulo quoque Gallico: Alauda enim appellabatur; quam disciplina cultuque Romano institutam et ornatam postea universam civitate donavit.* — *Aliter - - iure coniectus*] Per totam § cavet orator, ne exasperentur centuriones isti in decuria tertia iudices futuri. Hoc scil. dicit: „turpi quidem consilio Antonius, ut sibi suisque etiam in manifestis delictis faveant, hanc legem tulit; is enim est *index*, summa legis et consilium; sed vehementer decipietur: nam propter id ipsum, ut iudicatu digni videantur, severiores, quam ipse expectat et sperat, sese praebebunt.“

IX. Altera promulgata lex est, ut de vi et de maiestate damnati ad populum provocent, si velint. Haec utrum tandem lex est, an legum omnium dissolutio? Quis est enim hodie, cuius intersit istam legem † manere? Nemo reus est legibus illis: nemo, quem futurum putemus. Armis enim gesta nunquam profecto in iudicium vocabuntur. — At res popularis. — Utinam quidem aliquid velletis esse populare! Omnes enim iam cives de rei publicae salute una et mente et voce consentiunt. Quae est igitur ista cupiditas legis eius ferendae, quae turpitudinem summam habeat, gratiam nullam? Quid enim turpius, quam qui maiestatem populi Romani minuerit per vim, eum, damnatum iudicio, ad eam ipsam vim reverti, propter quam sit iure damnatus? Sed quid plura de lege disputo? quasi vero 22 id agatur, ut quisquam provocet. Id agitur, id fertur, ne quis omnino unquam istis legibus reus fiat. Quis enim aut accusator tam amens reperietur, qui reo condemnato obiici se multitudini conductae velit? aut iudex, qui reum damnare audeat, ut ipse ad operas mercenarias statim protrahatur? Non igitur provocatio ista lege datur, sed duae maxime salutares leges quaestionesque tolluntur. Quid est aliud adhortari adolescentes, ut turbulenti, ut seditiosi, ut perniciosi cives velint esse? Quam autem ad pestem furor tribunicius impelli non poterit his duabus quaestionibus de vi et de maiestate sublatis? Quid? quod obrogatur legibus 23 Caesaris, quae iubent, ei, qui de vi, item qui maiestatis damnatus sit, aqua et igni interdici? quibus cum provocatio datur, nonne acta Caesaris rescinduntur? Quae qui-

21 (margin, at first line)

---

§ 21. *ut de vi et de mai.*] Sic Bern. Guelf. pro: *ut et de vi et de mai.* O. — *legem manere*] Sic Vatic. Tres mei: *l. venire.* Utrumque corruptum. Cfr. Madvig. Opusc. acad. p. 203. Puto fuisse: *legem valere.* — *ad eam ipsam vim*] Nimirum qui eo nomine damnatus esset, quod vim adversus remp. adhibuisset, provocatione iterum armabatur, ut eadem sua illa vi (turbis ac seditionibus) in iudicio populi uteretur. Garat.

§ 22. *quam autem ad pestem*] quod ad scelus et in remp. et in singulos cives patrandum non poterunt impelli tribuni furibundi? Quod Bern. Bamb. Ern. habent *quam autem ad reip. pestem* e gloss. est.

§ 23. *item qui mai.*] Garatonii coni. recepta a Madvigio ex vestig. Vatic. *itemq. mai.* pro volg. *itemque ei, qui mai.*

dem ego, Patres conscripti, qui illa nunquam probavi, tamen ita conservanda concordiae causa arbitratus sum, ut non modo, quas vivus leges Caesar tulisset, infirmandas hoc tempore non putarem, sed ne illas quidem, quas post mortem Caesaris prolatas esse et fixas videtis.

24 X. De exilio reducti a mortuo; civitas data non solum singulis, sed nationibus et provinciis universis a mortuo; immunitatibus infinitis sublata vectigalia a mortuo. Ergo haec uno, verum optimo, auctore domo prolata, defendimus: eas leges, quas ipse nobis inspectantibus recitavit, pronuntiavit, tulit, quibus latis gloriabatur eisque legibus rem publicam contineri putabat, de provinciis, de iudiciis, eas, inquam, Caesaris leges, nos, qui defendimus acta Cae-
25 saris, evertendas putamus? Ac de iis tamen legibus, quae promulgatae sunt, saltem queri possumus: de iis, quae iam latae dicuntur, ne illud quidem licuit. Illae enim sine ulla promulgatione latae sunt ante quam scriptae. Quaero autem, quid sit, cur aut ego aut quisquam vestrûm, Patres conscripti, bonis tribunis plebi leges malas metuat. Paratos habemus, qui intercedant; paratos, qui rem publicam religione defendant; vacui metu esse debemus. — Quas tu mihi, inquit, intercessiones, quas religiones? — Eas scilicet, quibus rei publicae salus continetur. — Negligimus ista et nimis antiqua et stulta ducimus. Forum saepietur; omnes claudentur aditus; armati in praesidiis multis locis colloca-
26 buntur. — Quid tum? Quod ita erit gestum, id lex erit; et in aes incidi iubebitis, credo, illa legitima: CONSVLES POPVLVM IVRE ROGAVERVNT, (hocine a maioribus accepimus ius rogandi?) POPVLVSQVE IVRE SCIVIT. Qui populus? isne, qui exclusus est? Quo iure? an eo, quod vi et armis

---

§ 24. *nationibus*] ad Att. 14, 12. *Antonius accepta grandi pecunia fixit legem a dictatore comitiis latam, qua Siculi cives Romani; cuius rei vivo illo nulla mentio.* — *immunitatibus*] cfr. Philipp. 2, 38. de Creta. — *nobis*] Vat. Bern. Madvig. *vobis* O.

§ 25. *Quaero autem*] Vat. Bern. Guelf. *Quaerunt* sine v. *autem* O., id quod minus convenit appellationi *Patres conscripti*. — *quas tu mihi*] Plene Verr. Accus. 4, 39. *quam mihi religionem narras? quam poenam? quem senatum?*

§ 26. *hocine* cet.] Hoc vestrum, quod ab illo vetere longissime distat. Legem enim vocatis et in aes incidi iubetis, quae foro saepto, omni aditu clauso cet. lata sit. MAN. Rectius scribitur *hocine* quam *hoccine* cet.

omne sublatum est? Atque ego haec dico de futuris; quod est amicorum ante dicere ea, quae vitari possint: quae si facta non erunt, refelletur oratio mea. Loquor de legibus promulgatis: de quibus est integrum vobis. Demonstro vitia: tollite! Denuntio vim, arma: removete!

XI. Irasci quidem vos mihi, Dolabella, pro re publica 27
licenti non oportebit. Quamquam te quidem id facturum non arbitror. Novi facilitatem tuam. Collegam tuum aiunt in hac sua fortuna, quae bona ipsi videtur, mihi, ne gravius quidpiam dicam, avorum et avunculi sui consulatum si imitaretur, fortunatior videretur: sed eum iracundum audio esse factum. Video autem, quam sit odiosum habere iratum eundem et armatum, cum tanta praesertim gladiorum sit impunitas. Sed proponam ius, ut opinor, aequum, quod M. Antonium non arbitror repudiaturum. Ego, si quid in vitam eius aut in mores cum contumelia dixero, quo minus mihi inimicissimus sit, non recusabo. Sin consuetudinem meam, quam in re publica semper habui, tenuero, id est, si libere, quae sentiam, de re publica dixero: primum deprecor, ne irascatur; deinde, si hoc non impetro, peto, ut sic irascatur, ut civi. Armis utatur, si ita necesse est, ut dicit, sui defendendi causa: iis, qui pro re publica, quae ipsis visa erunt, dixerint, ista arma ne noceant. Quid
hac postulatione dici potest aequius? Quod si, ut mihi a 28
quibusdam eius familiaribus dictum est, omnis eum, quae habetur contra voluntatem eius, oratio graviter offendit, etiam si nulla inest contumelia, feremus amici naturam. Sed iidem illi ita mecum: „Non idem tibi adversario Caesaris licebit, quod Pisoni socero:“ et simul admonent quiddam, quod cavebimus; nec erit iustior in senatum non veniendi morbi causa quam mortis.

---

§ 27. *oportebit*] Bern. Guelf. restitui cum Madvigio. „Incipit enim Tullius hac primum oratione de rep. dicere adversus consules; et quae hic sequuntur, omnia de futuro dicuntur.“ Garat. *oportebat* Vat. O. — *avorum*] paterni, M. Antonii oratoris a. u. c. 655., *materni*, L. Iulii Caesaris a. u. c. 664. — *avunculi*] L. Iulii Caesaris a. u. c. 690.

§ 28. *iustior*] Vatic. *iustior*, *Patres conscripti* O. — *morbi causa*] „Quae si iusta est Antonio non veniendi hodie in senatum, non minus iusta videri poterit, si ego non veniam metu mortis.“ Man. „Pone h. l. *morbus quam mors*, incon-

29 XII. Sed per deos immortales! te enim intuens, Dola-
bella, qui es mihi carissimus, non possum de utriusque
vestrûm errore reticere. Credo enim vos, nobiles homines,
magna quaedam spectantes, non pecuniam, ut quidam nimis
creduli suspicantur, quae semper ab amplissimo quoque
clarissimoque contempta est, non opes violentas et populo
Romano minime ferendam potentiam, sed caritatem civium
et gloriam concupisse. Ea est autem gloria laus recte facto-
rum magnorumque in rem publicam meritorum, quae cum
optimi cuiusque, tum etiam multitudinis testimonio com-
30 probatur. Dicerem, Dolabella, qui recte factorum fructus
esset, nisi te praeter ceteros paullisper esse expertum vi-
derem. Quem potes recordari in vita illuxisse tibi diem
laetiorem, quam cum expiato foro, dissipato concursu im-
piorum, principibus sceleris poena affectis, urbe incendio
et caedis metu liberata te domum recepisti? Cuius ordi-
nis, cuius generis, cuius denique fortunae studia tum laudi
et gratulationi tuae se non obtulerunt? Quin mihi etiam,
quo auctore te in iis rebus uti arbitrabantur, et gratias boni
viri agebant et tuo nomine gratulabantur. Recordare, quaeso,
Dolabella, consensum illum theatri, cum omnes earum
rerum obliti, propter quas fuerant tibi offensi, significarunt
31 se beneficio novo memoriam veteris doloris abiecisse. Hanc
tu, P. Dolabella, (magno loquor cum dolore), hanc tu,
inquam, potuisti aequo animo tantam dignitatem deponere?

XIII. Tu autem, M. Antoni, (absentem enim appello),
unum illum diem, quo in aede Telluris senatus fuit, non

---

dite dixeris, sed sensus idem est." ZUMPT. ad Verr. p. 770., ubi similia afferuntur v. c. de Offic. 2, 5, 16. *collectis ceteris causis eluvionis, pestilentiae, vastitatis.*

§ 29. *meritorum*] Vat. et tres mei. *fama meritorum* O.

§ 31. *potuisti aequo animo*] Vat. Bern. Guelf. *aequo animo potuisti* O. — *absentem enim*] Vatic. *absentem* O. — *veterani*] Corruptum vocabulum. „Quicquid Garatonius dicit, post Caesaris mortem veterani in metu nullo praecipuo fuerunt nec Antonii cum Caesaris interfectoribus oratio ad veteranos Caesaris metu liberandos spectare potuit, nec, si haec fuissent, tam perverse Cicero veteranos toti civitati praeferret." Madvig. Opusc. acad. p. 203. Cum tamen Codd. etiam mei retineant *veterani* (quod cum Manutio delevit Schuetzius, in *senatus* mutatum voluit Ernestius) vide ne fuerit: *quanto metu veteris mali,* oppressionis ac servitii. — *oblitus* cet.] Cum tu ipse creato comitiis centuriatis consule Dolabella obnuntiasti et, quod ad te attinebat, vitiosum consulem fecisti. cfr. Philipp. 2, 33. MANUT. —

omnibus iis mensibus, quibus te quidam multum a me dis-
sentientes beatum putant, anteponis? Quae fuit oratio de
concordia! quanto metu † veterani, quanta sollicitudine civi-
tas tum a te liberata est! Cum collegam tuum depositis
inimicitiis, oblitus auspicia a te ipso augure populi Ro-
mani nuntiata, illo primum die collegam tibi esse voluisti,
tuus parvus filius in Capitolium a te missus pacis obses fuit,
quo senatus die laetior? quo populus Romanus? qui quidem 32
nulla in contione unquam frequentior fuit. Tum denique
liberati per viros fortissimos videbamur; quia, ut illi volue-
rant, libertatem pax consequebatur. Proximo, altero, ter-
tio, denique reliquis consecutis diebus non intermittebas
quasi donum aliquod quotidie afferre rei publicae: maxi-
mum autem illud, quod dictaturae nomen sustulisti. Haec
inusta est a te, a te, inquam, mortuo Caesari nota ad igno-
miniam sempiternam. Ut enim propter unius M. Manlii
scelus decreto gentis Manliae neminem patricium Marcum
Manlium vocari licet, sic tu propter unius dictatoris odium
nomen dictatoris funditus sustulisti. Num te, cum haec 33
pro salute rei publicae tanta gessisses, fortunae tuae, num
amplitudinis, num claritatis, num gloriae poenitebat? Unde
igitur subito tanta ista mutatio? Non possum adduci, ut
suspicer te pecunia captum: licet, quod cuique libet, lo-
quatur; credere non est necesse. Nihil enim unquam in te
sordidum, nihil humile cognovi. Quamquam solent domestici

---

voluisti, tuus] Sic quidem Vatic., sed hiare videtur oratio et excidisse vocabulum arguunt Guelf. *voluisti karissimus tuus*, Bamberg. *voluisti R. tuus*, alii *voluisti reip. tuus*. — *parvus*] Vatic. Guelf. Bamb. *parvulus* Bern. O.

§ 32. *consequebatur*] Vatic. Guelf. *sequebatur* O. In seqq. secutus sum Madvigium sic distinguentem. *proximo, altero:* ut ita procedant numeri: Idib. Mart. Caesar occisus; XVII. Kal. April. tumultus; XVI. K. Apr. senatus in aede Telluris habitus, ἀμνηστία decreta. XV. K. Apr. proximus dies; XIV. alter, XIII. tertius. Ferrarius et Garatonius iungunt *proximo altero*, quo significetur XV. Kal. Apr.; sed nullum aliud exemplum huius usus extat. — *M. Manlii*] Capitolini, qui dum obaeratos de plebe cives ambitiosius sublevat, in crimen maiestatis apud Patres incurrit, in iudicio damnatus et de saxo Tarpeio deiectus est a. u. c. 371. Liv. 6, 20. Nota decreta gentilicia. — *patricium*] „Nam et plebeii Manlii fuere." Manutius.

§ 33. *domestici*] Latenter avaritiam carpit Fulviae, Antonii uxoris, quae

depravare nonnunquam: sed novi firmitatem tuam. Atque utinam, ut culpam, sic etiam suspicionem vitare potuisses!

XIV. Illud magis vereor, ne ignorans verum iter gloriae gloriosum putes plus te unum posse quam omnes, et metui a civibus tuis quam diligi malis. Quod si ita putas, totam ignoras viam gloriae. Carum esse civem, bene de re publica mereri, laudari, coli, diligi gloriosum est: metui vero et in odio esse invidiosum detestabile, imbecillum
34 caducum. Quod videmus etiam in fabulis illi ipsi, qui „*Oderint, dum metuant*, dixerit, perniciosum fuisse. Utinam, Antoni, avum tuum meminisses! de quo tamen audisti multa ex me saepissime. Putasne illum immortalitatem mereri voluisse, ut propter armorum habendorum licentiam metueretur? Illa erat vita, illa secunda fortuna libertate esse parem ceteris, principem dignitate. Itaque, ut omittam res avi tui prosperas, acerbissimum eius supremum diem malim quam L. Cinnae dominatum, a quo ille crudelissime est interfectus.

35 Sed quid oratione te flectam? Si enim exitus C. Caesaris efficere non potest, ut malis carus esse quam metui, nihil cuiusquam proficiet nec valebit oratio. Quem qui beatum fuisse putant, miseri ipsi sunt. Beatus est nemo, qui ea lege vivit, ut non modo impune, sed etiam cum summa interfectoris gloria interfici possit. Quare flecte te, quaeso, et maiores tuos respice atque ita guberna rem publicam, ut natum esse te cives tui gaudeant; sine quo nec beatus nec clarus esse quisquam potest.

---

etiam C. Curionis et P. Clodii uxor fuerat. Philipp. 5, 4. *Mulier sibi felicior quam viris auctionem provinciarum regnorumque faciebat.* MANUT.

§ 34. *in fabulis*] Sic tres mei. *in fabula* Vat. id esset, „in uno L. Accii Atreo," sed praestat id universe dici, pro quo recentior aliquis fortasse scripsisset: *in poësi dramatica.* Simul Caesarem tecte significat. — *immortalitatem*] condicionem nunquam moriendi, semper in terris vivendi. — *mereri*] „pretii ac mercedis loco accipere, ut aliquid aut facias aut concedas." Zumptius ad Verr. Act. 4, § 135. *quid arbitramini Rheginos merere velle, ut ab iis marmorea Venus illa auferatur?* de Nat. D. 1, 24. *quid enim mereas, ut Epicureus esse desinas!* de Fin. 2, 22. *quid merearis igitur, ut te dicas in eo magistratu omnia voluptatis causa facturum esse?* Utraque igitur forma utitur Tullius. — *illa erat*] Accipiendum ac si esset: *illa ei erat*, nisi sic scripsit Cicero. — M. Antonius orator occisus est iussu Marii et Cinnae a. u. c. 667. Vell. 2, 22, 3.

XV. Populi quidem Romani iudicia multa ambo habetis, 36
quibus vos non satis moveri permoleste fero. Quid enim gladiatoribus clamores innumerabilium civium? quid populi versus? quid Pompeii statuae plausus infiniti? quid duobus tribunis plebi, qui vobis adversantur? Parumne haec significant incredibiliter consentientem populi Romani universi voluntatem? Quid? Apollinarium ludorum plausus vel testimonia potius et iudicia populi Romani parum magna vobis videbantur? O beatos illos, qui, cum adesse ipsis propter vim armorum non licebat, aderant tamen et in medullis populi Romani ac visceribus haerebant! Nisi forte Accio tum plaudi et sexagesimo post anno palmam dari, non Bruto, putabatis, qui ludis suis ita caruit, ut in illo apparatissimo spectaculo studium populus Romanus tribueret absenti, desiderium liberatoris sui perpetuo plausu et clamore leniret.

Equidem is sum, qui istos plausus, cum popularibus 37
civibus tribuerentur, semper contempserim: idemque cum a summis, mediis, infimis, cum denique ab universis hoc idem fit cumque ii, qui ante sequi populi consensum solebant, fugiunt, non plausum illum, sed iudicium puto. Sin haec leviora vobis videntur, quae sunt gravissima, num etiam hoc contemnitis, quod sensistis, tam caram populo Romano

---

§ 36. *Populi*] Vat. Bern. Guelf. *Et populi* O. — *gladiatoribus*] ludis gladiatoriis, ut saepe. — *versus*] Firmant hanc lect. Vat. Bamb. Significantur autem populares cantilenae vel in laudem τῶν τυραννοκτόνων vel in Antonii vituperationem ex tempore factae. Male *cursus* Bern. *concursus* Ern. — *quid duobus tribunis pl.*] plausus dati T. Canutio, „qui canina rabie lacerabat Antonium" (Vellei. 2, 64.) et L. Cassio, C. Cassii praetoris ac τυραννοκτόνου fratri, de cuius hoc ipso plausu ad Fam. 12, 2. — *Apollinarium*] Teste Livio 27, 23. celebrabantur a. d. III. Non. Quint. (5. d. Iulii), ex tribus autem meis Kalendariis antiquis (Inscr. Lat. 2. p. 394.) pridie Non. Quintil. (6. d. Iulii) Hi ludi a C. Antonio praetore dati sunt nomine absentis M. Bruti, praetoris urbani, ad quem horum ludorum cura pertinebat. Manut. — L. Accius tragicus, cuius Tereus tunc in scaenam reductus est, floruit circa a. u. c. 650. — *tribueret - - leniret*] Sic scripsi cum Vat. a sec. m. et Madvigio Opuscc. acad. p. 493. pro *tribuerit - - leniret* Vat. a pr. m. O. et *tribuerit - - lenierit* Madvig. in Ed. Oratt. sel.

§ 37. *popularibus*] Vat. Guelf. Bamb. pro *a popularibus* Bern. O. „Contempsi, inquit, semper plausus Clodio similibusque hominibus in populari gratia se iactantibus a sordidis conductisque et levibus hominibus datos; idem plausum ab omnibus ordinibus ita datum, ut illi populares etiam fugiant, iudicium veri populi

vitam A. Hirtii fuisse? Satis erat enim probatum illum esse populo Romano, ut est; iucundum amicis, in quo vincit omnes; carum suis, quibus est carissimus: tantam tamen sollicitudinem bonorum, tantum timorem in quo meminimus? Certe in nullo.

38 Quid igitur? hoc vos, per deos immortales! quale sit, non interpretamini? Quid eos de vestra vita cogitare censetis, quibus eorum, quos sperant rei publicae consulturos, vita tam cara sit? Cepi fructum, Patres conscripti, reversionis meae: quoniam et ea dixi, ut, quicunque casus consecutus esset, extaret constantiae meae testimonium, et sum a vobis benigne ac diligenter auditus. Quae potestas si mihi saepius sine meo vestroque periculo fiet, utar. Si minus, quantum potero non tam mihi me quam rei publicae reservabo. Mihi fere satis est, quod vixi, vel ad aetatem vel ad gloriam. Huc si quid accesserit, non tam mihi quam vobis reique publicae accesserit.

---

puto." Madvig. Opuscc. acad. p. 204. — *A. Hirtii*] „Hirtio, consule designato, graviter aegrotante populus Ro., quia sperabat eum in consulatu rem publicam defensurum, pro eius incolumitate vota suscepit. Philipp. 7, 4. et 10, 8." Manutius.

§ 38. *ad aetatem*] „Annum agebat sexagesimum tertium, natus a. u. c. 648." Id.

M. TULLII CICERONIS
IN
M. ANTONIUM
ORATIO PHILIPPICA II.

ARGUMENTUM.

Antonius cum de prima Ciceronis oratione Philippica accepisset, eum inimicitiis denuntiatis a. d. XIII. Kal. Oct. in senatu adesse iussit. Cui Cicero partim sibi ipse vitae periculum metuens, partim ab amicis admonitus, non paruit. Interim vero Antonius in Tiburtino Scipionis meditatus orationem illo die in senatu habuit et in Ciceronem absentem acerbissime est invectus. Huic orationi Cicero Philippicam secundam opposuit, nunquam habitam nec statim editam (cfr. ad Attic. 15, 13. 16, 11.), *sed tamen ita scriptam, ut si ipse in senatu eodem die Antonio respondisset. In orationis autem exordio Cicero Antonium cum Catilina et Clodio comparat.* (*c.* 1.) *Deinde ei respondet, quod amicitiam a se violatam esse criminatus erat.* (*c.* 2. 3.) *Tum reprehendit Antonium, quod epistolas suas palam recitaverat, refutatque cum alias et criminationes Antonii et reprehensiones, tum quod ille sua culpa Caesarem a Pompeio disiunctum, sua opera bellum civile conflatum et suo consilio interfectum esse Caesarem dixerat.* (*c.* 4 — 17.) *Secunda orationis parte vitam exagitat Antonii, in qua cum alia ei probro dat, tum quod in Pompeii fortunas invaserit, Caesari autem bona ista repetenti insidias struxerit, eius testamentum irritum reddiderit, postremo tempore etiam sena-*

tum et forum militibus circumsaepserit, haud salva libertate rei publicae, quae non possit nisi caede eius restitui (*c.* 18—44.). *In peroratione autem Antonium dicit cum Caesare una dominandi cupiditate, ceteris vero rebus nullo modo esse comparandum, eumque hortatur, ut in gratiam redeat cum re publica, quae non sit hanc latura tyrannidem; sibi vero nihil potius in votis esse pronuntiat, quam ut, si hoc tempore moriendum sit, populum Romanum relinquat liberum* (*c.* 45. 46.).

---

1 I. Quonam meo fato, Patres conscripti, fieri dicam,
ut nemo his annis viginti rei publicae fuerit hostis, qui non
bellum eodem tempore mihi quoque indixerit? Nec vero
necesse est quemquam a me nominari; vobiscum ipsi recordamini.
Mihi poenarum illi plus, quam optarem, dederunt;
te miror, Antoni, quorum facta imitere, eorum exitus non
perhorrescere. Atque hoc in aliis minus mirabar. Nemo
illorum inimicus mihi fuit voluntarius: omnes a me rei publicae
causa lacessiti. Tu ne verbo quidem violatus, ut
audacior quam Catilina, furiosior quam Clodius viderere,
ultro me maledictis lacessisti tuamque a me alienationem
2 commendationem tibi ad impios cives fore putavisti. Quid
putem? contemptumne me? Non video nec in vita nec in
gratia nec in rebus gestis nec in hac mea mediocritate ingenii
quid despicere possit Antonius. An in senatu facillime
de me detrahi posse credidit? qui ordo clarissimis civibus
bene gestae rei publicae testimonium multis, mihi uni
conservatae dedit. An decertare mecum voluit contentione

---

§ 1. *annis viginti*] „Cum Cicero viginti annos a se consule ad M. Antonium consulem memorat, rectissime ille rationem more Romanorum subduxit. Nos quidem ex nostris putandi legibus, quia excludimus ex ratione annum, qui Ciceronem habuit consulem, undeviginti tantummodo numeramus; eundem vero annum adiecit computationi Cicero; atque ita viginti anni nascuntur; nam a se consule vigesimum consulem inveniebat M. Antonium.“ Ahrens ad Catil. 4. p. 42. — *optarem*] Heumanni coni. *optaram* recepit Madvig. Mihi Codd. lectio hoc significare videtur: „quam etiamnunc optarem, si factum infectum fieri posset.“

dicendi? Hoc quidem est beneficium. Quid enim plenius, quid uberius quam mihi et pro me et contra Antonium dicere? Illud profecto est. Non existimavit sui similibus probari posse se esse hostem patriae, nisi mihi esset inimicus. Cui priusquam de ceteris rebus respondeo, de ami- 3
citia, quam a me violatam esse criminatus est, quod ego gravissimum crimen iudico, pauca dicam.

II. Contra rem suam me, nescio quando, venisse questus est. An ego non venirem contra alienum pro familiari et necessario? Non venirem contra gratiam, non virtutis spe, sed aetatis flore collectam? Non venirem contra iniuriam, quam iste intercessoris iniquissimi beneficio obtinuit, non iure praetorio? Sed hoc idcirco commemoratum a te puto, ut te infimo ordini commendares, cum te omnes recordarentur libertini generum et liberos tuos nepotes Q. Fadii, libertini hominis, fuisse. At enim te in disciplinam meam tradideras; (nam ita dixisti): domum meam ventitaras. Nae tu, si id fecisses, melius famae, melius pudicitiae tuae consuluisses. Sed neque fecisti nec, si cuperes, tibi id per C. Curionem facere licuisset. Auguratus petitionem mihi te con- 4
cessisse dixisti. O incredibilem audaciam! o impudentiam praedicandam! Quo enim tempore me augurem a toto col-

§ 3. *contra rem suam*] *Ich habe ihm einst entgegen gearbeitet.* Consulto totum locum obscuravit Cicero, ut constat ex Epp. ad Att. 16, 11, 1. *De Sicca ita est, ut scribis. Ast aegre me tenui. Itaque perstringam sine ulla contumelia Siccae aut Septimiae; tantum ut sciant παῖδες παίδων sine ullo vallo (felle* vel *sillo) Luciliano, eum ex C. (Q.) Fadii filia liberos habuisse. Atque utinam eum diem videam, cum ista oratio ita libere vagetur, ut etiam in Siccae domum introeat. Sed illo tempore opus est, quod fuit illis triumviris (quo fuerint illi triumviri.) Moriar, nisi facete!* — Id igitur tantummodo colligitur ex verbis orationis et epistolae illius: defensum esse a Cicerone necessarium aliquem, Siccam, puto contra adolescentem libertini generis, qui flore aetatis Antonii gratiam sibi conciliarit: eo studiosius autem necessarii causam susceptam esse a Cicerone, quod insignis illi iniuria facta sit ab intercessore iniquissimo, ni fallor, ab ipso Antonio, qui, cum acerrime pro illo suo amasio libertino propugnaret, necessario hominibus in memoriam revocaret se ipsum Q. Fadii libertini generum esse; in tota autem illa causa et Siccae et Septimiae partes fuisse non nimis honestas. Probe autem distinguendus primus Antonii socer Q. Fadius a tertio M. Fulvio Bambalione. Secundus fuit C. Antonius. — *per C. Curionem*] filium, paucis annis Antonio maiorem, notum trib. pl. a. u. c. 704., quocum flagitiose vivebat. Is igitur, ne Antonius a Cicerone in meliorem viam reduceretur, obstabat.

§ 4. *me augurem*] a. u. c. 701. Cicero in locum M. Licinii Crassi a Parthis

legio expetitum Cn. Pompeius et Q. Hortensius nominaverunt, (neque enim licebat a pluribus nominari), tu nec solvendo eras nec te ullo modo nisi eversa re publica fore incolumem putabas. Poteras autem eo tempore auguratum petere, cum in Italia Curio non esset? aut tum, cum es factus, unam tribum sine Curione ferre potuisses? cuius etiam familiares de vi condemnati sunt, quod tui nimis studiosi fuissent.

5 III. At beneficio sum tuo usus. Quo? Quamquam illud ipsum, quod commemoras, semper prae me tuli. Malui me tibi debere confiteri quam cuiquam minus prudenti non satis gratus videri. Sed quo beneficio? quod me Brundisii non occideris? Quem ipse victor, qui tibi, ut tute gloriari solebas, detulerat ex latronibus suis principatum, salvum esse voluisset, in Italiam ire iussisset, eum tu occideres? Fac potuisse. Quod est aliud, Patres conscripti, beneficium latronum, nisi ut commemorare possint iis se dedisse vitam, quibus non ademerint? Quod si esset beneficium, nunquam qui illum interfecerunt, a quo erant conservati, quos tu ipse clarissimos viros soles appellare, tantam essent gloriam consecuti. Quale autem beneficium est, quod te abstinueris nefario scelere? Qua in re non tam iucundum mihi videri debuit non interfectum a te quam miserum te id impune
6 facere potuisse. Sed sit beneficium, quandoquidem maius accipi a latrone nullum potuit: in quo potes me dicere ingratum? An de interitu rei publicae queri non debui, ne in te ingratus viderer? At in illa querela, misera quidem et luctuosa, sed mihi pro hoc gradu, in quo me senatus

---

caesi augur factus est. — *in Italia*] pro quaestore tum fuit in Asia. ad Fam. 2, 6. — *tum, cum es factus*] in locum Q. Hortensii a. u. c. 704. Hirt. Bell. Gall. 8, 50. — *unam tribum ferre*] Nominabantur augures a collegis duobus; deinde populus nominationem sanciebat. Cfr. Philipp. 13, 6, 12. *Reliqua populus Ro. in ea familia* (Cn. Pompeii), *quam vidit amplissimam, persequetur; in primis paternum auguratus locum, in quem ego Sex. Pompeium, ut quod a patre accepi, filio reddam, mea nominatione cooptabo. Utrum igitur augurem Iovis O. M., cuius interpretes internuntiique constituti sumus, utrum populus Ro. libentius sanciet, Pompeium, an Antonium?*

§ 5. *Brundisii*] post pugnam Pharsalicam, a. u. c. 706. Cfr. ad Att. 11, 6 et 7. — *non interfectum*] Madvig. proposuit: *non interfectum me.*

opulùsque Romanus collocavit, necessaria, quid est dictum
me cum contumelia? quid non moderate? quid non amice?
)uod quidem cuius temperantiae fuit, de M. Antonio que-
entem abstinere maledicto? praesertim cum tu reliquias
ei publicae dissipavisses; cum domi tuae turpissimo mer-
atu omnia essent venalia; cum leges eas, quae nunquam
romulgatae essent, et de te et a te latas confiterere; cum
uspicia augur, intercessionem consul sustulisses; cum esses
oedissime stipatus armatis; cum omnes impuritates pudica
n domo quotidie susciperes vino lustrisque confectus. At 7
ego, tamquam mihi cum M. Crasso contentio esset, quocum
multae et magnae fuerunt, non cum uno gladiatore nequis-
simo, de re publica graviter querens, de homine nihil dixi.
Itaque hodie perficiam, ut intelligat, quantum a me benefi-
cium tum acceperit.

IV. At etiam litteras, quas me sibi misisse diceret,
recitavit, homo et humanitatis expers et vitae communis
ignarus. Quis enim unquam, qui paullulum modo bonorum
consuetudinem nosset, litteras ad se ab amico missas offen-
sione aliqua interposita in medium protulit palamque reci-
tavit? Quid est aliud tollere e vita vitae societatem, tollere
amicorum colloquia absentium? Quam multa ioca solent esse
in epistolis, quae, prolata si sint, inepta videantur! quam
multa seria, neque tamen ullo modo divolganda! Sit hoc 8
inhumanitatis: stultitiam incredibilem videte. Quid habes,
quod mihi opponas, homo diserte, ut Mustelae Tamisio et
Tironi Numisio videris? qui cum hoc ipso tempore stent
cum gladiis in conspectu senatus, ego quoque te disertum
putabo, si ostenderis, quomodo sis eos inter sicarios defen-
surus. Sed quid opponas tandem, si negem me unquam
istas litteras ad te misisse? quo me teste convincas? An
chirographo? in quo habes scientiam quaestuosam. Qui
possis? sunt enim librarii manu. Iam invideo magistro tuo,
qui te tanta mercede, quantam iam proferam, nihil sapere

§ 6. *pudica in domo*]. Cn. Pompeii, quam occuparat Antonius.

§ 8. *inhumanitatis*] Vat. Madvig. *inhumanitatis tuae*. O. — *Mustelae* cet.] principibus gladiatorum. Cfr. cap. 41. — *magistro tuo*] Sex. Clodio rhetori, Siculo. Suet. Rhet. 5. — *doceat*] Vatic. Madvig. Cfr. Cap. 17. *docuit* tres mei. O.

9 doceat. Quid est enim minus non dico oratoris, sed hominis, quam id obiicere adversario, quod ille si verbo negarit, longius progredi non possit, qui obiecerit? At ego non nego: teque in isto ipso convinco non inhumanitatis solum, sed etiam amentiae. Quod enim verbum in istis litteris est non plenum humanitatis, officii, benevolentiae? Omne autem crimen tuum est, quod de te in his litteris non male existimem; quod scribam tamquam ad civem, tamquam ad bonum virum, non tamquam ad sceleratum et latronem. At ego tuas litteras, etsi iure poteram a te lacessitus, tamen non proferam: quibus petis, ut tibi per me liceat quendam de exilio reducere, adiurasque id te invito me non esse factu-
10 rum idque a me impetras. Quid enim me interponerem audaciae tuae? quam neque auctoritas huius ordinis neque existimatio populi Romani neque leges ullae possent coërcere. Veruntamen quid erat, quod me rogaret, si erat is, de quo rogabas, Caesaris lege reductus? Sed videlicet meam gratiam voluit esse, in quo ne ipsius quidem ulla esse poterat lege lata.

V. Sed cum mihi, Patres conscripti, et pro me aliquid et in M. Antonium multa dicenda sint, alterum peto a vobis, ut me pro me dicentem benigne; alterum ipse efficiam, ut, contra illum cum dicam, attente audiatis. Simul illud oro: si meam cum in omni vita, tum in dicendo moderationem modestiamque cognostis, ne me hodie, cum isti, ut provocavit, respondero, oblitum esse putetis mei. Non tractabo ut consulem: ne ille quidem me ut consularem. Etsi ille nullo modo consul, vel quod ita vivit, vel quod ita rem publicam gerit, vel quod ita factus est: ego sine ulla con-
11 troversia consularis. Ut igitur intelligeretis, qualem ipse se consulem profiteretur, obiecit mihi consulatum meum. Qui consulatus verbo meus, Patres conscripti, re vester fuit. Quid enim ego constitui, quid gessi, quid egi nisi ex huius

---

§ 9. *quendam de exilio*] ad Att. 14, 13. exstant hae Antonii et Ciceronis epistolae. Ibi agitur de Sex. Clodio, (diverso ab Siculo illo), scriba et administro P. Clodii de vi damnato.

§ 10. *quam neque*] Vatic. *quem neque* Bern. Heusing. Garat. — *ita factus est*] consul. quod ipsum in volgata additur: scilicet non populi suffragiis, sed beneficio Caesaris

ordinis consilio, auctoritate, sententia? Haec tu homo sapiens, non solum eloquens, apud eos, quorum consilio sapientiaque gesta sunt, ausus es vituperare? Quis autem, meum consulatum praeter P. Clodium qui vituperaret, inventus est? Cuius quidem tibi fatum sicuti C. Curioni manet: quoniam id domi tuae est, quod fuit illorum utrique fatale.
Non placet M. Antonio consulatus meus. At placeuit P. Ser- 12
vilio, ut eum primum nominem ex illius temporis consularibus, qui proxime est mortuus: placuit Q. Catulo, cuius semper in hac re publica vivet auctoritas: placuit duobus Lucullis, M. Crasso, Q. Hortensio, C. Curioni, C. Pisoni, M'. Glabrioni, M'. Lepido, L. Volcatio, C. Figulo, D. Silano, L. Murenae, qui tum erant consules designati: placuit idem, quod consularibus, M. Catoni; qui cum multa vita excedens providit, tum quod te consulem non vidit. Maxime vero consulatum meum Cn. Pompeius probavit; qui, ut me primum decedens ex Syria vidit, complexus et gratulans meo beneficio patriam se visurum esse dixit. Sed quid singulos commemoro? Frequentissimo senatui sic placuit, ut esset nemo, qui mihi non ut parenti gratias ageret; qui non mihi vitam suam, fortunas, liberos, rem publicam referret acceptam.

VI. Sed quoniam illis, quos nominavi, tot et talibus 13
viris res publica orbata est, veniamus ad vivos, qui duo de consularium numero reliqui sunt. L. Cotta, vir summo

---

§ 11. *quoniam id* cet.] „Quibus Fulvia, uxor tua nupsit, ii omnes eo fato nati esse videntur, ut immatura morte pereant, ab ipsa ad turbas civiles concitati. Clodius a Milone caesus est, et Curio, Caesaris legatus, cum exercitu in Africa periit a Iubae copiis oppressus." WERNSDORF.

§ 12. *P. Servilio*] Vatiae Isaurico cos. a. u. c. 675., mortuo a. 710. — *Q. Lutatius Catulus*] cos. a. 676. *L. Lucullus* a. 680. *M. Lucullus* a. 681. *M. Crassus* a. 684. *Q. Hortensius* a. 686. *C. Curio* pater a. 678. *C. Piso* et *M'. Acilius Glabrio* coss. a. 687. *M'. Lepidus* et *L. Volcatius Tullus* a. 688. *C. Figulus* a. 690. *D. Silanus* et *L. Murena* a. 692. Ex hac enumeratione perspicimus, quos viros inter aequales suos in administranda re publica maxime probarit Tullius. Quod autem miratur Manutius omissum esse L. Torquatum cos. a. u. c. 689., minus mirandum videbitur, ubi perpendamus ironica illa verba orat. pro Sulla § 11. *Patris tui, fortissimi viri atque optimi consulis scis me consiliis non interfuisse* cet.

§ 13. *L. Aurelius Cotta* cos. a. 689. et *L. Iulius Caesar* a. 690.

ingenio summaque prudentia, rebus iis gestis, quas tu reprehendis, supplicationem decrevit verbis amplissimis eique illi ipsi, quos modo nominavi, consulares senatusque cunctus assensus est, qui honos post conditam hanc urbem
14 habitus est togato ante me nemini. L. Caesar, avunculus tuus, qua oratione, qua constantia, qua gravitate sententiam dixit in sororis suae virum, vitricum tuum! Hunc tu cum auctorem et praeceptorem omnium consiliorum totiusque vitae debuisses habere, vitrici te similem quam avunculi maluisti. Huius ego alienus consiliis consul usus sum: tu sororis filius, ecquid ad eum unquam de re publica rettulisti? At ad quos refert? Dii immortales! ad eos scilicet,
15 quorum nobis etiam dies natales audiendi sunt. Hodie non descendit Antonius. Cur? Dat nataliciam in hortis. Cui? Neminem nominabo. Putate tum Phormioni alicui, tum Gnathoni, tum etiam Ballioni. O foeditatem hominis flagitiosam! o impudentiam, nequitiam, libidinem non ferendam! Tu cum principem senatorem, civem singularem, tam propinquum habeas, ad eum de re publica nihil referas, referas ad eos, qui suam rem nullam habent, tuam exhauriunt?

VII. Tuus videlicet salutaris consulatus, perniciosus meus. Adeone pudorem cum pudicitia perdidisti, ut hoc in eo templo dicere ausus sis, in quo ego senatum illum, qui quondam florens orbi terrarum praesidebat, consulebam:
16 tu homines perditissimos cum gladiis collocavisti? At etiam ausus es (quid autem est, quod tu non audeas?) clivum Capitolinum dicere me consule plenum servorum armatorum fuisse. Ut illa, credo, nefaria senatus consulta fierent, vim afferebam senatui. O miser, sive illa tibi nota non sunt (nihil enim boni nosti), sive sunt, qui apud tales viros tam impudenter loquare! Quis enim eques Romanus, quis praeter te adolescens nobilis, quis illius ordinis, qui se civem meminisset, cum senatus in hoc templo esset, in clivo Capitolino non fuit? quis nomen non dedit? Quam-

---

§ 14. *sororis suae virum*] P. Lentulum Suram cos. 683., praetorem a. 691. Catilinarium, ultimo supplicio affectum.

§ 15. *nataliciam*] coenam Vatic. *natalicia* O. — *Phormioni*] „Parasitis, qui sunt Phormio et Gnatho apud Terentium, et lenonibus similibus illi Ballioni, qui in Plauti Pseudolo inducitur.“ Abram.

uam nec scribae sufficere nec tabulae nomina illorum capere otuerunt. Etenim cum homines nefarii de patriae parri- 17
idio confiterentur, consciorum indiciis, sua manu, voce paene itterarum coacti, se urbem inflammare, cives trucidare, astare Italiam, delere rem publicam consensisse: quis esset, ui ad salutem communem defendendam non excitaretur? raesertim cum senatus populusque Romanus haberet ducem, ualis si qui nunc esset, tibi idem, quod illis accidit, conigisset. Ad sepulturam corpus vitrici sui negat a me datum. Hoc vero ne P. quidem Clodius dixit unquam. Quem, quia ure ei inimicus fui, doleo a te omnibus vitiis iam esse superatum. Qui autem tibi venit in mentem redigere in memo- 18
riam nostram, te domi P. Lentuli esse educatum? An verebare, ne non putaremus natura te potuisse tam improbum evadere, nisi accessisset etiam disciplina?

VIII. Tam autem eras excors, ut tota in oratione tua tecum ipse pugnares, non modo non cohaerentia inter se diceres, sed maxime diiuncta atque contraria; ut non tanta mecum, quanta tecum tibi esset contentio. Vitricum tuum fuisse in tanto scelere fatebare, poena affectum querebare. Ita, quod proprie meum est, laudasti: quod totum est senatus, reprehendisti. Nam comprehensio sontium mea, animadversio senatus fuit. Homo disertus non intelligit, eum, quem contra dicit, laudari a se; eos, apud quos dicit, vituperari. Iam illud cuius est, non dico audaciae, (cupit enim 19
se audacem): sed, quod minime volt, stultitiae, qua vincit omnes, clivi Capitolini mentionem facere, cum inter subsellia nostra versentur armati? cum in hac cella Concordiae, dii immortales! in qua me consule salutares sententiae dictae sunt, quibus ad hanc diem viximus, cum gladiis homines collocati stent? Accusa senatum; accusa equestrem ordinem, qui tum cum senatu copulatus fuit; accusa omnes ordines, omnes cives, dum confiteare hunc ordinem hoc ipso tempore ab Ituraeis circumsederi. Haec tu non propter

---

§ 17. *iam esse*] Sic tres mei. *eum esse* Vatic. [*eum*] *esse* Madvigius (cum Mureto.)

§ 18. *domi P. Lentuli*] Quia Iulia, mater Antonii, post M. Antonii Cretici mortem nupserat P. Lentulo Surae. — *non modo*] Vatic. *ut non modo* O.

§ 19. Ituraei s. Ityraei (*Ἰτουραῖοι*) populus Syriae in Libano monte, ex quo ob sagittandi summam peritiam iam, ut videmus, Antonius cohortem Romam

audaciam dicis tam impudenter, sed, quia tantam rerum repugnantiam non vides. Nihil profecto sapis. Quid est enim dementius, quam, cum rei publicae perniciosa arma
20 ipse ceperis, obiicere alteri salutaria? At etiam quodam loco facetus esse voluisti. Quam id te, dii boni, non decebat! In quo est tua culpa nonnulla. Aliquid enim salis a mima uxore trahere potuisti. CEDANT ARMA TOGAE. Quid? tum nonne cesserunt? At postea tuis armis cessit toga. Quaeramus igitur, utrum melius fuerit libertati populi Romani sceleratorum arma, an libertatem nostram armis tuis cedere. Nec vero tibi de versibus plura respondebo; tantum dicam breviter te neque illos neque ullas omnino litteras nosse: me nec rei publicae nec amicis unquam defuisse, et tamen omni genere monumentorum meorum perfecisse operis subsecivis, ut meae vigiliae meaeque litterae et iuventuti utilitatis et nomini Romano laudis aliquid afferrent. Sed haec non huius temporis: maiora videamus.

21 IX. P. Clodium meo consilio interfectum esse dixisti. Quidnam homines putarent, si tum occisus esset, cum tu illum in foro, inspectante populo Romano, gladio stricto insecutus es negotiumque transegisses; nisi se ille in scalas tabernae librariae coniecisset iisque oppilatis impetum tuum compressisset? Quod quidem ego favisse me tibi fateor, suasisse ne tu quidem dicis. At Miloni ne favere quidem potui. Prius enim rem transegit, quam quisquam eum facturum id suspicaretur. At ego suasi. Scilicet is animus erat

---

accierat. In Inscriptt. memorantur usque ad tres Ituraeorum cohortes. — *quia - - vides. Nihil*] Bern. a sec. m. firmans Ern. coni. Madvig. Opuscc. acad. p. 204. *quia - - videas. Nihil* Vatic. *qui - - videas, nihil* O. cum Bern. a pr. m. Gud. Bamb.

§ 20. *a mima uxore*] a Cytheride, famosa illius temporis mima, quam κατ' εἰρωνείαν eius uxorem dicit. — *Cedant arma togae*] *concedat laurea linguae* s. *laudi*, versiculus e Cic. poëmate, quod *Consulatum* inscripsit, propter quem versiculum saepe irrisus est.

§ 21. *cum tu illum* cet.] Cum prius P. Clodii amicus fuisset, propter Fulviam maxime ei infestus videtur factus esse, adeo ut a. u. c. 701. eum interficere conaretur, id quod a. insequente exsecutus est T. Annius Milo. — *Quod quidem ego favisse*] Vat. *Sed quid? ego f.* Bern. Ern. *Quid ergo? favisse* Rau Var. Lectt. Cic. p. 26. — Propter Codd. discrepantiam Madvigius mavolt: *quam quisquam facturum suspicaretur.* Nostra lectio nititur Vaticano.

Milonis, ut prodesse rei publicae sine suasore non posset!
et laetatus sum. Quid ergo? in tanta laetitia cunctae civi-
tatis me unum tristem esse oportebat? Quamquam de morte 22
Clodii fuit quaestio non satis prudenter illa quidem consti-
tuta. Quid enim attinebat nova lege quaeri de eo, qui
hominem occidisset, cum esset legibus quaestio constituta?
Quaesitum est tamen. Quod igitur, cum res agebatur, nemo
in me dixit, id tot annis post tu es inventus qui diceres?

Quod vero dicere ausus es, idque multis verbis, opera 23
mea Pompeium a Caesaris amicitia esse diiunctum ob eamque
causam culpa mea civile bellum esse natum, in eo non tu
quidem tota re, sed, quod maximum est, temporibus errasti.

X. Ego M. Bibulo, praestantissimo civi, consule, nihil
praetermisi, quantum facere enitique potui, quin Pompeium
a Caesaris coniunctione avocarem. In quo Caesar felicior
fuit; ipse enim Pompeium a mea familiaritate diiunxit. Post-
ea vero quam se totum Pompeius Caesari tradidit, quid
ego illum ab eo distrahere conarer? Stulti erat sperare;
suadere impudentis. Duo tamen tempora inciderunt, quibus 24
aliquid contra Caesarem Pompeio suaserim. Ea velim repre-
hendas, si potes: unum, ne quinquennii imperium Caesari
prorogaret: alterum, ne pateretur ferri, ut absentis eius
ratio haberetur. Quorum si utrumvis persuasissem, in has
miserias nunquam incidissemus. Atque idem ego, cum iam
opes omnes et suas et populi Romani Pompeius ad Caesa-
rem detulisset seroque ea sentire coepisset, quae multo ante
provideram, inferrique patriae bellum nefarium viderem,
pacis concordiae compositionis auctor esse non destiti, mea-
que illa vox est nota multis: *Utinam, Cn. Pompei, cum
C. Caesare societatem aut nunquam coisses aut nunquam
diremisses! Fuit alterum gravitatis, alterum prudentiae*

---

§ 22. *nova lege*] id est, quaestione extraordinaria a Cn. Pompeio tertium consule constituta.

§ 23. M. Calpurnio Bibulo cos. cum inimico C. Iulio Caesare a. 695.

§ 24. *prorogaret*] in secundo suo consulatu a. 699. lege Trebonia. — *alterum*] lege tribunicia M. Caelii Rufi a. 702. — *bellum nefarium*] inde ab a. 704. ad Fam 6, 6. *Plurimi sunt testes me et initio, ne coniungeret se cum Caesare monuisse Pompeium, et postea, ne seiungeret; coniunctione frangi senatus opes, disiunctione civile bellum excitari videbam.*

tuae. Haec mea, M. Antoni, semper et de Pompeio et de re publica consilia fuerunt: quae si valuissent, res publica staret, tu tuis flagitiis egestate infamia concidisses.

25 XI. Sed haec vetera: illud vero recens, Caesarem meo consilio interfectum. Iam vereor, Patres conscripti, ne, quod turpissimum est, praevaricatorem mihi opposuisse videar, qui me non solum meis laudibus ornaret, sed etiam oneraret alienis. Quis enim meum in ista societate gloriosissimi facti nomen audivit? Cuius autem, qui in eo numero fuisset, nomen est occultatum? occultatum dico? cuius non statim divolgatum? Citius dixerim iactasse se aliquos, ut fuisse in ea societate viderentur, cum conscii non fuissent,

26 quam ut quisquam celari vellet, qui fuisset. Quam veri simile porro est in tot hominibus partim obscuris, partim adolescentibus neminem occultantibus meum nomen latere potuisse? Etenim si auctores ad liberandam patriam desiderarentur illis actoribus, Brutos ego impellerem, quorum uterque L. Bruti imaginem quotidie videret, alter etiam Ahalae? Hi igitur his maioribus ab alienis potius consilium peterent quam a suis? et foris potius quam domo? Quid? C. Cassius, in ea familia natus, quae non modo dominatum,

§ 25. *sed etiam oneraret alienis*] *sed etiam alienis* Vatic. prob. Madvig. Sed annominatio ista a ceteris Codd. servata adeo refert consuetudinem Tullianam (cfr. Zumptium ad Verr. p. 661.), ut suspicer librarium, cum fortasse in archetypo altero rursus loco vitiose repperisset *ornaret*, vel quod omnino pravum putaret, suo arbitratu omisisse v. *oneraret.* Immeritae autem laudes et alienae reapse *oneri* sunt, non *ornamento.* — *in ista societate gloriosissimi facti nomen*] Cum Madvigio secutus sum Vatic. pro volg. *in istius glor. facti conscientia nomen.* — *iactasse se aliquos*] inter quos erat P. Lentulus Spinther filius (ad Fam. 12, 14.) et C. Octavius, qui postea Octaviano iactantiae suae poenas dedere. — *cum conscii non fuissent*] Sic Vatic. Contra Bern. Guelf.: *cum socii non fuissent.* Sed rectius illud significat: „cum ne conscii quidem, nedum socii ac participes interfectionis fuissent.“ Madvig. de Ferrarii coni. *qui non fuissent.*

§ 26. *illis actoribus*] Si praeclari facinoris actores, effectores, opus habuissent consiliariis cet. Sic Madvig. coni. Opuscc. acad. p. 165. Libri *auctoribus.* — *L. Bruti imaginem*] Cfr. ad Philipp. 1, § 13. — *alter etiam Ahalae*] M. Brutus. Plutarch. in eius vita 1. *Σερβιλία δὲ ἡ μήτηρ ἀνέφερε τὸ γένος εἰς Ἄλαν Σερβίλιον, ὃς Μαλλίου Σπορίου* (Spurii Maelii a. u. c. 315.) *τυραννίδα κατασκευαζόμενου καὶ ταράττοντος τὸν δῆμον, ἐγχειρίδιον λαβὼν ὑπὸ μάλης προῆλθεν εἰς ἀγορὰν καὶ παραστὰς τῷ ἀνδρὶ πλησίον ὡς ἐντυγχάνειν τι μέλλων καὶ διαλέγεσθαι, προσνεύσαντα πατάξας ἀπέκτεινε.* — *his maioribus*] Volgo e gloss. additur

ed ne potentiam quidem cuiusquam ferre potuit, me aucto-
em, credo, desideravit: qui etiam sine his clarissimis viris
anc rem in Cilicia ad ostium fluminis Cydni confecisset,
i ille ad eam ripam, quam constituerat, non ad contrariam,
aves appulisset. Cn. Domitium non patris interitus, cla- 27
issimi viri, non avunculi mors, non spoliatio dignitatis ad
ecuperandam libertatem, sed mea auctoritas excitavit? An
C. Trebonio ego persuasi? cui ne suadere quidem ausus
ssem. Quo etiam maiorem ei res publica gratiam debet,
qui libertatem populi Romani unius amicitiae praeposuit
depulsorque dominatus quam particeps esse maluit. An L.
Tillius Cimber me est auctorem secutus? quem ego magis
fecisse illam rem sum admiratus, quam facturum putavi;
admiratus autem ob eam causam, quod immemor beneficio-
rum, memor patriae fuisset. Quid duos Servilios? Cascas
dicam, an Ahalas? et hos auctoritate mea censes excitatos
potius quam caritate rei publicae? Longum est persequi
ceteros: idque rei publicae praeclarum, fuisse tam multos,
ipsis gloriosum.

XII. At quemadmodum me coarguerit homo acutus, 28
recordamini. Caesare interfecto, inquit, statim cruentum
alte extollens M. Brutus pugionem Ciceronem nominatim
exclamavit atque ei recuperatam libertatem est gratulatus.
Cur mihi potissimum? Quia sciebam? Vide ne illa causa
fuerit appellandi mei, quod, cum rem gessisset consimilem
rebus iis, quas ipse gesseram, me potissimum testatus est
se aemulum mearum laudum exstitisse. Tu autem omnium 29
stultissime, non intelligis, si id, quod me arguis, voluisse

---

orti. — *ne potentiam quidem*] Significat patrem Sp. Cassii Viscellini cos. a. 252, 261, 268. qui primam legem agrariam tulit, ut agrorum publicorum pars plebi adsignaretur. *Ubi primum magistratu abiit, damnatum necatumque constat* (a. 269.) *Sunt qui patrem auctorem eius supplicii ferant, cum cognita domi causa verberasse ac necasse peculiumque filii Cereri consecravisse, signum inde factum esse et inscriptum* Ex *FAMILIA CASSIA DATUM*. Liv. 2, 41. — *ad ostium*] apud oppidum Tarsum. Hoc de incepto Cassii nulla alia superest memoria.

§ 27. *patris interitus*] L. Domitii Ahenobarbi, quem in acie Pharsalica a M. Antonio interfectum c. 29. dicit. Manut. — *avunculi*] M. Catonis Uticensis, cuius sororem L. Domitius in matrimonio habuit. Id. — *Cascas*] Utrique cognomen Cascae fuit. Id. Dubitat orator utrum Cascas illos, ut erant, dicat, an potius novos Ahalas, praeclaro hoc item Serviliorum cognomine dignissimos.

interfici Caesarem crimen sit, etiam laetatum esse morte Caesaris crimen esse? Quid enim interest inter suasorem facti et probatorem? aut quid refert, utrum voluerim fieri, an gaudeam factum? Ecquis est igitur te excepto et iis, qui illum regnare gaudebant, qui illud aut fieri noluerit aut factum improbarit? Omnes ergo in culpa. Etenim omnes boni, quantum in ipsis fuit, Caesarem occiderunt. Aliis consilium, aliis animus, aliis occasio defuit: voluntas nemini.
30 Sed stuporem hominis vel dicam pecudis attendite. Sic enim dixit: *M. Brutus, quem ego honoris causa nomino, cruentum pugionem tenens Ciceronem exclamavit; ex quo intelligi debet, eum conscium fuisse.* Ergo ego sceleratus appellor a te, quem tu suspicatum aliquid suspicaris: ille, qui stillantem prae se pugionem tulit, is a te honoris causa nominatur? Esto: sit in verbis tuis hic stupor: quanto in rebus sententiisque maior? Constitue hoc, consul, aliquando: Brutorum, C. Cassii, Cn. Domitii, C. Trebonii, reliquorum quam velis esse causam: edormi crapulam, inquam, et exhala. An faces admovendae sunt, quae te excitent, tantae causae indormientem? Nunquamne intelliges statuendum tibi esse, utrum illi, qui istam rem gesserunt, homicidaene sint, an vindices libertatis?

31 XIII. Attende enim paullisper cogitationemque sobrii hominis punctum temporis suscipe. Ego, qui sum illorum, ut ipse fateor, familiaris, ut a te arguor, socius, nego quidquam esse medium: confiteor eos, nisi liberatores populi Romani conservatoresque rei publicae sint, plus quam sicarios, plus quam homicidas, plus etiam quam parricidas esse, siquidem est atrocius patriae parentem quam suum occidere. Tu homo sapiens et considerate, quid dicis? Si parricidas: cur honoris causa a te sunt et in hoc ordine et apud populum Romanum semper appellati? Cur M. Brutus te refe-

---

§ 31. *si parricidas* et infra *non igitur homicidas*] Vatic. scil. dicis. Quae ratio significantior videtur volgata: *parricidae - - homicidae.* — *legibus est solutus*] „*legibus solvi* apud Romanos dicebantur, qui una tantum lege solvebantur, ut ex h. l. et pluribus Livii et aliorum liquet.“ Graev. Accuratius explices formulae huiusce numerum pluralem: „hac lege: Praetor ab vrbe plvs qvam X. dies ne absesto: solutus, ac propterea iis legibus omnibus, quae necessario vinculo cum illa connectebantur.“ Etenim cum ei permitteretur, ut plus quam X. dies abesset,

ente legibus est solutus, si ab urbe plus quam decem dies abfuisset? cur ludi Apollinares incredibili M. Bruti honore celebrati? cur provinciae Bruto et Cassio datae? cur quaestores additi? cur legatorum numerus auctus? Atque haec acta per te. Non igitur homicidas. Sequitur, ut liberatores tuo iudicio sint, quandoquidem tertium nihil potest esse. Quid est? num conturbo te? Non enim fortasse satis, 32
quae diiunctius dicuntur, intelligis. Sed tamen haec summa est conclusionis meae: quoniam scelere a te liberati sunt, ab eodem te amplissimis praemiis dignissimos iudicatos. Itaque iam retexo orationem meam. Scribam ad illos, ut, si qui forte, quod a te mihi obiectum est, quaerent, sitne verum, ne cui negent. Etenim vereor, ne aut celatum me illis ipsis non honestum, aut invitatum refugisse mihi sit turpissimum. Quae enim res unquam (pro sancte Iuppiter!) non modo in hac urbe, sed in omnibus terris est gesta maior? quae gloriosior? quae commendatior hominum memoriae sempiternae? In huius me tu consilii societatem tamquam in equum Troianum cum principibus includis? Non 33
recuso: ago etiam gratias, quoquo animo facis. Tanta enim res est, ut invidiam istam, quam tu in me vis concitare, cum laude non comparem. Quid enim beatius illis, quos tu expulsos a te praedicas et relegatos? qui locus est aut tam desertus aut tam inhumanus, qui illos, cum accesserint, non affari atque appetere videatur? qui homines tam agrestes, qui se, cum eos adspexerint, non maximum cepisse vitae fructum putent? quae vero tam immemor posteritas, quae tam ingratae litterae reperientur, quae eorum gloriam non immortalitatis memoria prosequantur? Tu vero adscribe me talem in numerum.

---

solvebatur v. c. etiam lege de ludis Apollinaribus faciendis cet. — *Apollinares*] Cfr. Philipp. 1, § 36. — *provinciae*] Bruto Macedonia, Syria Cassio.

§ 32. *diiunctius*] *diiuncte dicere* est diiunctione colligere vel, ut volgo dicunt, disiunctivo syllogismo probare, de quo argumentandi genere leges Cic. Academ. 4, 30. Topic. 14. Heusing. — *retexo*] retracto, quae dixeram, me videlicet coniurationis socium non fuisse. Abram.

§ 33. *cum*] de Ern. coni. Schuetz et Madvig. Libri *quo* (= *quom*). Iunta *quoquo*.

34 XIV. Sed unam rem vereor ne non probes. Si enim fuissem, non solum regem, sed regnum etiam de re publica sustulissem: et, si meus stilus ille fuisset, ut dicitur, mihi crede, non solum unum actum, sed totam fabulam confecissem. Quamquam si interfici Caesarem voluisse crimen est, vide, quaeso, Antoni, quid tibi futurum sit, quem et Narbone hoc consilium cum C. Trebonio cepisse notissimum est, et ob eius consilii societatem, cum interficeretur Caesar, tum te a Trebonio vidimus sevocari. Ego autem (vide quam tecum agam non inimice) quod bene cogitasti aliquanto, laudo; quod non indicasti, gratias ago; quod non
35 fecisti, ignosco. Virum res illa quaerebat. Quod si te in iudicium quis adducat usurpetque illud Cassianum, CVI BONO FVERIT: vide, quaeso, ne haereas. Quamquam illud quidem fuit, ut tu dicebas, omnibus bono, qui servire nolebant: tibi tamen praecipue, qui non modo non servis, sed etiam regnas; qui maximo te aere alieno ad aedem Opis liberasti; qui per easdem tabulas innumerabilem pecuniam dissipavisti; ad quem e domo Caesaris tam multa delata sunt; cuius domi quaestuosissima est falsorum commentariorum et chirographorum officina, agrorum oppidorum, immuni-
36 tatum vectigalium flagitiosissimae nundinae. Etenim quae res egestati et aeri alieno tuo praeter mortem Caesaris subvenire potuisset? Nescio quid conturbatus esse videris: numquid subtimes, ne ad te hoc crimen pertinere videatur? Libero te metu: nemo credet unquam; non est tuum de re

§ 34. *Narbone*] „Antonius Caesari ex Hispania redeunti (a. u. c. 709.) victis Pompeii liberis Narbonem usque obviam progressus comitem habuit et contubernalem C. Trebonium, isque oblique necandi Caesaris mentionem iniecit; Attamen Trebonii consilio non adhaesit ille quidem, sed fideliter rem silentio suppressit, ne ad aures Caesaris manaret. Cicero rem aliter (id est, oratorie) interpretatus contendit Antonio necandi Caesaris voluntatem adfuisse, audaciam defuisse. Abram. Scil. circa a. 708 et 709. Antonius refrigeratus a Caesare ei non nimis favebat, cum parum se ab eo remuneratum putaret.

§ 35. L. Cassius, iudex severus (circa a. u. c. 620.) cum quaereretur de homine occiso, identidem quaerebat, cui bono (cui homini utilitati) fuisset perire eum, de cuius nece quaereretur, et eum caedis auctorem fuisse iudicabat, cui plurimum utilitatis ea nex attulisset. Cfr. Asconium in Milon. Ed. Baiteri p. 46. ABRAM. — *ut tu dicebas*] Madvig. Opuscc. p. 157. probabiliter: *ut tum dicebas.* — *Opis*] Cfr. Philipp. 1, § 17.

ublica bene mereri; habet istius pulcherrimi facti clarissimos viros res publica auctores; ego te tantum gaudere dico, ecisse non arguo. Respondi maximis criminibus; nunc etiam eliquis respondendum est.

XV. Castra mihi Pompeii atque illud omne tempus 37
biecisti. Quo quidem tempore si, ut dixi, meum consiium auctoritasque valuisset, tu hodie egeres, nos liberi ssemus; res publica non tot duces et exercitus amisisset. 'ateor enim me, cum ea, quae acciderunt, providerem fuura, tanta in maestitia fuisse, quanta ceteri optimi cives, i idem providissent, fuissent. Dolebam, dolebam, Patres conscripti, rem publicam vestris quondam meisque consiliis conservatam brevi tempore esse perituram. Nec vero eram tam indoctus ignarusque rerum, ut frangerer animo propter vitae cupiditatem, quae me manens conficeret angoribus, dimissa molestiis omnibus liberaret. Illos ego praestantissimos viros, lumina rei publicae, vivere volebam, tot consulares, tot praetorios, tot honestissimos senatores, omnem praeterea florem nobilitatis ac iuventutis, tum optimorum civium exercitus: qui si viverent quamvis iniqua condicione pacis, (mihi enim omnis pax cum civibus bello civili utilior videbatur), rem publicam hodie teneremus. Quae 38
sententia si valuisset, ac non ii maxime mihi, quorum ego vitae consulebam, spe victoriae elati obstitissent, ut alia omittam, tu certe nunquam in hoc ordine vel potius nunquam in hac urbe mansisses. At vero Cn. Pompeii voluntatem a me alienabat oratio mea. An ille quemquam plus dilexit? cum ullo aut sermones aut consilia contulit saepius? Quod quidem erat magnum, de summa re publica dissentientes in eadem consuetudine amicitiae permanere. Sed et ego, quid ille, et contra ille, quid ego sentirem et spectarem, videbat. Ego incolumitati civium primum, ut postea dignitati possemus, ille praesenti dignitati potius consulebat. Quod autem habebat uterque quid sequeretur, idcirco tolerabilior erat nostra dissensio. Quid vero ille singularis vir 39
ac paene divinus de me senserit, sciunt, qui eum de Pharsalica fuga Paphum persecuti sunt. Nunquam ab eo mentio

---

§ 39. *Paphum*] urbem Cypri insulae. — *amantissimi* ex uno Cod. Ienensi

de me nisi honorifica, nisi plena amicissimi desiderii, cum me vidisse plus fateretur, se speravisse meliora. Et eius viri nomine me insectari audes, cuius me amicum, te sectorem esse fatere?

XVI. Sed omittatur bellum illud, in quo tu nimium felix fuisti. Ne iocis quidem respondebo, quibus me in castris usum esse dixisti. Erant quidem illa castra plena curae; verumtamen homines quamvis in turbidis rebus sint, tamen, si modo homines sunt, interdum animis relaxantur. Quod autem idem maestitiam meam reprehendit, idem iocum, magno argumento est me in utroque fuisse moderatum.

40 Hereditates mihi negasti venire. Utinam hoc tuum verum crimen esset! Plures amici mei et necessarii viverent. Sed qui istuc tibi venit in mentem? Ego enim amplius HS. ducenties acceptum hereditatibus rettuli. Quamquam in hoc genere fateor feliciorem esse te. Me nemo nisi amicus fecit heredem, ut cum illo commodo, si quod erat, animi quidam dolor iungeretur; te is, quem tu vidisti nunquam,
41 L. Rubrius Casinas, [fecit heredem]. Et quidem vide, quam te amarit is, qui, albus aterne fuerit, ignoras: fratris filium praeteriit, Q. Fufii, honestissimi equitis Romani suique amantissimi, quem palam heredem semper factitarat: te, quem nunquam viderat aut certe nunquam salutaverat, fecit heredem. Velim mihi dicas, nisi molestum est, L. Turselius qua facie fuerit, qua statura, quo municipio, qua tribu. „Nihil scio, inquies, nisi quae praedia habuerit.“ Igitur

---

Madvig. pro *amicissimi* O. — *sectorem*] In auctionibus bona hominis vel proscripti vel qui solvendo non erat in partes quasi *secabantur*; hinc *sectores* eorum bonorum emptores. — *fatere*] Vatic. *fateare* O.

§ 40. *hereditates*] Ex hoc scil. collecturus erat Antonius Ciceronem destitutum esse amicis. — *HS. ducenties*] = 20,000,000 *sestertios*, = 4,000,000 librarum Gallicarum, = 2,666,666 Franc. Helvetic. — *Casinas*] ex Casino, Volscorum in Latio oppido, oriundus. Vv. seqq. *fecit heredem* [ ] Madvig. — *albus aterne*] Proverbii locum obtinet. Catull. 94. *Nil nimium studeo, Caesar, tibi velle placere Nec scire, utrum sis albus an ater homo.* — *fuerit*] Vatic. Bern. Guelf. *fueris* O. — *ignoras*] Bern. Guelf. firmantes Garatonii coni. a Madvigio receptam, pro *ignorans* O. — *equitis Ro.*] Hoc addit, ut hunc a Q. Fufio Caleno senatore, Pansae socero, distinguat. MANUT. L. autem Rubrius et Q. Fufius fratres aut uterini aut patrueles fuisse videntur. — *factitarat: te*] Sic Bamberg. firmans Heusingeri coni., quam secutus est Madvig. *factitarat; ne nominat quidem; te* Vatic. *factitarat;*

fratrem exheredans te faciebat heredem. In multas praeterea pecunias alienissimorum hominum eiectis veris heredibus tamquam heres esset, invasit. Quamquam hoc ma- 42
xime admiratus sum, mentionem te hereditatum ausum esse facere, cum ipse hereditatem patris non adisses.

XVII. Haec ut colligeres, homo amentissime, tot dies in aliena villa declamasti, quamquam tu quidem (ut tui familiarissimi dictitant) vini exhalandi, non ingenii acuendi causa declamas. Et vero adhibes ioci causa magistrum suffragio tuo et compotorum tuorum, rhetorem, cui concessisti, ut in te, quae vellet, diceret, salsum omnino hominem: sed materia facilis est in te et in tuos dicta dicere. Vide autem, quid intersit inter te et avum tuum. Ille sensim dicebat, quod causae prodesset; tu cursim dicis aliena. At 43
quanta merces rhetori data est! Audite, audite, Patres conscripti, et cognoscite rei publicae volnera. Duo milia iugerum campi Leontini Sex. Clodio rhetori assignasti, et quidem immunia, ut populi Romani tanta mercede nihil sapere disceres. Num etiam hoc, homo audacissime, ex Caesaris commentariis? Sed dicam alio loco et de Leontino agro et de Campano: quos iste agros ereptos rei publicae turpissimis possessoribus inquinavit. Iam enim, quoniam criminibus eius satis respondi, de ipso emendatore et correctore nostro quaedam dicenda sunt. Nec enim omnia effundam, ut, si saepius decertandum sit, ut erit, semper novus veniam; quam facultatem mihi multitudo istius vitiorum peccatorumque largitur.

---

ne nomen quidem perscripsit: te Bern. Guelf. Ern. — *vi eiectis*. Bern. Guelf. Muretus. Mox: *heres esses, invasisti* de Heumanni coni. Schuetz.

§ 42. *patris*] M. Antonii Cretici, qui filio nihil reliquerat. — *tot dies*] XVII. Cfr. Phil. 5, 7. — *in aliena villa*] in Tiburtino Q. Metelli Scipionis, Pompeii magni soceri, qui perierat in Africa. — *dicta dicere*] i. e. deteriore Latinitate *dicteria, witzige Einfälle, Spottworte.* — *Leontini* in Sicilia. „Nullum est urbis proprium nomen, sed commune populo.“ Zumpt. ad Verr. p. 397. — *pietatis*] *κατ' εἰρωνείαν.* — *XIV. ordinibus*] „Gradibus in theatro, in quibus ex lege L. Roscii Othonis equester ordo sedebat: orchestra, id est, area theatri, senatorum erat. Antonius autem eques Ro., nondum senator erat eo tempore.“ Manut. — *muliebrem togam*] feminae infames et libertini generis toga, matronae pudicae et honesto loco natae, stola utebantur. Id. — *stolam*] Novae nuptae praetextis positis stolas sumebant, a maritis datas.

44 XVIII. Visne igitur te inspiciamus a puero? Sic opinor; a principio ordiamur. Tenesne memoria praetextatum te decoxisse? „Patris, inquies, ista culpa est.“ Concedo. Etenim est pietatis plena defensio. Illud tamen audaciae tuae, quod sedisti in quattuordecim ordinibus, cum esset lege Roscia decoctoribus certus locus constitutus, quamvis quis fortunae vitio, non suo decoxisset. Sumpsisti virilem, quam statim muliebrem togam reddidisti. Primo volgare scortum; certa flagitii merces, nec ea parva; sed cito Curio intervenit, qui te a meretricio quaestu abduxit et, tamquam stolam dedisset, in matrimonio stabili et certo locavit.
45 Nemo unquam puer emptus libidinis causa tam fuit in domini potestate quam tu in Curionis. Quoties te pater eius domu sua eiecit? quoties custodes posuit, ne *limen* intrares? cum tu tamen, nocte socia, hortante libidine, cogente mercede, per tegulas demitterere. Quae flagitia domus illa diutius ferre non potuit. Scisne me de rebus mihi notissimis dicere? Recordare tempus illud, cum pater Curio maerens iacebat in lecto; filius se ad pedes meos prosternens, lacrimans te mihi commendabat; orabat, ut te contra suum patrem, si sestertiûm sexagies peteret, defenderem: tantum enim se pro te intercessisse dicebat. Ipse autem amore ardens confirmabat, quod desiderium tui
46 discidii ferre non posset, se in exilium iturum. Quo tempore ego quanta mala florentissimae familiae sedavi vel potius sustuli! Patri persuasi, ut aes alienum filii dissolveret; redimeret adolescentem summa spe et animi et ingenii praeditum rei familiaris facultatibus; eumque non modo tua familiaritate, sed etiam congressione patrio iure et potestate prohiberet. Haec tu, cum per me acta meminisses, nisi illis, quos videmus, gladiis confideres, maledictis me provocare ausus esses?

47 XIX. Sed iam stupra et flagitia omittamus: sunt quaedam, quae honeste non possum dicere: tu autem eo liberior, quod ea in te admisisti, quae a verecundo inimico

---

§ 45. *sexagies*] = 6,000,000 sestertios = 1,200,000 libr. Gall. = 800,000 Franc. Helvet. — *intercessisse dicebat*] Vatic. et tres mei. *intercessisse* O.

§ 46. *non modo tua*] Vatic. *a tua non modo* O.

udire non posses. Sed reliquum vitae cursum videte; quem uidem celeriter perstringam. Ad haec enim, quae in civili ello, in maximis rei publicae miseriis fecit et ad ea, quae uotidie facit, festinat animus. Quae peto, ut, quamquam nulto notiora vobis quam mihi sunt, tamen, ut facitis, atente audiatis. Debet enim talibus in rebus excitare animos ion cognitio solum rerum, sed etiam recordatio. Tametsi ncidamus oportet media, ne nimis sero ad extrema veniamus.

Intimus erat in tribunatu Clodio, qui sua erga me bene- 48
icia commemorat; eius omnium incendiorum fax; cuius etiam domi iam tum quiddam molitus est. Quid dicam, ipse optime intelligit. Inde iter Alexandream contra senatus auctoritatem, contra rem publicam et religiones: sed habebat ducem Gabinium, quicum quidvis rectissime facere posset. Qui tum inde reditus aut qualis? Prius in ultimam Galliam ex Aegypto, quam domum. Quae autem erat domus? Suam enim quisque domum tum obtinebat, nec erat usquam tua. Domum dico? quid erat in terris, ubi in tuo pedem poneres, praeter unum Misenum, quod cum sociis tamquam Sisaponem tenebas?

XX. Venisti e Gallia ad quaesturam petendam. Aude 49
dicere te prius ad parentem tuam venisse quam ad me. Acceperam iam ante Caesaris litteras, ut mihi satisfieri paterer a te: itaque ne loqui quidem sum te passus de gratia. Postea sum cultus a te, tu a me observatus in petitione quaesturae. Quo quidem tempore P. Clodium, approbante populo Romano, in foro es conatus occidere; cumque eam rem tua sponte conarere, non impulsu meo, tamen ita praedicabas, te non existimare, nisi illum interfecisses,

---

§ 48. P. Clodius trib. pl. a. 696. — *quiddam*] de stupranda Fulvia, tum Clodii, postea Antonii uxore. — *Alexandream*] a. 697. praeerat scil. equitatui Gabinii, qui restituebat Ptolemaeum Auleten ab Aegyptiis expulsum. — *senatus auctoritatem*] Nolebat senatus Sibyllinis libris admonitus Ptolemaeum cum exercitu restitui. Ideo sequitur *contra religiones*. MAN. Cfr. ad Famil. I. Epp. 1, 2 et 3. — *Galliam*] ad Caesarem a. 700. — *Misenum*] villula apud Misenum, oppidum in Baiano littore. *Sisapo* Hispaniae urbs in conventu Cordubensi, ubi miniaria metalla erant, quae societates publicanorum exercebant: igitur amare dicit Antonium non unum possessorem Miseni sui, multis iam creditoribus oppignerati, fuisse, sed possessionis socios habuisse creditores suos. TURNEBUS.

§ 49. *ad quaesturam*] a. 701. — *parentem tuam*] Bisciolus. Libri (Vat. Bern.)

unquam mihi pro tuis in me iniuriis satis esse facturum.
In quo demiror, cur Milonem impulsu meo rem illam egisse
dicas, cum te ultro mihi idem illud deferentem nunquam
sim adhortatus. Quamquam, si in eo perseverares, ad
tuam gloriam rem illam referri malebam quam ad meam
50 gratiam. Quaestor es factus. Deinde continuo sine senatus
consulto, sine sorte, sine lege ad Caesarem cucurristi. Id
enim unum in terris egestatis, aeris alieni, nequitiae perditis vitae rationibus perfugium esse ducebas. Ibi te cum
et illius largitionibus et tuis rapinis explevisses, (si hoc est
explere, * * quod statim effundas), advolasti egens ad tribunatum, ut in eo magistratu, si posses, viri tui similis
esses.

XXI. Accipite nunc, quaeso, non ea, quae ipse in se
atque in domesticum decus impure atque intemperanter,
sed quae in nos fortunasque nostras, id est, in universam
rem publicam, impie ac nefarie fecerit. Ab huius enim
51 scelere omnium malorum principium natum reperietis. Nam,
cum L. Lentulo, C. Marcello consulibus Kalendis Ianuariis
labantem et prope cadentem rem publicam fulcire cuperetis
ipsique C. Caesari, si sana mente esset, consulere velletis,
tum iste venditum atque emancipatum tribunatum consiliis
vestris opposuit cervicesque suas ei subiecit securi, qua
multi minoribus in peccatis occiderunt. In te, M. Antoni,
id decrevit senatus, et quidem incolumis, nondum tot luminibus exstinctis, quod in hostem togatum decerni est soli-

---

vel *parentem tuum* vel *patrem tuum* Guelf. Bamb. Intelligitur Iulia. — *Quamquam*] Madvig. de Manutii coni. *quoniam*. Codd. lectio sic defendi potest, ut dicamus ita cohaerere sententias: „te nunquam sum cohortatus, etiam quia praevidebam (ut re vera accidit) te non perseveraturum. Quamquam, si modo in eo perseverares cet."

§ 50. *Quaestor*] a. 702. — *nequitia p.* Cod. Ien. — Post v. *explere* excidit v. aliquod, *devorare* (Faërnus), *ingerere* (Schuetz.), *haurire* (Madvig.). Etiam tres mei h. l. manci sunt. Est hic locus ex iis, qui argumento sunt omnes Philippicarum Codd. ex uno antiquissimo ductos esse. — *ad tribunatum*] a. 704. — *viri tui*] C. Curionis. — *decus*] Ex Madvigii coni. Libri (etiam mei) *dedecus:* sed recte V. D. Opusc. acad. p. 166. docet ex Ciceronis consuetudine hoc voc. sententiae repugnare, cum significaret: „*contra dedecus suum*," non vero, ut volgo interpretantur, *ad dedecus suum, zu seiner Schande.*

§ 51. *L. Lentulo*] a. 705. — *securi*] legum poenae. — *decerni*] Scil. sen-

tum more maiorum. Et tu apud patres conscriptos contra
me dicere ausus es, cum ab hoc ordine ego conservator
essem, tu hostis rei publicae iudicatus? Commemoratio illius
tui sceleris intermissa est, non memoria deleta. Dum genus
hominum, dum populi Romani nomen exstabit, (quod qui-
dem erit, si per te licebit, sempiternum!) tua illa pestifera
intercessio nominabitur. Quid cupide a senatu, quid temere 52
fiebat, cum tu, unus adolescens, universum ordinem decer-
nere de salute rei publicae prohibuisti? neque id semel, sed
saepius? neque tu tecum de senatus auctoritate agi passus
es? Quid autem agebatur, nisi ne deleri et everti rem publi-
cam funditus velles, cum te neque principes civitatis ro-
gando neque maiores natu monendo neque frequens sena-
tus agendo de vendita atque addicta sententia movere potuit?
Tum illud multis rebus ante tentatis necessario tibi volnus
inflictum est, quod paucis ante te, quorum incolumis fuit
nemo. Tum contra te dedit arma hic ordo consulibus reli- 53
quisque imperiis et potestatibus; quae non effugisses, nisi
te ad arma Caesaris contulisses.

XXII. Tu, tu, inquam, M. Antoni, princeps C. Cae-
sari omnia perturbare cupienti causam belli contra patriam
inferendi dedisti. Quid enim aliud ille dicebat? quam cau-
sam sui dementissimi consilii et facti afferebat, nisi quod
intercessio neglecta, ius tribunicium sublatum, circumscri-
ptus a senatu esset Antonius? Omitto, quam haec falsa,
quam levia: praesertim cum omnino nulla causa iusta cui-
quam esse possit contra patriam arma capiendi. Sed nihil
de Caesare: tibi certe confitendum est causam perniciosis-
simi belli in persona tua constitisse. O miserum te, si in- 54
telligis hoc litteris mandari, hoc memoriae prodi, huius rei
ne posteritatem quidem omnium seculorum unquam imme-
morem fore, consules ex Italia expulsos cumque his Cn.
Pompeium, quod imperii populi Romani decus ac lumen

---

tus consulibus, praetoribus, tribunis pl. et nobis, qui pro consulibus sumus, negotium dedit, ut curaremus, NE QUID RES PUBLICA DETRIMENTI CAPERET. ad Fam. 16, 11, 3. — *pestifera intercessio*] Cum senatus decresset, ut Caesar privatus ac praesens consulatum peteret, intercessit Antonius.

§ 52. *adolescens*] annos natus XXXIV. — *movere*] Sic etiam mei tres. *demovere* Ern. coni.

fuit, omnes consulares, qui per valetudinem exsequi cladem illam fugamque potuissent, praetores, praetorios, tribunos plebi, magnam partem senatus, omnem subolem iuventutis unoque verbo rem publicam expulsam atque exter-
55 minatam suis sedibus! Ut igitur in seminibus est causa arborum et stirpium, sic huius luctuosissimi belli semen tu fuisti. Doletis tres exercitus populi Romani interfectos: interfecit Antonius. Desideratis clarissimos cives: eos quoque vobis eripuit Antonius. Auctoritas huius ordinis afflicta est: afflixit Antonius. Omnia denique, quae postea vidimus (quid autem mali non vidimus?) si recte ratiocinabimur, uni accepta referemus Antonio. Ut Helena Troianis, sic iste huic rei publicae causa belli, causa pestis atque exitii fuit. Reliquae partes tribunatus principiis similes. Omnia perfecit, quae senatus, salva re publica ne fieri possent, perfecerat. Cuius tamen scelus in scelere cognoscite.

56 XXIII. Restituebat multos calamitosos. In iis patrui nulla mentio. Si severus, cur non in omnes? Si misericors, cur non in suos? Sed omitto ceteros. Licinium Lenticulam, de alea condemnatum, collusorem suum, restituit: quasi vero ludere cum condemnato non liceret! sed ut, quod in alea perdiderat, beneficio legis dissolveret. Quam attulisti rationem populo Romano, cur eum restitui oporteret? Absentem, credo, in reos relatum; rem indicta causa iudicatam; nullum fuisse de alea lege iudicium; vi oppressum et armis; postremo, quod de patruo tuo dicebatur, pecunia iudicium esse corruptum. Nihil horum. — At vir bonus, et re publica dignus. — Nihil id quidem ad rem: ego tamen, quoniam condemnatum esse pro nihilo est, si ita esset, ignoscerem. Hominem omnium nequissimum, qui non dubitaret vel in foro alea ludere, lege, quae est de alea, condemnatum, qui in integrum restituit, is non apertissime studium

---

§ 55. *tres exercitus*] Unum in Thessalia, alterum in Africa, tertium in Hispania. Manutius.

§ 56. *patrui*] C. Antonii, Ciceronis in consulatu collegae, tum exulis. — *beneficio legis*] Significat Antonium fuisse pecunia inductum ad ferendam legem de restitutione Lenticulae, ut videlicet nummis ob hanc legem ferendam acceptis aes alienum dissolveret Antonius. Abram.

suum ipse profitetur? In eodem vero tribunatu, cum Caesar 57
in Hispaniam proficiscens huic conculcandam Italiam tradidisset, quae fuit eius peragratio itinerum, lustratio municipiorum! Scio me in rebus celebratissimis omnium sermone versari, eaque, quae dico dicturusque sum, notiora omnibus esse, qui in Italia tum fuerunt, quam mihi, qui non fui. Notabo tamen singulas res: etsi nullo modo poterit oratio mea satisfacere vestrae scientiae. Etenim quod unquam in terris tantum flagitium exstitisse auditum est? tantam turpitudinem? tantum dedecus?

XXIV. Vehebatur in essedo tribunus plebi; lictores 58
laureati antecedebant; inter quos, aperta lectica, mima portabatur; quam ex oppidis municipales homines honesti, obviam necessario prodeuntes, non noto illo et mimico nomine, sed Volumniam consalutabant. Sequebatur rheda cum lenonibus, comites nequissimi, reiecta mater amicam impuri filii tamquam nurum sequebatur. O miserae mulieris fecunditatem calamitosam! Horum flagitiorum iste vestigiis omnia municipia, praefecturas, colonias, totam denique Italiam impressit.

Reliquorum factorum eius, Patres conscripti, difficilis 59
est sane reprehensio et lubrica. Versatus in bello est: saturavit se sanguine dissimillimorum sui civium. Felix fuit, si potest ulla in scelere esse felicitas. Sed, quoniam veteranis cautum esse volumus, quamquam dissimilis est militum causa et tua, illi secuti sunt, tu quaesisti ducem; tamen ne apud illos me in invidiam voces, nihil de genere belli dicam. Victor e Thessalia Brundisium cum legionibus revertisti. Ibi me non occidisti. Magnum beneficium! Potuisse enim fateor. Quamquam nemo erat eorum, qui tum tecum fuerunt, qui mihi non censeret parci oportere. Tanta est 60
enim caritas patriae, ut vestris etiam legionibus sanctus essem, quod eam a me servatam esse meminissent. Sed fac id te dedisse mihi, quod non ademisti, meque a te habere vitam, quia non a te sit erepta: licuitne mihi per tuas contumelias hoc tuum beneficium sic tueri, ut tuebar, praesertim cum te haec auditurum videres?

---

§ 58. *Volumniam*] Sic per iocum vocabatur Cytheris, quia non solum Antonii, sed etiam Volumnii Eutrapeli, senatoris luxuriosi, amica erat.

61 XXV. Venisti Brundisium, in sinum quidem et in complexum tuae mimulae. Quid est? num mentior? Quam miserum est id negare non posse, quod sit turpissimum confiteri! Si te municipiorum non pudebat, ne veterani quidem exercitus? quis enim miles fuit, qui Brundisii illam non viderit? quis, qui nescierit, venisse eam tot tibi dierum viam gratulatum? quis, qui non indoluerit tam sero se,
62 quam nequam hominem secutus esset, cognoscere? Italiae rursus percursatio eadem comite mima; in oppida militum crudelis et misera deductio; in urbe auri, argenti maximeque vini foeda direptio. Accessit, ut, Caesare ignaro, cum esset ille Alexandreae, beneficio amicorum eius magister equitum constitueretur. Tum existimavit se suo iure cum Hippia vivere et equos vectigales Sergio mimo tradere. Tum sibi non hanc, quam nunc male tuetur, sed M. Pisonis domum, ubi habitaret, legerat. Quid ego istius decreta, quid rapinas, quid hereditatum possessiones datas, quid ereptas proferam? Cogebat egestas; quo se verteret, non habebat. Nondum ei tanta a L. Rubrio, non a L. Turselio hereditas venerat; nondum in Cn. Pompeii locum multorumque aliorum, qui aberant, repentinus heres successerat. Erat ei vivendum latronum ritu, ut tantum haberet, quantum rapere potuisset.

63 Sed haec, quae robustioris improbitatis sunt, omittamus; loquamur potius de nequissimo genere levitatis. Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate tantum vini in Hippiae nuptiis exhauseras, ut tibi necesse esset in populi Romani conspectu vomere postridie. O rem non modo visu foedam, sed etiam auditu! Si inter

§ 62. *Alexandreae*] a. 707. — *Hippia*] teste Plutarcho Anton. 9. mimus, ut Sergius. Contra Iuvenali 6, 82 seqq. haec duo nomina ex hoc loco mutuasumenti Hippia est femina. — *equos vectigales*] Ascon. in orat. in toga cand. p. 94. Ed. Baiteri: *C. Antonius redemptas habebat ab aerario vectigales quadrigas, quam redemptionem senatori habere licet per legem.* Id est, ex equis, qui nonnullis populis stipendiariis quotannis a populo Romano tributi nomine imperati erant, senatori cuique certum numerum minimo, ut videtur, pretio redimere licebat: eiusmodi equos Antonius Sergio, ut ex iis, quem vellet quaestum faceret, tradebat. Inest autem lusus verborum in his omnibus, *magister equitum* — *cum Hippia* (ἵππος) — *equos vectigales.* — *hanc*] Cn. Pompeii. — *M. Pisonis*] M. Pupii Pisonis Calpurniani cos. a. 693.

oenam, in ipsis tuis immanibus illis poculis, hoc tibi accisset, quis non turpe duceret? In coetu vero populi Romani, egotium publicum gerens, magister equitum, cui ructare ırpe esset, is vomens frustis esculentis vinum redolentibus remium suum et totum tribunal implevit. Sed hoc ipse ıtetur esse in suis sordibus; veniamus ad splendida.

XXVI. Caesar Alexandrea se recepit, felix, ut sibi 64
uidem videbatur; mea autem sententia, qui rei publicae it infelix, felix esse nemo potest. Hasta posita pro aede ovis Statoris bona Cn. Pompeii (miserum me! consumptis enim ıcrimis tamen infixus haeret animo dolor), bona, inquam, Cn. Pompeii Magni, voci acerbissimae subiecta praeconis. Jna in illa re servitutis oblita civitas ingemuit servientibusque animis, cum omnia metu tenerentur, gemitus tamen populi Romani liber fuit. Exspectantibus omnibus, quisnam esset tam impius, tam demens, tam diis hominibusque hostis, qui ad illud scelus sectionis auderet accedere, inventus est nemo praeter Antonium, praesertim cum tot essent circum hastam illam, qui alia omnia auderent. Unus inventus est, qui id auderet, quod omnium fugisset et reformidasset audacia. Tantus igitur te stupor oppressit vel, ut 65
verius dicam, tantus furor, ut primum, cum sector sis isto loco natus, deinde cum Pompeii sector, non te execratum populo Romano, non detestabilem, non omnes tibi deos, omnes homines et esse inimicos et futuros scias? At quam insolenter statim heluo invasit in eius viri fortunas, cuius virtute terribilior erat populus Romanus exteris gentibus, iustitia carior!

XXVII. In eius igitur viri copias cum se subito ingur- 66
gitasset, exsultabat gaudio, persona de mimo, modo egens, repente dives. Sed, ut est apud poëtam nescio quem, *male*

---

§ 64. *se recepit*] a. 707. — *bona Cn. Pompeii*] Sic Wernsdorf. et Madvig. *bona subiecta Cn. Pompeii* Vatic. Bern. Guelf. Vestigia Bamb. *bona* O. — *haeret animo*] Vatic. *animo haeret* Ern. — *animis, cum omnia metu tenerentur*] Sic Vat. A ceteris libris, etiam a meis, absunt vv. *cum -- tenerentur* eaque in Ed. reiecit etiam Madvig.; in Praefat. tamen p. VI. affert Haterii imitationem h. l. apud Senecam Rhetorem p. 218. Bip. *Proposito in Rostris capite Ciceronis, cum unius metu omnia tenerentur, gemitus tamen populi liber fuit.*

§ 65. *sector isto loco natus*] „Nobilem enim sectorem esse non decet.“ Man.

§ 66. *apud poëtam*] C. Naevium, a. u. c. 550., ex Festi testimonio.

parta male dilabuntur. Incredibile ac simile portenti est, quonam modo illa tam multa quam paucis, non dico mensibus, sed diebus effuderit. Maximus vini numerus fuit, permagnum optimi pondus argenti, pretiosa vestis, multa et lauta supellex et magnifica multis locis, non illa quidem luxuriosi hominis, sed tamen abundantis. Horum paucis
67 diebus nihil erat. Quae Charybdis tam vorax? Charybdin dico? quae si fuit, fuit animal unum: Oceanus medius fidius vix videtur tot res tam dissipatas, tam distantibus in locis positas tam cito absorbere potuisse. Nihil erat clausum, nihil obsignatum, nihil scriptum. Apothecae totae nequissimis hominibus condonabantur. Alia mimi rapiebant, alia mimae: domus erat aleatoribus referta, plena ebriorum: totos dies potabatur, atque id locis pluribus: suggerebantur etiam saepe (non enim semper iste felix) damna aleatoria. Conchyliatis Cn. Pompeii peristromatis servorum in cellis lectos stratos videres. Quamobrem desinite mirari, haec tam celeriter esse consumpta. Non modo unius patrimonium, quamvis amplum, ut illud fuit, sed urbes et regna celeriter tanta nequitia devorare potuisset. At idem aedes etiam et
68 hortos. O audaciam immanem! tu etiam ingredi illam domum ausus es? tu illud sanctissimum limen intrare? tu illarum aedium diis penatibus os impurissimum ostendere? Quam domum aliquamdiu nemo adspicere poterat, nemo sine lacrimis praeterire, hac te in domo tamdiu deversari non pudet? in qua, quamvis nihil sapias, tamen nihil tibi potest esse iucundum.

XXVIII. An tu, illa in vestibulo rostra [spolia] cum adspexisti, domum tuam te introire putas? Fieri non potest. Quamvis enim sine mente, sine sensu sis, ut es, tamen et te et tua et tuos nosti. Nec vero te unquam neque vigilantem neque in somnis credo posse mente consistere. Necesse est, quamvis sis, ut es, vinolentus et furens, cum tibi obiecta sit species singularis viri, perterritum te de

---

§ 67. *Apothecae*] erant in superiore tabulato et vinum in amphoras defusum servabant; cellae vinariae sub terra erant et vinum doliare continebant. ABRAM. — *conchyliatis* cet.] stragula vestis pretiosa, purpura tincta.

§ 68. *spolia*] glossema videtur etiam Madvigio.

somno excitari, furere etiam saepe vigilantem. Me quidem 69
miseret parietum ipsorum atque tectorum. Quid enim un-
quam domus illa viderat, nisi pudicum, quid, nisi ex optimo
more et sanctissima disciplina? Fuit enim ille vir, Patres
conscripti, sicut scitis, cum foris clarus, tum domi admi-
randus, neque rebus externis magis laudandus quam insti-
tutis domesticis: huius in sedibus pro cubiculis stabula, pro
tricliniis popinae sunt. Etsi iam negat. Nolite, nolite quae-
rere. Frugi factus est. Illam suam suas res sibi habere
iussit; ex duodecim tabulis claves ademit, exegit. Quam
porro spectatus civis, quam probatus! cuius ex omni vita
nihil est honestius, quam quod cum mima fecit divortium.
At quam crebro usurpat, *et consul et Antonius!* Hoc est 70
dicere, et consul et impudicissimus, et consul et homo ne-
quissimus. Quid est enim aliud Antonius? Nam si dignitas
significaretur in nomine, dixisset aliquando, credo, avus
tuus se et consulem et Antonium. Nunquam dixit. Dixisset
etiam collega meus, patruus tuus. Nisi tu es solus Anto-
nius. Sed omitto ea peccata, quae non sunt earum partium
propria, quibus tu rem publicam vexavisti; ad ipsas tuas
partes redeo, id est, ad civile bellum; quod natum, con-
flatum, susceptum opera tua est.

XXIX. Cui bello cum propter timiditatem tuam, tum 71
propter libidines defuisti. Gustaras civium sanguinem vel
potius exsorbueras; fueras in acie Pharsalica antesignanus;
L. Domitium, clarissimum et nobilissimum virum, occi-
deras; multosque praeterea qui e proelio effugerant, quos
Caesar ut nonnullos fortasse servasset, crudelissime perse-
cutus trucidaras. Quibus rebus tantis talibus gestis, quid
fuit causae, cur in Africam Caesarem non sequerere, cum

---

§ 69. Alterum *nolite* omittunt Vatic. Bern. Madvig. — Guelf. et Bamb. eius loco habent *inclite*, quod cum sensu careret alii prorsus omisisse videntur. — *illam suam*] Cytherida. Nota formulam divortii legitimam: *Tuas res tibi habe.* Ceterum distinxi cum Klenzio in Savigny *Zeitschrift* 7, 1. p. 38. Volgo: *iussit ex duodecim tabulis; claves* cet.

§ 70. *significaretur in nomine*] Sic etiam tres mei. Lambinus ex usu frequentiore *in* omisit.

§ 71. *multosque praeterea, qui*] e vestigiis Vatic. Muretus et Madvig. *multos, qui* tres mei. O. — *tantis talibus*] Sic etiam tres mei. *tantis ac talibus* Schuetz. — *in Africam*] a. 708. Mox Bern. Guelf. Bamb. *ut dicebat ipse.*

praesertim belli pars tanta restaret? Itaque quem locum apud ipsum Caesarem post eius ex Africa reditum obtinuisti? quo numero fuisti? Cuius tu imperatoris quaestor fueras, dictatoris magister equitum, belli princeps, crudelitatis auctor, praedae socius, testamento, ut dicebas ipse, filius, appellatus es de pecunia, quam pro domo, pro hortis, pro sectione
72 debebas. Primo respondisti plane ferociter; et, ne omnia videar contra te, propemodum aequa et iusta dicebas. A me C. Caesar pecuniam? cur potius quam ego ab illo? an sine me ille vicit? At ne potuit quidem. Ego ad illum belli civilis causam attuli; ego leges perniciosas rogavi; ego arma contra consules imperatoresque populi Romani, contra senatum populumque Romanum, contra deos patrios arasque et focos, contra patriam tuli. Num sibi soli vicit? Quorum facinus est commune, cur non sit eorum praeda communis? Ius postulabas: sed quid ad rem? Plus ille poterat.
73 Itaque, exclusis tuis vocibus et ad te et ad praedes tuos milites misit: cum repente a te praeclara illa tabula prolata. Qui risus hominum! tantam esse tabulam, tam varias, tam multas possessiones, ex quibus praeter partem Miseni nihil erat, quod is, qui auctionaretur, posset suum dicere. Auctionis vero miserabilis adspectus: vestis Pompeii non multa, eaque maculosa; eiusdem quaedam argentea vasa collisa; sordidata mancipia, ut doleremus quidquam esse ex
74 illis reliquiis, quod videre possemus. Hanc tamen auctionem heredes L. Rubrii decreto Caesaris prohibuerunt. Haerebat nebulo; quo se verteret, non habebat. Quin his ipsis temporibus domi Caesaris percussor, ab isto missus, deprehensus dicebatur esse cum sica. De quo Caesar in senatu aperte in te invehens questus est. Proficiscitur in Hispaniam Caesar, paucis tibi ad solvendum propter inopiam tuam prorogatis diebus. Ne tum quidem sequeris. Tam

---

§ 73. *exclusis*] Barberini ambo. Madvig. *excussis* Vatic. et mei; quod tamen nec *examinatis* nec *abiectis* explicare possumus. Affert Heusingerus locum Plinii Ep. 9, 13, 15. *iniquissimum esse querelas dolentium excludi.* Mox Madvig. mavolt: *repente est a te.* In Guelf. spatium est post v. *praeclara.* Fuitne: *praeclarast?* — *tabula*] „qua proscripsit Antonius res suas, ut auctione facta solveret Caesari, quod debebat.“ Manutius.

§ 74. *L. Rubrii*] „repetentes ab Antonio bona Rubrii, quae per fraudem

bonus gladiator rudem tam cito? Hunc igitur quisquam, qui in suis partibus, id est, in suis fortunis, tam timidus fuerit, pertimescat?

XXX. Profectus est aliquando tandem in Hispaniam; 75
sed tuto, ut ait, pervenire non potuit. Quonam modo igitur Dolabella pervenit? Aut non suscipienda fuit ista causa, Antoni, aut, cum suscepisses, defendenda usque ad extremum. Ter depugnavit Caesar cum civibus, in Thessalia, Africa, Hispania. Omnibus adfuit his pugnis Dolabella; in Hispaniensi etiam volnus accepit. Si de meo iudicio quaeris, nollem. Sed tamen consilium a primo reprehendendum, laudanda constantia. Tu vero quid es? Cn. Pompeii liberi tum primum patriam repetebant. Esto: fuerit haec partium causa communis. Repetebant praeterea deos penates patrios, aras, focos, larem suum familiarem; in quae tu invaseras. Haec cum repeterent armis ii, quorum erant legibus: — etsi in rebus iniquissimis quid potest esse aequi? — tamen quem erat aequissimum contra Cn. Pompeii liberos pugnare? quem? Te, sectorem. An tu Narbone mensas 76
hospitum convomeres, Dolabella pro te in Hispania dimicaret?

Qui vero Narbone reditus? — Etiam quaerebat, cur ego ex ipso cursu tam subito revertissem. Exposui nuper, Patres conscripti, causam reditus mei. Volui, si possem, etiam ante Kalendas Ianuarias prodesse rei publicae. Nam, quod quaerebas, quomodo redissem, primum luce, non tenebris; deinde cum calceis et toga, nullis nec Gallicis nec

---

tamquam heres occupaverat." Id. — *in Hispaniam*] a. 709. — *tam cito?*] Vat. *tam cito accepisti?* ex gloss. tres mei. O.

§ 75. *in Hispaniensi*] ad Mundam. — *a primo*] *a principio* ex gloss. Iunta. ad Att. 16, 7. *Utinam a primo ita tibi esset visum.* — *quid es?*] Nihil, nullius pretii. — *tum primum*] Vatic. Construe: *tum repetebant primum*, primo loco, ante omnia, *patriam.* Cum coniungerent *tum primum*, *damals zuerst*, viderentque hoc ineptum esse, omiserunt v. *tum*, ut tres mei et Edd. — *deos penates patrios*] Haec coniungenda, non, ut est in Ed. maiore, distinguendum: *deos penates*, *patrios*, quasi diversi essent. Notavit Madvig. V. *penates* solus Vatic. omittit; habent tres mei.

§ 76. *Etiam quaerebat*] Cum tam turpis eius fuisset Narbone reditus, adeo tamen impudens fuit, ut etiam quaerere auderet cet. Male mei Codd.: *Et tamen.* Cum simili indignatione Phil. 13, 18, 37. *is etiam queritur condiciones suas repudiatas.* — *Gallicis*] genus soleae; hanc lect. servavit Gellius 13, 20., cum Libri bis habeant *caligis.* Notat autem turpem in Antonio decoris senatorii neglegentiam.

lacerna. At etiam adspicis me, et quidem, ut videris, iratus. Nae tu iam mecum in gratiam redeas, si scias, quam me pudeat nequitiae tuae, cuius te ipsum non pudet. Ex omnium omnibus flagitiis nullum turpius vidi, nullum audivi. Qui magister equitum fuisse tibi viderere, in proximum annum consulatum peteres vel potius rogares; is per municipia coloniasque Galliae, a qua nos tum, cum consulatus petebatur, non rogabatur, petere consulatum solebamus, cum Gallicis et lacerna cucurristi.

77 XXXI. At videte levitatem hominis. Cum hora diei decima fere ad Saxa rubra venisset, delituit in quadam cauponula atque ibi se occultans perpotavit ad vesperam; inde cisio celeriter ad urbem advectus, domum venit capite involuto. Ianitor, „Quis tu?" — „A Marco tabellarius." Confestim ad eam, cuius causa venerat, eique epistolam tradidit. Quam cum illa legeret flens (erat enim scripta amatorie; caput autem litterarum, sibi cum illa mima posthac nihil futurum: omnem se amorem abiecisse illim atque in hanc transfudisse): cum mulier fleret uberius, homo misericors ferre non potuit, caput aperuit, in collum invasit. O hominem nequam! (quid enim aliud dicam? magis proprie nihil possum dicere): ergo ut te catamitum, nec opinato cum ostendisses, praeter spem mulier adspiceret, idcirco urbem terrore nocturno, Italiam multorum dierum metu pertur-
78 basti? Et domi quidem causam amoris habuit; foris etiam turpiorem, ne L. Plancus praedes suos venderet. Productus autem in contionem a tribuno plebi cum respondisses, te rei tuae causa venisse, populum etiam dicacem in te reddidisti. Sed nimis multa de nugis. Ad maiora veniamus.

---

§ 77. *Saxa rubra*] In via Flaminia inter Urbem et Veios ad Cremeram, ubi ceciderunt Fabii trecenti sex a. u. c. 277. — *decima fere*] Sic Gellius Att. 7, 11. et tres mei. *fere decima* Vatic. Madvig. — *involuto*] Gellius, tres mei. *obvoluto* Vatic. solus. Madvig. — *ad eam*] Fulviam. — *illim*] e vestigiis Codd. Lamb. (*illi non* Vatic.), forma in primis h. l. apta, ubi familiarem sermonem imitatur. *illinc* Codd. mei. Madvig. — *catamitum*] mollem et impudicum. Festus: *Catamitum pro Ganymede dixerunt.* Corruptela eiusdem est generis atque *Ulixes*, ex Siculorum Doriensium Οὐλίξης, Etrusce *Uluxe*, *Hecuba*, *Pollux*, *Proserpina*.

§ 78. *praedes suos*] i. e. eorum bona obligata pro debitis Antonii. — *rei tuae*] Ridicule scil. interpretabantur de Antonii insano in Fulviam amore.

XXXII. Caesari ex Hispania redeunti obviam longis-
me processisti. Celeriter isti, redisti, ut cognosceret te,
minus fortem, attamen strenuum. Factus es ei rursus
escio quomodo familiaris. Habebat hoc omnino Caesar:
uem plane perditum aere alieno egentemque, si eundem
equam hominem audacemque cognorat, hunc in familiari-
atem libentissime recipiebat. His igitur rebus praeclare 79
ommendatus, iussus es renuntiari consul, et quidem cum
pso. Nihil queror de Dolabella, qui tum est impulsus, in-
luctus, elusus. Qua in re quanta fuerit uterque vestrûm
erfidia in Dolabella, quis ignorat? Ille induxit, ut peteret;
romissum et receptum intervertit, ad seque transtulit: tu
ius perfidiae voluntatem tuam adscripsisti. Veniunt Kalendae
anuariae; cogimur in senatum; invectus est copiosius multo
n istum et paratius Dolabella quam nunc ego. Hic autem 80
ratus quae dixit, dii boni! Primum cum Caesar ostendisset
se, priusquam proficisceretur, Dolabellam consulem esse
iussurum: (quem negant regem, qui et faceret semper eius-
modi aliquid et diceret); sed cum Caesar ita dixisset, tum
hic bonus augur eo se sacerdotio praeditum esse dixit, ut
comitia auspiciis vel impedire vel vitiare posset, idque se
facturum esse asseveravit. In quo primum incredibilem stu-
piditatem hominis cognoscite. Quid enim? istud, quod te 81
sacerdotii iure facere posse dixisti, si augur non esses, et
consul esses, minus facere potuisses? Vide ne etiam facilius.
Nos enim nuntiationem solum habemus; consules et reliqui
magistratus etiam spectionem. Esto: hoc imperite; nec enim
est ab homine nunquam sobrio postulanda prudentia: sed
videte impudentiam. Multis ante mensibus in senatu dixit
se Dolabellae comitia aut prohibiturum auspiciis aut id factu-
rum esse, quod fecit. Quisquamne divinare potest, quid

---

§ 81. *Nos enim* cet.] „Nos augures habemus tantum ius nuntiandi magistratui de eo, quod viderimus; consules et reliqui magistratus etiam spectionem, id est, ius considerandi auguria et iudicandi, utrum iis res gerendae impediantur necne.“ FORCELLINUS. — *id facturum*] Scil. vitiaturum (turbaturum) comitia. Cfr. § 83. — *divinare potest*] De caelo servâre comitiis magistratuum legibus erat prohibitum. Tamen et his hactenus id licebat, nt qui id fecisset ante comitia obnuntiaret, non ubi iam habita essent. Poterat etiam is, qui de caelo servaturus erat, multo ante id praedicere et proscribere, quo die vel per quos dies servaturus esset.

Quid hoc turpius? quid foedius? quid suppliciis omnibus
dignius? Num expectas, dum te stimulis fodiam? haec te,
si ullam partem habes sensus, lacerat, haec cruentat oratio.
Vereor, ne imminuam summorum virorum gloriam. Dicam
tamen dolore commotus. Quid indignius, quam vivere
eum, qui imposuerit diadema, cum omnes fateantur iure
87 interfectum esse, qui abiecerit? At etiam adscribi iussit in
fastis ad Lupercalia: C. CAESARI, DICTATORI PERPETVO,
M. ANTONIVM, CONSVLEM, POPVLI IVSSV REGNVM DETVLISSE,
CAESAREM VTI NOLVISSE. Iamiam minime miror te otium
perturbare; non modo urbem odisse, sed etiam lucem; cum
perditissimis latronibus non solum de die, sed etiam in diem
vivere. Ubi enim tu in pace consistes? qui locus tibi in
legibus et in iudiciis esse potest, quae tu, quantum in te
fuit, dominatu regio sustulisti? Ideone L. Tarquinius exactus,
Sp. Cassius, Maelius, M. Manlius, necati, ut multis post
seculis a M. Antonio, quod fas non est, rex Romae constitueretur?
Sed ad auspicia redeamus.

88 XXXV. De quibus rebus Idibus Martiis fuit in senatu
Caesar acturus, quaero tum tu quid egisses. Audiebam quidem
te paratum venisse, quod me de ementitis auspiciis,
quibus tamen parere necesse erat, putares esse dicturum.
Sustulit illum diem Fortuna populi Romani. Num etiam
tuum de auspiciis iudicium interitus Caesaris sustulit? Sed
incidi in id tempus, quod iis rebus, in quas ingressa erat
oratio, praevertendum est. Quae tua fuga! quae formido
praeclaro illo die! quae propter conscientiam scelerum desperatio
vitae! cum ex illa fuga beneficio eorum, qui te,
si sanus esses, salvum esse voluerunt, clam te domum recepisti.
89 cepisti. O mea frustra semper verissima auguria rerum

---

§ 87. *de die vivit*, qui totum fere diem labori debitum voluptatibus impendit, ante legitimum tempus convivia init, cotidie epulatur; *in diem* vero, qui de crastino die, de futuro tempore non est sollicitus." HEUSING. Mox Madvig. cum Iunta mavolt: *Sp. Cassius, Sp. Maelius*. L. Tarquinius expulsus a. u. c. 245.; Sp. Cassius necatus a. 269.; Sp. Maelius a. 315.; M. Manlius a. 371.

§ 88. *incidi in id tempus*] de quo prius mihi loquendum est, quam de ementitis a te auspiciis iisque ab auguribus infirmandis, de quibus coeperam loqui. de Divin. 1, 6. *si vocas animo neque habes aliquid, quod huic sermoni praevertendum putes.* — *eorum*] M. Bruti et Trebonii.

ıturarum! Dicebam illis in Capitolio liberatoribus nostris, um me ad te ire vellent, ut ad defendendam rem publicam e adhortarer, quoad metueres, omnia te promissurum; si- ıul ac timere desisses, similem te futurum tui. Itaque, um ceteri consulares irent, redirent, in sententia mansi: eque te illo die neque postero vidi neque ullam societatem ptimis civibus cum importunissimo hoste foedere ullo con- ırmari posse credidi. Post diem tertium veni in aedem Tel- uris, et quidem invitus, cum omnes aditus armati obside- ent. Qui tibi dies ille, M. Antoni, fuit? Quamquam mihi 90
nimicus subito exstitisti, tamen me tui miseret, quod tibi nvideris.

XXXVI. Qui tu vir, dii immortales! et quantus fuis- ses, si illius diei mentem servare potuisses! Pacem habere- mus, quae erat facta per obsidem, puerum nobilem, M. Bam- balionis nepotem. Quamquam bonum te timor faciebat, non diuturnus magister officii, improbum fecit ea, quae, dum timor abest, a te non discedit, audacia. Etsi tum, cum optimum te putabant, me quidem dissentiente, funeri tyranni, si illud funus fuit, sceleratissime praefuisti. Tua illa pulchra 91
laudatio, tua miseratio, tua cohortatio: tu, tu, inquam, illas faces incendisti, et eas, quibus semustulatus ille est, et eas, quibus incensa L. Bellieni domus deflagravit. Tu illos impetus perditorum hominum et ex maxima parte ser- vorum, quos nos vi manuque reppulimus, in nostras domos immisisti. Idem tamen quasi fuligine abstersa reliquis die- bus in Capitolio praeclara senatus consulta fecisti, ne qua post Idus Martias immunitatis tabula neve cuius beneficii figeretur. Meministi ipse de exulibus; scis, de immunitate quid dixeris. Optimum vero, quod dictaturae nomen in perpetuum de re publica sustulisti. Quo quidem facto tan- tum te cepisse odium regni videbatur, ut eius omnem pro- pter proximum dictatorem metum tolleres. Constituta res 92
publica videbatur aliis, mihi vero nullo modo, qui omnia, te gubernante, naufragia metuebam. Num me igitur fefellit?

---

§ 89. *post diem tertium*] XVI. Kal. April. (17. d. Mart.)

§ 90. M. Fulvius Bambalio (ψελλιστής) Fulviae pater, homo stultissimus.

§ 91. *semustulatus*] temere ac per tumultum, non in rogo rite crematus.

aut num diutius sui potuit esse dissimilis? Inspectantibus vobis toto Capitolio tabulae figebantur; neque solum singulis venibant immunitates, sed etiam populis universis; civitas non iam singillatim, sed provinciis totis dabatur. Itaque si haec manent, quae stante re publica manere non possunt, provincias universas, Patres conscripti, perdidistis; neque vectigalia solum, sed etiam imperium populi Romani huius domesticis nundinis deminutum est.

93 XXXVII. Ubi est septies milies, quod in tabulis, quae sunt ad Opis, patebat? funestae illius quidem pecuniae, sed tamen, quae nos, si iis, quorum erat, non redderetur, a tributis posset vindicare. Tu autem quadringenties HS., quod Idibus Martiis debuisti, quonam modo ante Kalendas Apriles debere desisti? Sunt ea quidem innumerabilia, quae a tuis emebantur, non insciente te: sed unum egregium de rege Deiotaro, populi Romani amicissimo, decretum in Capitolio fixum. Quo proposito nemo erat, qui in ipso dolore
94 risum posset continere. Quis enim cuiquam inimicior, quam Deiotaro Caesar? Aeque atque huic ordini, ut equestri, ut Massiliensibus, ut omnibus, quibus rem publicam populi Romani caram esse sentiebat. Igitur, a quo vivo nec praesens nec absens quidquam aequi boni impetravit, apud mortuum factus est gratiosus. Compellarat hospitem praesens,

---

§ 92. *venibant*] Heusing. Contra Codd. omnes: *veniebant*, ut Verr. Accus. 3, 47, 113., ubi cfr. Zumptium. — *immunitates*] Cretensibus, § 97. — *populis universis*] ad Att. 14, 12. *Scis, quam diligam Siculos et quam illam clientelam honestam iudicem. Multa illis Caesar neque me invito: etsi Latinitas erat non ferenda; verumtamen! . . Ecce autem Antonius accepta grandi pecunia fixit legem a dictatore comitiis latam, qua Siculi cives Romani, cuius rei vivo illo mentio nulla. Quid, Deiotari nostri causa non similis? Dignus ille quidem omni regno, sed non per Fulviam. Sexcenta similia.* — *septies milies*] 700,000,000 sestertios = 35,000,000 Thal. convent. = 123,200,000. Franc. Helvet. ex bonis proscriptorum a Caesare corrasos. — *patebat*] Eodem modo pro Roscio Com. 2. *hoc nomen in adversariis patere contendit.* In tabulis acceptorum et expensorum haec summa perscripta erat, quae subductis expensis supererat. Heusing. Fuerunt, qui *parebat* praeferrent. — *quadringenties*] 40,000,000 sestertios = 2,000,000 Thal. conv. = 7,040,000 Franc. Helvet. — *a tuis*] Quae ii, qui beneficium cupiebant, emebant *a tuis*, id est, a Fulvia in primis, tum a ceteris tuis asseclis. Sic recte Faërnus. Cfr. Madvig. Opuscc. p. 206. *aduis* Vatic. *a diversis* Volgo. Ex meis tribus exciderunt omnia post v. *desisti* usque ad C. 38, 97. *Quid ego* cet.

§ 94. *Igitur, a quo*] Vatic. Cfr. Madvig. l. l., qui notat rariore utique us

computarat, pecuniam imperarat, in eius tetrarchia unum
ex Graecis comitibus suis collocarat, Armeniam abstulerat
a senatu datam. Haec vivus eripuit: reddit mortuus. At 95
quibus verbis? modo „aequum sibi videri,“ modo „non ini-
quum.“ Mira verborum complexio! At ille nunquam (sem-
per enim absenti adfui Deiotaro) quicquam sibi, quod nos
pro illo postularemus, aequum dixit videri. Syngrapha HS.
centies per legatos, viros bonos, sed timidos et imperitos,
sine nostra, sine reliquorum hospitum regis sententia facta
in gynaeceo, quo in loco plurimae res venierunt et veneunt.
Qua ex syngrapha quid sis acturus, meditere censeo. Rex
enim ipse sua sponte, nullis commentariis Caesaris, simul
atque audivit eius interitum, suo Marte res suas recuperavit.
Sciebat homo sapiens ius semper hoc fuisse, ut, quae ty- 96
ranni eripuissent, ea tyrannis interfectis ii, quibus erepta
essent, recuperarent. Nemo igitur iure consultus, ne iste
quidem, qui tibi uni est iure consultus, per quem haec agis,
ex ista syngrapha deberi dicit pro iis rebus, quae erant ante
syngrapham recuperatae. Non enim a te emit, sed prius,
quam tu suum sibi venderes, ipse possedit. Ille vir fuit;
nos quidem contemnendi, qui auctorem odimus, acta defen-
dimus.

XXXVIII. Quid ego de commentariis infinitis, quid de 97
innumerabilibus chirographis loquar? quorum etiam instito-
res sunt, qui ea tamquam gladiatorum libellos palam ven-
ditent. Itaque tanti acervi nummorum apud istum constru-
untur, ut iam expendantur, non numerentur pecuniae. At

---

apud Ciceronem initio clausulae v. *igitur* positum esse etiam supra § 41. *Is igitur* Tegerns. — *unum*] Mithridatem Pergamenum, cui partem Gallograeciae concesserat.

§ 95. *centies*] 10,000,000 sestertiorum = 500,000 Thal. conv. = 17,600,000 Franc. Helvet. — *in gynaeceo*] Fulviae.

§ 96. *iureconsultus*] „Fortasse Sex. Clodius scriba, quem ab exilio reduxerat.“ Manutius.

§ 97. *institores*] de Pantagathi coni. Madvig. *imitatores* (falsarii) ceteri Codd. praeter Guelf., in quo *metatores*, quod tamen voc. ne ipsum quidem huic loco aptum est. — *gladiatorum libellos*] indices gladiatorum, qui pugnaturi sint. — *expendantur*] pondere tantum examinentur. Sic Vatic. *appendantur* Ceteri, etiam mei, id quod praetulit Madvig. Verum non loquitur de summis aliis appensis, id est, ex pondere tantum repraesentatis; sed de pecuniis in arcis Antonii deponendis. —

quam caeca avaritia est! Et nuper fixa tabula est, qua civi-
tates locupletissimae Cretensium liberantur statuiturque, ne
post M. Brutum proconsulem sit Creta provincia. Tu men-
tis es compos? tu non constringendus? An Caesaris decreto
Creta post M. Bruti decessum potuit liberari, cum Creta
nihil ad Brutum Caesare vivo pertineret? At huius vendi-
tione decreti (ne nihil actum putetis) provinciam Cretam
perdidistis. Omnino nemo ullius rei fuit emptor, cui defue-
98 rit hic venditor. Et de exulibus legem, quam fixisti, Caesar
tulit. Nullius insector calamitatem: tantum queror, primum
eorum reditus aequatos, quorum causam Caesar dissimilem
iudicarit; deinde nescio cur non reliquis idem tribuas. Neque
enim plus quam tres aut quattuor reliqui sunt. Qui simili
in calamitate sunt, cur tua misericordia simili non fruuntur?
cur eos habes in loco patrui? de quo ferre, cum de reliquis
ferres, noluisti; quem etiam ad censuram petendam impu-
listi eamque petitionem comparasti, quae et risus hominum
99 et querelas moveret. Cur autem ea comitia non habuisti?
an quia tribunus plebi sinistrum fulmen nuntiabat? Cum tua
quid interest, nulla auspicia sunt; cum tuorum, tum fis reli-
giosus. Quid? eundem in septemviratu nonne destituisti?
Intervenit enim, cui metuisti, credo, ne salvo capite negare

Et nuper] Sic Vatic., cui aliquando *et* respondere putabam in seqq. *Et de exulibus* cet. *Nuper* ceteri Libri. Madvig. Fortasse: *ut nuper.* — *Creta nihil*] Quia Caesar M. Bruto Macedoniam destinarat.

§ 98. *Et de* cet.] Cum nunc videam hoc *et* vix respondere posse Vaticani illis *Et nuper*, quid omnino sibi velit, parum perspicio. Sermo est per totam paragraphum de lege ab Antonio in tribunatu lata, unde malim *At*; id est, „At fateor de exulibus legem, quam tu tribunus pl. fixisti, re vera a Caesare latam esse, non ei suppositam, ut fecisti in liberanda Creta aliisque. Sed in illa quoque iniquum te monstrasti et pravi animi hominem.“ — *aequatos*] Hoc v., quod omnino requiritur a seq. ἀντιθέσει, debetur Camerario; receperuntque Ern. et Madvig. Libri *inquinatos*, quod exponunt: „quasi labe aliqua adspersos.“ Vir doctus in marg. Hervag. meae adscripsit: *inique aequatos*, qui tamen verborum lusus hic non videtur quadrare. — *patrui*] C. Antonius ante Caesaris necem ab exilio rediit, cum reditum impetrasset nulla lege, ut videtur, sed decreto Caesaris. Cfr. Garat. Sic fieri potuit, ut M. Antonius aeque maligne eum ad censuram petendam impelleret, destitueret in septemviratu agro Campano et Leontino militibus dividendo. Si post Caesaris demum necem restitutus esset, in exule de censura et septemviratu conferendo nullo modo agi potuisset.

§ 99. *Intervenit* cet.] Sic locum restituit Madvigius Opuscc. acad. p. 171.

non posses. Omnibus eum contumeliis onerasti, quem patris loco, si ulla in te pietas esset, colere debebas. Filiam eius, sororem tuam, eiecisti, alia condicione quaesita et ante prospecta. Non est satis. Probri insimulasti pudicissimam feminam. Quid est, quod addi possit? Contentus eo non fuisti. Frequentissimo senatu Kalendis Ianuariis sedente patruo hanc tibi esse cum Dolabella causam odii dicere ausus es, quod ab eo sorori et uxori tuae stuprum oblatum esse comperisses. Quis interpretari potest, impudentiorne, qui in senatu, an improbior, qui in Dolabellam, an impurior, qui patre audiente, an crudelior, qui in illam miseram tam spurce, tam impie dixeris?

XXXIX. Sed ad chirographa redeamus. Quae tua fuit 100
cognitio? Acta enim Caesaris pacis causa confirmata sunt
a senatu, quae quidem Caesar egisset, non ea, quae Caesarem egisse dixisset Antonius. Unde ista erumpunt? quo auctore proferuntur? si sunt falsa, cur probantur? si vera, cur veneunt? At sic placuerat, ut ex Kalendis Iuniis de Caesaris actis cum consilio cognosceretis. Quod fuit consilium? quem unquam convocasti? quas Kalendas Iunias exspectasti? an eas, ad quas te, peragratis veteranorum coloniis, stipatum armis rettulisti?

O praeclaram illam percursationem tuam mense Aprili
atque Maio, tum, cum etiam Capuam coloniam deducere co-
natus es! Quemadmodum illinc abieris vel potius paene non
abieris, scimus. Cui tu urbi minitaris. Utinam conere, ut 101
aliquando illud *paene* tollatur! At quam nobilis est tua illa peregrinatio! quid prandiorum apparatus, quid furiosam vinolentiam tuam proferam? Tua ista detrimenta sunt; illa nostra. Agrum Campanum, qui cum de vectigalibus exime-

---

pro: *Intervenit enim. Quid* (al. *cum* al. *quem*) *metuisti? Credo, ne* cet. „Intervenisse Cicero dicit aliquem, qui id munus patruo debitum interceperit et M. Antonio extorserit, quod metueret scilicet, ne salvo capite negare ei non posset. Notus erat senatoribus homo contemptissimus, quem M. Antonius patruo detruso ad eum locum evexerat; ne nobis quidem plane ignotus; nam aut Nucula aut Lento fuit. Philipp. 6, 5, 14. 8, 9, 26. 11, 6, 13. 12, 8, 20 et 9, 23." — *sororem*] patruelem, quacum divortium fecit, ut Fulviam in matrimonium duceret. — „*Condicio* dicebatur *matrimonium* a tabulis nuptialibus, in quibus conveniebant de futuro coniugio parentes aut necessarii sponsi sponsaeque." GRAEV.

batur, ut militibus daretur, tamen infligi magnum rei publicae volnus putabamus, hunc tu compransoribus tuis et collusoribus dividebas. Mimos dico et mimas, Patres conscripti, in agro Campano collocatos. Quid iam querar de agro Leontino? Quoniam quidem hae quondam arationes Campana et Leontina in populi Romani patrimonio grandi fenore et fructuosae ferebantur. Medico tria milia iugerum: quid, si te sanasset? rhetori duo: quid, si te disertum facere potuisset? Sed ad iter Italiamque redeamus.

102 XL. Deduxisti coloniam Casilinum, quo Caesar ante deduxerat. Consuluisti me per litteras de Capua tu quidem, sed idem de Casilino respondissem: possesne, ubi colonia esset, eo coloniam novam iure deducere? Negavi in eam coloniam, quae esset auspicato deducta, dum esset incolumis, coloniam novam iure deduci, colonos novos adscribi posse rescripsi. Tu autem insolentia elatus, omni auspiciorum iure turbato, Casilinum coloniam deduxisti, quo erat paucis annis ante deducta, ut vexillum tolleres, ut aratrum circumduceres; cuius quidem vomere portam Capuae paene perstrinxisti, ut florentis coloniae territorium minueretur.
103 Ab hac religionum perturbatione advolas in M. Varronis, sanctissimi atque integerrimi viri, fundum Casinatem. Quo iure? quo ore? Eodem, inquies, quo in heredum L. Rubrii, quo in heredum L. Turselii praedia, quo in reliquas innumerabiles possessiones. Et si ab hasta, valeat hasta, valeant tabulae, modo Caesaris, non tuae, quibus debuisti, non quibus tu te liberavisti. Varronis quidem Casinatem fundum quis venisse dicit? quis hastam istius venditionis vidit? quis vocem praeconis audivit? Misisse te dicis Alexandream, qui emeret a Caesare. Ipsum enim exspectare magnum fuit!
104 Quis vero audivit unquam (nullius autem salus curae pluribus fuit) de fortunis Varronis rem ullam esse detractam? Quid? si etiam scripsit ad te Caesar, ut redderes: quid satis

§ 101. *Quoniam quidem*] Vatic. Bern. Guelf. *quandoquidem* O. — *grandi fenore*] Miram Iuntae lectionem *glandiferae* agnoscit iam Marcianus Capella Rhetor. p. 425. *licet Tullius glandiferas possessiones dicat.*

§ 102. *Casilinum* oppidum Campaniae ad Volturnum situm.

§ 103. *Et si ab hasta*] et, si te dicis iusta auctione eas possessiones emisse cet.

potest dici de tanta impudentia? Remove gladios parumper
illos, quos videmus. Iam intelliges aliam causam esse ha-
tae Caesaris, aliam confidentiae et temeritatis tuae. Non
enim te dominus modo illis sedibus, sed quivis amicus,
vicinus, hospes, procurator arcebit.

XLI. At quam multos dies in ea villa turpissime est
perbacchatus! Ab hora tertia bibebatur, ludebatur, vome-
batur. O tecta ipsa misera, *quam dispari domino!* Quam-
quam quomodo iste dominus? sed tamen quam ab dispari
tenebantur! Studiorum enim suorum M. Varro voluit esse
illud, non libidinum deversorium. Quae in illa villa antea 105
dicebantur! quae cogitabantur! quae litteris mandabantur!
Iura populi Romani, monumenta maiorum, omnis sapientiae
ratio omnisque doctrinae. At vero, te inquilino (non enim
domino), personabant omnia vocibus ebriorum; natabant
pavimenta vino; madebant parietes; ingenui pueri cum me-
ritoriis, scorta inter matresfamilias versabantur. Casino salu-
tatum veniebant, Aquino, Interamna. Admissus est nemo.
Iure id quidem: in homine enim turpissimo obsolefiebant
dignitatis insignia. Cum inde Romam proficiscens ad Aqui- 106
num accederet, obviam ei processit (ut est frequens muni-
cipium) magna sane multitudo. At iste operta lectica latus
per oppidum est ut mortuus. Stulte Aquinates; sed tamen
in via habitabant. Quid, Anagnini? qui, cum essent devii,
descenderunt, ut istum, tamquam si esset, consulem salu-
tarent. Incredibile dictu: † sed tum nimis inter omnes
constabat neminem esse resalutatum: praesertim cum duos
secum Anagninos haberet, Mustelam et Laconem, quorum
alter gladiorum est princeps, alter poculorum. Quid ego 107
illas istius minas contumeliasque commemorem, quibus in-
vectus est in Sidicinos, vexavit Puteolanos, quod C. Cas-
sium et Brutos patronos adoptassent? Magno quidem iudi-

---

§ 104. *quam dispari domino*] Integrum versum veteris poëtae affert de Offic. 1, 39. *O domus antiqua, eheu, quam dispari dominare domino!*

§ 106. *si esset, consulem salutarent*] Vatic. Madvig. praetulit Bern. al. lectionem: *si esset consul, salutarent.* Seqq. *sed tum nimis* corrupta sunt: *sed cum vinus inter* Vatic. *et simul inter omnes* Bern. Guelf. *simul inter omnes* Bamb. — ad Att. 16, 11. *Anagnini sunt Mustela* ταξιάρχης *et Laco, qui plurimum bibit.*

cio, studio, benevolentia, caritate, non ut te, ut Basilum, vi et armis, et alios vestri similes, quos clientes nemo habere velit, non modo illorum cliens esse.

XLII. Interea dum tu abes, qui dies ille collegae tui fuit, cum illud, quod tu venerari solebas, bustum in foro evertit! qua re tibi nuntiata, ut constabat inter eos, qui una fuerunt, concidisti. Quid evenerit postea, nescio. Metum credo valuisse et arma. Collegam quidem de caelo detraxisti effecistique, non tu quidem etiam nunc, ut similis tui, sed certe, ut dissimilis esset sui.

108 Qui vero inde reditus Romam! quae perturbatio totius urbis! Memineramus Cinnam nimis potentem, Sullam postea dominantem; modo regnantem Caesarem videramus. Erant fortasse gladii, sed absconditi, nec ita multi. Ista vero quae et quanta barbaria est! Agmine quadrato cum gladiis sequuntur; scutorum lecticas portari videmus. Atque his quidem iam inveteratis, Patres conscripti, consuetudine obduruimus. Kalendis Iuniis cum in senatum, ut erat constitutum, venire vellemus, metu perterriti repente diffugi-
109mus. At iste, qui senatu non egeret, neque desideravit quemquam et potius discessu nostro laetatus est statimque illa mirabilia facinora effecit. Qui chirographa Caesaris defendisset lucri sui causa, is leges Caesaris, easque praeclaras, ut rem publicam concutere posset, evertit. Numerum annorum provinciis prorogavit; idemque, cum actorum Caesaris defensor esse deberet, et in publicis et in privatis rebus acta Caesaris rescidit. In publicis nihil est lege gravius; in privatis firmissimum est testamentum. Leges alias sine promulgatione sustulit; alias ut tolleret, promulgavit.

---

§ 107. *Basilum*] Gladiator de grege M. Antonii, ut volt Schuetzius in Indice histor., esse nequit, cum gladiatorem nemo unquam patronum cooptasset, sed videtur significari L. Minucius Basilus, qui cum Caesare in Gallia fuit (Bell. Gall. 6, 29.) postea coniurationis in eum socius (ad Fam. 6, 15.) Eo autem tempore, quo haec est habita oratio, fortasse cum Antonio in gratiam redierat. — *dies ille*] Cfr. Philipp. 1, 2, 5. — *de caelo detraxisti*] dehonestasti, fecisti, ut minus iam in caelum extolleretur. — *ut similis*] Vatic. Cfr. Madvig. Opusc. p. 493. *ut sit similis* Codd. mei. O.

§ 108. *sequuntur*] scil. gladiatores potius quam *milites*, quod voc. plerique Codd. (non tamen Vatic. Bern.) addunt.

Testamentum irritum fecit; quod etiam infimis civibus semper obtentum est. Signa, tabulas, quas populo Caesar una cum hortis legavit, eas hic partim in hortos Pompeii deportavit, partim in villam Scipionis.

XLIII. Et tu in Caesaris memoria diligens? tu illum 110
amas mortuum? Quem is honorem maiorem consecutus erat, quam ut haberet pulvinar, simulacrum, fastigium, flaminem? Est ergo flamen, ut Iovi, ut Marti, ut Quirino, sic divo Iulio M. Antonius. Quid igitur cessas? cur non inaugurare? Sume diem: vide, qui te inauguret; collegae sumus; nemo negabit. O detestabilem hominem, sive quod tyranni sacerdos es sive quod mortui! Quaero deinceps, num, hodiernus dies qui sit, ignores? nescis, heri quartum in Circo diem ludorum Romanorum fuisse? te autem ipsum ad populum tulisse, ut quintus praeterea dies Caesari tribueretur? Cur non sumus praetextati? Cur honorem Caesari tua lege datum deseri patimur? an supplicationes addendo diem contaminari passus es; pulvinaria noluisti? Aut undique religionem tolle aut usquequaque conserva. Quaeres, placeatne 111
mihi pulvinar esse, fastigium, flaminem. Mihi vero nihil istorum placet. Sed tu, qui acta Caesaris defendis, quid potes dicere, cur alia defendas, alia non cures? Nisi forte vis fateri, te omnia quaestu tuo, non illius dignitate metiri. Quid ad haec tandem? (Exspecto enim eloquentiam tuam. Disertissimum cognovi avum tuum, at te etiam apertiorem in dicendo; ille nunquam nudus est contionatus; tuum hominis simplicis pectus vidimus). Respondebisne ad haec? aut omnino hiscere audebis? Ecquid reperies ex tam longa oratione mea, cui te respondere posse confidas? Sed praeterita omittamus.

XLIV. Hunc unum diem, unum, inquam, hodiernum 112

§ 110. *fastigium*] „Suet. Caes. 81. Salmas. ad Spartiani Pescenn. 12. Caesaris fastigium docet non de tecto capiendum, sed de ornamento tecti, quale volgo etiam in templis fuerit. Plutarchus *ἀκρωτήριον* vocat.“ Ern. in Clavi. Graecis *κυρίως* est *ἀέτωμα*. — *heri quartum*] XIV. Kal. Octobr. (18. d. Septbr.) Quintus dies postea additus. Cfr. Kalend. Maffeior. Inscriptt. Lat. T. 2. p. 398.

§ 111. *pectus*] Cum Lupercalibus nudus contionatus es.

§ 112. *Hunc unum diem, unum*] Vatic. Madvig. *hunc unum diem, hunc unum* Codd. mei. O.

diem, hoc punctum temporis, quo loquor, defende, si potes.
Cur armatorum corona senatus saeptus est? cur me tui
satellites cum gladiis audiunt? cur valvae Concordiae non
patent? cur homines omnium gentium maxime barbaros,
Ituraeos, cum sagittis deducis in forum? — Praesidii sui
causa se facere dicit. — Nonne igitur milies perire est melius
quam in sua civitate sine armatorum praesidio non posse
vivere? Sed nullum est istuc, mihi crede, praesidium. Cari-
tate et benevolentia civium saeptum oportet esse, non armis.
113 Eripiet et extorquebit tibi ista populus Romanus; utinam
salvis nobis! Sed quoquo modo nobiscum egeris, dum istis
consiliis uteris, non potes, mihi crede, esse diuturnus. Ete-
nim ista tua minime avara coniux, quam ego sine contu-
melia describo, nimium debet diu populo Romano tertiam
pensionem. Habet populus Romanus, ad quos gubernacula
rei publicae deferat: qui ubicunque terrarum sunt, ibi est
omne rei publicae praesidium vel potius ipsa res publica,
quae se adhuc tantummodo ulta est, nondum recuperavit.
Habet quidem certe res publica adolescentes nobilissimos
paratos defensores. Quam volent, illi cedant, otio consu-
lentes: tamen a re publica revocabuntur. Et nomen pacis
dulce est et ipsa res salutaris, sed inter pacem et servitu-
tem plurimum interest. Pax est tranquilla libertas; servi-
tus postremum malorum omnium, non modo bello, sed
114 morte etiam repellendum. Quod si se ipsos illi nostri libe-
ratores e conspectu nostro abstulerunt, at exemplum facti
reliquerunt. Illi, quod nemo fecerat, fecerunt. Tarquinium
Brutus bello est persecutus; qui tum rex fuit, cum esse
Romae regem licebat. Sp. Cassius, Sp. Maelius, M. Man-
lius propter suspicionem regni appetendi sunt necati. Hi
primi cum gladiis non in regnum appetentem, sed in regnan-
tem impetum fecerunt. Quod cum ipsum factum per se

---

§ 113. *eripiet et extorquebit*] Vatic. Bern. Madvig. *eripiet, extorquebit* O. — *tertiam pensionem*] tertii mariti mortem, post priores coniuges P. Clodium et C. Curionem, occisum utrumque ob turbas in re publica excitatas. Figura desumpta est a restitutione dotis, quam mariti, qui cum uxoribus divortium fecerant, tribus pensionibus annuo intervallo solvere debebant.

§ 114. *Sp. Cassius, Sp. Maelius*] Vatic. Bern. Guelf. *Spurii Cassius, Maelius* O.

praeclarum est atque divinum, tum expositum ad imitandum; praesertim cum illi eam gloriam consecuti sint, quae vix caelo capi posse videatur. Etsi enim satis in ipsa conscientia pulcherrimi facti fructus erat, tamen mortali immortalitatem non arbitror esse contemnendam.

XLV. Recordare igitur illum, M. Antoni, diem, quo 115
dictaturam sustulisti; pone ante oculos laetitiam senatus populique Romani; confer cum hac nundinatione tua tuorumque; tum intelliges, quantum inter laudem et lucrum intersit. Sed nimirum, ut quidam morbo aliquo et sensus stupore suavitatem cibi non sentiunt; sic libidinosi, avari, facinorosi verae laudis gustatum non habent. Sed, si te laus allicere ad recte faciendum non potest, ne metus quidem a foedissimis factis potest avocare? Iudicia non metuis. Si propter innocentiam, laudo: sin propter vim, non intelligis, qui isto modo iudicia non timeat, ei quid timendum sit? Quod si non metuis viros fortes egregiosque cives, 116
quod a corpore tuo prohibentur armis, tui te, mihi crede, diutius non ferent. Quae est autem vita dies et noctes timere a suis? Nisi vero aut maioribus habes beneficiis obligatos, quam ille quosdam habuit ex iis, a quibus est interfectus; aut tu es ulla re cum eo comparandus. Fuit in illo ingenium, ratio, memoria, litterae, cura, cogitatio, diligentia; res bello gesserat quamvis rei publicae calamitosas, attamen magnas; multos annos regnare meditatus, magno labore, multis periculis, quod cogitarat, effecerat; muneribus, monumentis, congiariis, epulis, multitudinem imperitam delenierat: suos praemiis, adversarios clementiae specie devinxerat. Quid multa? Attulerat iam liberae civitati partim metu, partim patientia consuetudinem serviendi.

XLVI. Cum illo ego te dominandi cupiditate conferre 117
possum, ceteris vero rebus nullo modo comparandus es. Sed ex plurimis malis, quae ab illo rei publicae sunt inusta, hoc tamen boni est, quod didicit iam populus Romanus, quantum cuique crederet, quibus se committeret, a quibus caveret. Haec non cogitas? nec intelligis, satis esse viris

§ 115. *cum hac nundinatione*] Lamb. in marg. Repetitt. Madvig. *cum hac in manumlatione* Vatic. *cum hac immani nundinatione* A. Augustinus. O.

fortibus didicisse, quam sit re pulchrum, beneficio gratum, fama gloriosum tyrannum occidere? An, cum illum homi-
118 nes non tulerint, te ferent? Certatim posthac, mihi crede, ad hoc opus curretur neque occasionis tarditas exspectabitur.

Respice, quaeso, aliquando rem publicam, M. Antoni; quibus ortus sis, non quibuscum vivas, considera; mecum, ut voles; cum re publica redi in gratiam. Sed de te tu videris: ego de me ipso profitebor. Defendi rem publicam adolescens, non deseram senex; contempsi Catilinae gladios, non pertimescam tuos. Quin etiam corpus libenter obtulerim, si repraesentari morte mea libertas civitatis potest;
119 ut aliquando dolor populi Romani pariat, quod iamdiu parturit! Etenim si abhinc annos prope viginti hoc ipso in templo negavi posse mortem immaturam esse consulari, quanto verius nunc negabo seni! Mihi vero, Patres conscripti, iam etiam optanda mors est perfuncto rebus iis, quas adeptus sum quasque gessi. Duo modo haec opto: unum, ut moriens populum Romanum liberum relinquam; hoc mihi maius ab diis immortalibus dari nihil potest: alterum, ut ita cuique eveniat, ut de re publica quisque mereatur.

§ 118. *de me ipso*] Codd. mei. Madvig. *de me ipse* Vatic. O.

M. TULLII CICERONIS

IN

M. ANTONIUM

ORATIO PHILIPPICA XIV.

MONITUM.

Cum in huius orationis lectione constituenda destituamur) optimo Codice Vaticano, eo studiosius alii sunt et anqui- ndi et consulendi. Tres habui, quorum ope nonnullos ocos emendare potui: Bernensem N. 104. Sec. XIII. simil- mum eius, cuius excerpta dedit Carolus Stephanus (A.); ambergensem membr. Sec. XIII. (B.); Basileensem K. IV. 4. nembr. Sec. XV. Italicum nitidissime scriptum (C.) Horum ntegram lectionem alibi dabo. V. volgatam meam significat.

ARGUMENTUM.

Antonio ad Mutinam victo, M. Cornutus, praetor urbanus, consulum et Caesaris Octaviani litteras in senatu recitat et rogat sententias. In quo P. Servilius Vatia sagis depositis ad togas redeundum et supplicationem consulibus et Caesari adolescenti decernendam censuerat. Tum vero Cicero vestitum mutandum esse negat nisi D. Bruto liberato; Antonium, quique una essent, hostes iudicandos; supplicationem quinquaginta dierum communiter tribus ducibus decernendam; milites eos, qui pro re publica pugnantes interierint, monumento quam amplissimo cohonestandos, promissa iis praemia parentibus eorum, liberis, coniugibus, fratribus persolvenda.

1 I. Si, ut ex litteris, quae recitatae sunt, Patres con-
scripti, sceleratissimorum hostium exercitum caesum fusum-
que cognovi, sic id, quod et omnes maxime optamus et ex
ea victoria, quae parta est, consecutum arbitramur, D. Bru-
tum egressum iam Mutina esse cognossem; propter cuius
periculum ad saga issemus, propter eiusdem salutem rede-
undum ad pristinum vestitum sine ulla dubitatione censerem.
Ante vero, quam sit ea res, quam avidissime civitas exspe-
ctat, allata, laetitia frui satis est maximae praeclarissimae-
que pugnae; reditum ad vestitum confectae victoriae reser-
2 vate. Confectio autem huius belli est D. Bruti salus. Quae
est autem ista sententia, ut in hodiernum diem vestitus
mutetur, deinde cras sagati prodeamus? Nos vero cum
semel ad eum, quem cupimus optamusque, vestitum redie-
rimus, id agamus, ut eum in perpetuum retineamus.
Nam hoc quidem cum turpe est, tum ne diis quidem im-
mortalibus gratum, ab eorum aris, ad quas togati adieri-
3 mus, ad saga sumenda discedere. Atque animadverto, Patres
conscripti, quosdam huic favere sententiae; quorum ea mens
idque consilium est, ut, cum videant gloriosissimum illum
D. Bruto futurum diem, quo die propter eius salutem redie-
rimus, hunc tantum ei fructum eripere cupiant, ne memoriae

§ 1. *caesum fusumque*] primo praelio ad Mutinam (d. 15. April. a. u. c. 711.) Nonius p. 312. Merc. *fusum caesumque*, ut mox § 27. *fudit, occidit.* Contra Livius 21, 52, 10. *ingentem terrorem caedemque ac fugam.* Id. 21, 61, 2. *cum magna caede, maiore fuga.* — *D. Brutum egressum iam Mutina cognossem* (sic scil. A. pro *cognovissem*, BC.)] videlicet D. Brutus demum biduo post alterum proelium ad Mutinam (d. 27. April. a. u. c. 711.) ad persequendum Antonium egredi potuit Mutina, ubi inde a Mense Decembri a. 710. obsessus fuerat ab Antonio. Cfr. ad Famil. 11, 13. ipsius D. Bruti ea de re narrationem. Hinc arguitur is, qui M. Bruto supposuit Ep. 4. Pseudobruti: *D. Bruti eruptio non solum ipsi salutaris fuit, sed etiam maximo ad victoriam adiumento.* — *laetitia frui satis est*] AB. Hoc *LAETITIAFRUISATIS* confusis, ut saepe litteris F et E, addita geminatione dedit *laetitiae risus satis* C. alii; hoc rursus, cum ineptum esse viderent, immutarunt nonnulli, ut volgo editur: *laetitiae usus satis est;* sed Cicero semper *frui*, *perfrui*, nunquam *uti laetitia;* minus etiam *laetitiae usus;* ut taceam de constructione duplicem in modum intricata *usus satis est* et *laetitiae maximae pugnae.* Nostra in lect. *pugnae* dativus est. Quid multa? Antiquissimos secutus sum Codd.

§ 2. *quae est autem*] C. pro *quae autem est* ABV.

§ 3. *redierimus*] Sic AB. ad quod facillime cum ex praecedd., tum ex seqq. *ad togas*, quod verbis deest, cogitatione suppletur. Suppleverunt autem interpolatores, *ad vestitum* alii (V.), alii *ad togam*: quod ipsum νοθείας signum est.

posteritatique prodatur propter unius civis periculum popu-
lum Romanum ad saga isse, propter eiusdem salutem re-
disse ad togas. Tollite hanc: nullam tam pravae sententiae
causam reperietis. Vos vero, Patres conscripti, conservate
auctoritatem vestram, manete in sententia, tenete vestra
memoria, quod saepe ostendistis, huius totius belli in unius
viri fortissimi et maximi vita positum esse discrimen.

II. Ad D. Brutum liberandum legati missi principes 4
civitatis, qui illi hosti ac parricidae denuntiarent, ut a Mu-
tina discederet; eiusdem D. Bruti conservandi gratia consul
sortitu ad bellum profectus A. Hirtius, cuius imbecillitatem
valetudinis animi virtus et spes victoriae confirmavit: Cae-
sar, cum exercitu per se comparato primis pestibus rem
publicam liberasset, ne quid postea sceleris oriretur, pro-
fectus est ad eundem Brutum liberandum vicitque dolorem
aliquem domesticum patriae caritate. Quid C. Pansa egit 5
aliud delectibus habendis, pecunia comparanda, senatus con-
sultis faciendis gravissimis in Antonium, nobis cohortandis,
populo Romano ad causam libertatis vocando, nisi ut D. Bru-
tus liberaretur? A quo populus Romanus frequens ita salu-
tem D. Bruti una voce depoposcit, ut eam non solum com-
modis suis, sed etiam necessitati victus anteferret. Quod
sperare nos quidem debemus, Patres conscripti, aut inibi
esse aut iam esse confectum; sed spei fructum rei convenit

---

§ 4. *legati missi*] Ser. Sulpicius Rufus, qui in ea legatione mortuus est, L. Calpurnius Piso, L. Philippus, Octaviani vitricus, omnes consulares, missi iam pridie Non. Ian. (d. 4. Ian. a. u. c. 711.) — *exercitu per se comparato*] i. e. privatis opibus, quingenis denariis singulis evocatis numeratis, in Campania mense Octobri a. 710. (ad Att. 16, 8.) — *primis pestibus*] Cum sua largitione perfecisset, ne Antonius Caesaris evocatos et legiones omnes sibi conciliaret atque a Brundisio rediens Urbem occuparet. — *profectus est*] post Senatus C. factum IV. Non. Ian. (2. Ian.) 711. Cfr. Marm. Narbon. apud Grut. p. 229. *VII. Idus Ian.* (d. 7. Ian.) *qua die primum imperium orbis terrarum auspicatus est.* — *domesticum dolorem*] propter occisum C. Iulium Caesarem. Cur v. *aliquem* languere visum sit Ernestio, non intelligo. Scite hoc ipso v. significat non adeo magnum fuisse istum dolorem, ut non cedere et debuerit et potuerit patriae caritati.

§ 5. *pecunia comparanda*] A., quo evitatur ingratus sonus tot vv. in *is* desinentium. V. *pecuniis comparandis.* — *necessitati victus*] „Scil. clausis tabernis, indicto tumultu ac sagis sumptis et ab labore abstinendo, quo victus quaereretur.“ Ern. — *inibi esse* dicitur id, quod nondum quidem perfectum, sed ita prope abest a perfectione, ut iam iamque perficiendum sit. Nonius p. 124. Merc. eadem

et eventui reservari, ne aut deorum immortalium beneficium festinatione praeripuisse aut vim fortunae stultitia contempsisse videamur.

6 Sed quoniam significatio vestra satis declarat, quid hac de re sentiatis, ad litteras veniam, quae sunt a consulibus et a propraetore missae, si pauca ante, quae ad ipsas litteras pertineant, dixero.

III. Imbuti gladii, Patres conscripti, legionum exercituumque nostrorum vel madefacti potius duobus duorum consulum, tertio Caesaris proelio. Si hostium fuit ille sanguis, summa militum pietas: nefarium scelus, si civium. Quousque igitur is, qui omnes hostes scelere superavit, nomine hostis carebit? Nisi mucrones etiam nostrorum militum tremere voltis dubitantes, utrum in cive, an in hoste
7 figantur. Supplicationem decernis: hostem non appellas. Gratae vero nostrae diis immortalibus gratulationes erunt, gratae victimae, cum interfecta sit civium multitudo! *De improbis et audacibus:* nam sic eos appellat clarissimus vir; quae sunt urbanarum maledicta litium, non inustae belli internecini notae. Testamenta, credo, subiiciunt aut eiiciunt vicinos aut adolescentulos circumscribunt; his enim vitiis affectos et talibus malos et audaces appellare solet
8 consuetudo. Bellum inexpiabile infert quattuor consulibus unius omnium latronum teterrimus: gerit idem bellum cum

---

prorsus ut hic constructione affert ex Pacuvii Iliona: *Profecto aut inibi est, aut iam potiuntur Frugum* (Phrygum.) Cfr. Ferrarium.

§ 6. *imbuti*] Recte in h. v. Forcellinus: „minus est quam *madefacti*“ *(benetzt -- triefend)*; etsi cum Manutio contrarium tradit in v. *madefactus*. Sed κλῖμαξ a minore ad maius omnino requiritur. Quod volgo post v. *imbuti* legitur *sanguine* deleti auctoritate AB., quod v. cogitatione eliciendum est e v. *proelio*. Sic maiorem etiam vim nanciscitur sequens v. *sanguis*. — *duobus duorum consulum*] AB. pro *duobus consulum*. Ad rem cfr. § 26 seqq.

§ 7. *decernis -- appellas*] Sic A. a pr. m. pro *decernitis -- appellatis* A. a sec. m. BCV. Eleganter ad unum P. Servilium Vatiam, Isaurici filium, qui id decreverat, sese convertit, ita tamen ut eum non appellet. — *eiiciunt vicinos*] Ut homines impotentes tum facere solebant adversus inopes vicinos. Cfr. Horatii Od. 2, 18, 23. *Quid, quod usque proximos Revellis agri terminos et ultra Limites clientium Salis avarus?* cet. — *circumscribunt*] Iuvenalis Sat. 15, 135. *pupillum ad iura vocantem Circumscriptorem.* — *malus*] Cfr. Horatii Sat. 1, 4, 5. *quod malus aut* (al. *ac*) *fur*.

§ 8. *quattuor coss.*] Hirtio, Pansae; D. Bruto, Planco, his quidem designatis.

:natu populoque Romano; omnibus (quamquam ruit ipse
iis cladibus) pestem vastitatem, cruciatum tormenta denun-
at; Dolabellae ferum et immane facinus, quod nulla bar-
aria posset agnoscere, id suo consilio factum esse testatur;
uaeque esset facturus in hac urbe, nisi eum hic ipse Iup-
iter ab hoc templo atque moenibus reppulisset, declaravit
ı Parmensium calamitate, quos, optimos viros honestissi-
ıosque homines, maxime cum auctoritate huius ordinis
opulique Romani dignitate coniunctos crudelissimis exem-
lis interemit propudium illud et portentum, L. Antonius,
nsigne odium omnium hominum vel, si etiam dii oderint,
uos oportet, deorum. Refugit animus, Patres conscripti, 9
aque dicere reformidat, quae L. Antonius in Parmensium
iberis et coniugibus effecerit. Quas enim turpitudines An-
tonii libenter cum dedecore subierunt, easdem per vim lae-
tantur aliis se intulisse. Sed vis calamitosa est, quam illis
intulerunt: libido flagitiosa, qua Antoniorum oblita est vita.

IV. Est igitur quisquam, qui hostes appellare non au-
deat, quorum scelere crudelitatem Karthaginiensium victam

---

a Caesare. — *ruit ipse suis cladibus*] tantum abest, ut cladibus nos afficiat, ut ipse iis, quas nuper perpessus est, corruat. Vis sententiae inest in v. *suis*. Neque enim interpretari possum cum Manutio ac Garatonio; „quamquam, quas nobis denuntiat clades, iis ipse ruit." Quamquam hunc sensum esse significavit etiam librarius Codicis Bas. *cum suis cladibus* exhibens. — *Dolabellae*] qui crudelissime Smyrnae amicitiae simulatione interfecerat C. Trebonium, τυραννοκτόνον, Asiae propraetorem. Philipp. 11, 1. — *agnoscere*] tamquam suum, a se unquam perpetratum. — *hic ipse*] „in cuius templo senatus habebatur." Man. — *atque moenibus*] AB. absolute, *urbis Romae moenibus. atque his moenibus* V. (*his m.* C.) — *Parmensium calamitate*] Ad cladem ante Mutinense proelium Parmensibus illatam refertur Fragm. Ep. D. Bruti ad Fam. 11, 13a. *Parmenses miserrimos.* — *exemplis*] Saepe de facinoribus atrocibus usurpatur. Liv. 21, 58, 14. *adeo omnis libidinis crudelitatisque et inhumanae superbiae editum in miseros est exemplum.* A. Gellius 6, 4. *Regulum Tubero redisse Karthaginem novisque exemplorum modis excruciatum a Poenis dicit.* — *propudium*] Vocabulo Comicis frequentato semel utitur Cicero. Firmatur a Cod. A. alii *praeludium*, *prodigium.* — *deorum*] A. pro *omnium deorum* V. (B. om. *omn. deor.*)

§ 9. *refugit animus — eaque dicere reformidat*] Non erat, cur *atque* proponeret Ern., cum hoc ipsum nervos orationis succideret. — *surrepta*] clanculum ac perfide occupata, non iusta obsidione expugnata. — *Antonius*] Lucii facinus Marco fratri tribuitur, utpote eius iussu commissum, ut patet ex vv. statim seqq., in quibus auctoritate ABC. v. *Antonius* volgo ante v. *putandus* inculcatum sustuli.

esse fateatur? Qua enim in urbe tam immanis Hannibal capta, quam in Parma surrepta Antonius? Nisi forte huius coloniae et ceterarum, in quas eodem est animo, non est
10 hostis putandus. Si vero coloniarum et municipiorum sine ulla dubitatione hostis est, quid tandem huius censetis urbis, quam ille ad explendas egestates latrocinii sui concupivit? quam iam peritus metator et callidus decempeda sua Saxa diviserat? Recordamini, per deos immortales! Patres conscripti, quid hoc biduo timuerimus, a domesticis hostibus rumoribus improbissimis dissipatis. Quis liberos, quis coniugem adspicere poterat sine fletu? quis domum? quis tecta? quis larem familiarem? Aut foedissimam mortem omnes aut miserabilem fugam cogitabant. Haec a quibus timebantur, eos hostes appellare dubitamus? Gravius si quis attulerit nomen, libenter assentiar; hoc volgari contentus vix sum, leviore non utar.

11 Itaque cum supplicationes iustissimas ex iis litteris, quae recitatae sunt, decernere debeamus Serviliusque decreverit, augebo omnino numerum dierum, praesertim cum communiter tribus ducibus sint decernendae. Sed hoc primum faciam, ut imperatores appellem eos, quorum virtute consilio felicitate maximis periculis servitutis atque interitus liberati sumus. Etenim cui viginti his annis supplicatio decreta est, ut non imperator appellaretur aut minimis rebus gestis aut plerumque nullis? Quamobrem aut supplicatio ab eo, qui ante dixit, decernenda non fuit aut usitatus honos pervolgatusque tribuendus iis, quibus etiam novi singularesque debentur.

12 V. An, si quis Hispanorum aut Gallorum aut Thracum mille aut duo milia occidisset, hac consuetudine, quae in-

---

§ 10. *latrocinii*] Ut *servitium* pro *servis*, sic *latrocinium* pro latronum perdita manu. — *Saxa*] Philipp. 11, 5. *Accedit Saxa nescio quis, quem nobis Caesar ex ultima Celtiberia tribunum plebi dedit, castrorum antea metator, nunc, ut sperat, Urbis.* — *hoc biduo*] 20 et 21 die Aprilis, quo domestici hostes, Fulvia Antonii, Q. Fufius Calenus ceterique Antoniani dissiparant rumorem Hirtii et Octaviani exercitum ad Scultennam fl. caesum fusumque esse. Dio Cass. 46, 37. Appian. 3, 65. Cum autem § 15. dicat *triduo vel quatriduo* eam famam manasse, intelligendum est *biduo* demum tumultum istum, de quo h. l. loquitur, in Urbe exortam esse. — *aut foed.*] AB. pro *iam aut* CV., quo rursus enervatur oratio.

§ 12. *hac consuetudine*] A. *cum hac c.*, ut de Mureti sententia dederam in

rebruit, imperatorem appellaret senatus: tot legionibus
aesis, tanta multitudine hostium interfecta — hostium dico?
a, inquam, hostium; quamvis hoc isti hostes domestici
olint: — clarissimis ducibus supplicationum honorem tri-
uemus, imperatorium nomen adimemus? Quanto enim
onore laetitia gratulatione in hoc templum ingredi debent
lli ipsi huius urbis liberatores, cum hesterno die propter
orum res gestas me ovantem et prope triumphantem popu-
us Romanus in Capitolium domo tulerit, domum inde redu-
erit? Is enim demum est, mea quidem sententia, iustus 13
riumphus ac verus, cum bene de re publica meritis testi-
monium a consensu civitatis datur. Nam sive in communi
gaudio populi Romani uni gratulabantur, magnum iudicium;
sive uni gratias agebant, eo maius; sive utrumque, nihil
magnificentius excogitari potest.

Tu igitur ipse de te? dixerit quispiam. Equidem invi-
tus: sed iniuriae dolor facit me praeter consuetudinem glo-
riosum. Nonne satis est ab hominibus virtutis ignaris gra-
tiam bene merentibus non referri? Etiam in eos, qui omnes
suas curas in rei publicae salute defigunt, impetus, crimen
invidiaque quaeretur? Scitis enim per hos dies creberrimum 14
fuisse sermonem me pridie Vinalia, qui dies hodie est, cum
fascibus descensurum. In aliquem credo hoc gladiatorem

Ed. mai., habet B. *At - - non eum hac* C. Ern. Sed haec omnia a glossatt. sunt. — *hostium interfecta — hostium dico? ita, inquam, hostium*] Sic duo Codd. (?) Ursini, eoque ducunt etiam meorum vestigia: pro Garatonii: *hostium interfecta — ita, inquam, h.* et Ern. *multitudine interfecta: hostium dico? ita inquam, h.* — *Hostium, dico?* recte, ut nunc video, pro interrogatione habuit Muretus. Est enim: „*Audeone re vera dicere hostium? ita*“ cet. — Firmat A. *supplicationum* pro al. *supplicationem*, *supplicationis* et *imperatorium* pro *imperatorum*. — *hesterno die*] 21. April.

§ 13. *uni gratul.*] Lectio *mihi grat.*, quam ex Hervagiana primus notaram, in eam traducta est ex Ascens. 1531. — *sive uni gr.*] ABC. pro *sive gr.* V. Consulto repetisse videtur *uni*, quo omnino omnes, etiam consulares excluderentur. — *Equidem* pro volg. *et quidem* correxi ex A. Cfr. Verr. 4, § 83. — *impetus, crimen*] AB (C.) Volgo *impetus* abest, sublatum, ut opinor, ab iis, qui metuerent, ut satis Latine diceretur *impetum quaerere* pro *facere*. Sed h. l. per zeugma hoc ipsum cogitatione eliciendum e v. *quaeretur*.

§ 14. *Vinalia priora sunt IX. Kalendas Maias* (23. April.) *degustandis vinis* (novis) *instituta*. Plin. H. N. 18, 69. De lectione consule Ed. mai. — *cum fasci-*

aut latronem aut Catilinam esse confictum, non in eum, qui, ne quid tale in re publica fieri posset, effecerit. An ego, qui Catilinam haec molientem sustulerim, everterim, afflixerim, ipse exsisterem repente Catilina? Quibus auspiciis istos fasces augur acciperem? quatenus haberem? cui traderem? Quemquamne fuisse tam sceleratum, qui hoc fingeret? tam furiosum, qui crederet? Unde igitur ista suspicio vel potius unde iste sermo?

15 VI. Cum, ut scitis, hoc triduo vel quatriduo tristis a Mutina fama manaret, inflati laetitia atque insolentia impii cives unum se in locum, ad illam curiam † viribus potius suis quam rei publicae infelicem congregabant. Ibi cum consilium inirent de caede nostra partirenturque inter se, qui Capitolium, qui Rostra, qui urbis portas occuparent, ad me concursum futurum civitatis putabant. Quod ut cum invidia mea fieret et cum vitae etiam periculo, famam istam fascium dissipaverunt: fasces ipsi ad me delaturi fuerunt. Quod cum esset quasi mea voluntate factum, tum in me impetus conductorum hominum quasi in tyrannum parabatur; ex quo caedes esset omnium vestrûm consecuta. Quae res patefecit,
16 Patres conscripti; sed suo tempore totius huius sceleris fons aperietur. Itaque P. Appuleius, tribunus plebi, meorum omnium consiliorum periculorumque iam inde a consulatu meo testis conscius adiutor, dolorem ferre non potuit dolo-

---

bus] dictaturam assumpturum atque in forum descensurum. — *confictum*] quae antea credebatur Mureti coniectura, ecce nunc exstat in Cod. B. *consultum* ACV., pro quo aliquando suspicatus eram *coniectum* ex Sestianae c. 40. — *An ego*] cum Faërno pro *an ut ego* Codd., quod hic locum nequaquam habet. Esset enim: „*Ich werde in's Forum hinabziehn, etwa um plötzlich selbst als ein Catilina aufzutreten?*: cum requiratur: „*Ich etwa sollte wie ein Catilina auftreten?*“ — *augur*] Augur cum sim, detestabilius quam quisquam alius, piaculum in me admisissem auspiciis, quibus cum collegio meo praesum, violandis.

§ 15. *viribus*] Nemo adhuc sanavit, nam Waardenburgii *rebus*, ut h. l. hanc quoque suspicionem memorem, nimium quantum languet. Vide, ne fuerit: *viridibus*; quae locupletes habebant prope forum. Iam cum in P. Clodii funere deflagrasset curia Hostilia, fieri potuit, ut flamma depasceret Caleni vel alius, qui a. 711. Antonii partes sequebatur, *viridia* i. e. hortos cum porticibus. — *Quae res patefecit*] ABC. *quae* accus. neutr. plur.; haec consilia adversariorum omnia res ipsa, id quod actum est, manifestavit. V. *patescit* et contra Cic. consuetudinem et prava sententia. — *fons*] Calenus et Fulvia, quae apud eum habitabat

ris mei; contionem habuit maximam populo Romano unum atque idem sentiente. In qua contione cum me pro summa nostra coniunctione et familiaritate liberare suspicione fascium vellet, una voce cuncta contio declaravit nihil esse a me unquam de re publica nisi optime cogitatum. Post hanc habitam contionem duabus tribusve horis optatissimi nuntii et litterae venerunt; ut idem dies non modo me iniquissima invidia liberarit, sed etiam celeberrima populi Romani gratulatione auxerit.

Haec interposui, Patres conscripti, non tam ut pro me 17 dicerem (male enim mecum ageretur, si parum vobis essem sine defensione purgatus), quam ut quosdam nimis ieiuno animo et angusto monerem, id quod semper ipse fecissem, uti excellentium civium virtutem imitatione dignam, non invidia putarent. Magnus est in re publica campus, ut sapienter dicere Crassus solebat; multis apertus cursus ad laudem.

VII. Utinam quidem illi principes viverent, qui me post meum consulatum, cum iis ipse cederem, principem non inviti videbant! hoc vero tempore in tanta inopia constantium et fortium consularium quo me dolore affici creditis, cum alios male sentire, alios nihil omnino curare videam, alios parum constanter in suscepta causa permanere sententiamque suam non semper utilitate rei publicae, sed cum spe, tum timore moderari? Quod si quis de contentione principatus 18 laborat, quae nulla esse debet, stultissime facit, si vitiis cum virtute contendit; ut enim cursu cursus, sic in viris fortibus virtus virtute superatur. Tu, si ego de re publica optime sentiam, ut me vincas, ipse pessime senties? aut, si ad me bonorum concursum fieri videbis, ad te improbos invitabis? Nollem; primum rei publicae causa, deinde etiam dignitatis tuae. Sed, si principatus ageretur, quem nunquam expetivi,

---

§ 17. *dicerem*] quae Naugerii putabatur emendatio, extat in Cod. B. — *dixerim* ACV. — *Crassus*] L. Crassus, summus orator. — *consularium*] ad Fam. 12, 4. *egregios consules habemus, sed turpissimos consulares.*

§ 18. *Nollem*] ABC. pro Ernestii *nolim*, quod h. l. languet neque satis significat, hoc ipsum, quod reprehendit, a nonnullis iam factum esse. Dicimus: *Nollem factum; nolim fieri*, quod ipsum v. inculcavit Cod. Huydec., e quo *nolim* praetulit Ern. — *quid tandem mihi esset optatius*] „quam ut re vera de principatu

quid tandem mihi esset optatius? Ego enim malis sententiis
19 vinci non possum, bonis forsitan possim, et libenter. Haec
populum Romanum videre animadvertere iudicare quidam
moleste ferunt. Poteratne fieri, ut non perinde homines de
quoque, ut quisque mereretur, iudicarent? Ut enim de uni-
verso senatu populus Romanus verissime iudicat nullis rei
publicae temporibus hunc ordinem firmiorem atque fortiorem
fuisse: sic de uno quoque nostrûm, et maxime, qui hoc loco
sententias dicimus, sciscitantur omnes, avent audire, quid
quisque senserit; ita de uno quoque, ut quemque meritum
20 arbitrantur, existimant. Memoria tenent, me ante diem
XIII. Kalendas Ianuarias principem revocandae libertatis fuisse;
me ex Kalendis Ianuariis ad hanc horam invigilasse rei pu-
blicae; meam domum measque aures dies et noctes omnium
praeceptis monitisque patuisse; meis litteris, meis nuntiis,
meis cohortationibus omnes, qui ubique essent, ad patriae
praesidium excitatos; meis sententiis a Kalendis Ianuariis
nunquam legatos ad Antonium; semper illum hostem, sem-
per hoc bellum; ut ego, qui omni tempore verae pacis au-
ctor fuissem, huic essem nomini pestiferae pacis inimicus;
21 idem Ventidium, cum alii praetorem, tribunum Volusienum,
ego semper hostem. Has in sententias meas si consules
discessionem facere voluissent, omnibus istis latronibus aucto-
ritate ipsa senatus iam pridem de manibus arma cecidissent.

---

ageretur." Audacior utique sententia, qua significat se etiam principatui etsi nunquam a se expetito parem fore, ubi res eo deducatur, ut de eo omnino contendendum sit: etenim se malis sententiis vinci non posse, adeoque, si huiusmodi dumtaxat proferantur, sibi quoque summa ope contendendum esse: bonis libenter se cedere; qua praesertim sententia mitigat praefractiorem illam. Aliorum interpretationes minus huic loco aptae videntur v. c. Manutii: „optatius, quam ut me vincas." cet.

§ 20. *a. d. XIII. Kal. Ian.*] 20. Decbr. a. 710. Sic constanter in Epp. ad Fam. 10, 28. 11, 6. 12, 22 et 25. Codd. etiam mei h. l. *XIIII.* Dies est, quo, ut dicit ad Fam. 12, 25, 2., *fundamenta iecit rei publicae* tertiam Philippicam habens. — *ex Kal. Ianuariis*] qua quintam habuit.

§ 21. *idem Ventidium cum alii praetorem, tribunum Volusienum, ego semper hostem*] Sic constitui locum foede corruptum e Codd. AB. Scil. A.: *Idem Ventidium cum alii p. r. t. r. voluse, num ego semper hostem.* B.: *Idem Ventidium cum aliis* (sic) *tribunum plebis Volusienum ego semper hostem.* In Cod. A., ut in aliis persaepe, *P. R.* est praetoris, *T. R.* tribuni nota. *Volusienus* autem iste, qui

VIII. Sed, quod tum non licuit, Patres conscripti, id
hoc tempore non solum licet, verum etiam necesse est, eos,
qui re sunt hostes, verbis notari, sententiis nostris hostes
iudicari. Antea cum hostem aut bellum nominassem, semel 22
et saepius sententiam meam de numero sententiarum sustu-
lerunt; quod in hac causa iam fieri non potest. Ex litteris
enim C. Pansae, A. Hirtii, consulum, C. Caesaris, pro prae-
tore, de honore diis immortalibus habendo sententias dici-
mus. Supplicationem modo qui decrevit, idem imprudens
hostes iudicavit; nunquam enim in civili bello supplicatio
decreta est: decreta dico? ne victoris quidem litteris postu-
lata est. Civile bellum consul Sulla gessit; legionibus in 23
urbem adductis, quos voluit, expulit; quos potuit, occidit;
supplicationis mentio nulla. Grave bellum Octavianum inse-
cutum est; supplicatio Cinnae nulla victoris. Cinnae victo-
riam imperator ultus est Sulla; nulla supplicatio decreta a
senatu. Ad te ipsum, P. Servili, num misit ullas collega

---

hic insperato e librorum tenebris emersit, idem est cum C. Volusieno Quadrato, tribuno militum sub Caesare „*viro et consilii magni et virtutis*;" Caesar B. G. 3, 5. 8, 23. Idem attributus Antonio praefectus equitum ibid. c. 48. B. C. 3, 60. Quidni igitur Antonii assecla, tribunus pl. a. u. c. 711. fuerit, etsi de hoc nulla alia memoria restat? Volgo sic editur: *idem Ventidium cum alii tribunum plebis voluissent, non ego semper hostem?* Ad v. *hostem* et praecedentes eiusdemmodi accusativos supple „censui, nominavi," quod inest in vv. *has in sententias meas.*

§ 22. *dicimus*] nunc cum maxime. Sic egregie B. pro ACV. *diximus.* — *decreta, dico?*] ut recte coniecerat Faërnus, Oxonn. duo, ut supra § 12. *hostium, dico?* Nam in his id agitur dumtaxat, utrum recto vocabulo in praecedd. usus sit orator necne; ideo sine ulla mutatione repetendum est. Nostri cum volgata: *decretam dico.*

§ 23. *bellum Octavianum*] „*Sulla* p r i m u s *urbem Romam armatus ingressus est, Sulpicium interfecit, Marium fugavit; atque ita Coss. ordinatis in futurum annum* (a. u. c. 667.) *Cn. Octavio et L. Cornelio Cinna in Asiam profectus est.*" Eutrop. 5, 4. „Iam cum Cinna faveret novis civibus, (quibus post bellum Sociale civitas ita data erat, ut in octo tribus contribuerentur adversus XXXV. tribus veteres), hos omnibus tribubus immiscere voluit legemque praeterea de exulibus (Mario atque eius amicis) revocandis tulit, quibus cum restitisset Cn. Octavius, qui pro veteribus civibus stabat, Cinna honore privatus urbe profugit exercituque Campano conciliato arcessitoque Mario patriae bellum intulit, adversarios vicit, Octavium compluresque interfecit et ferociter saeviit. Haec copiosius exhibent Appianus B. C. 1, 64 seqq. Plutarchus in Mario 41. Vellei. 2, 20. Orosius 5, 19." Tzschucke. — *collega*] Caesar cos. iterum cum P. Servilio Vatia Isaurico fil. a. u. c. 706. — *incolumis*] AB. *et incolumis* CV.

litteras de illa calamitosissima pugna Pharsalica? num te de supplicatione voluit referre? Profecto noluit. At misit postea de Alexandrea, de Pharnace. Pharsalicae vero pugnae ne triumphum quidem egit. Eos enim cives pugna illa sustulerat, quibus non modo vivis, sed etiam victoribus,
24 incolumis et florens civitas esse posset. Quod idem contigerat superioribus bellis civilibus. Nam mihi consuli supplicatio nullis armis sumptis non ob caedem hostium, sed ob conservationem civium novo et inaudito genere decreta est. Quamobrem aut supplicatio ob rem publicam pulcherrime gestam postulantibus nostris imperatoribus, Patres conscripti, deneganda est, quod praeter Gabinium contigit nemini; aut supplicatione decernenda hostes eos, de quibus decernitis, iudicetis necesse est.

IX. Quod ergo ille re, id ego etiam verbo, cum imperatores eos appello: hoc ipso nomine et eos, qui iam devicti sunt, et eos, qui supersunt, hostes iudico, cum
25 victores appello imperatores. Quo modo enim potius Pansam appellem? Etsi habet honoris nomen amplissimi. Quo Hirtium? Est ille quidem consul: sed alterum nomen beneficii est populi Romani, alterum virtutis atque victoriae. Quid? Caesarem deorum beneficio rei publicae procreatum dubitemne appellare imperatorem? qui primus Antonii immanem et foedam crudelitatem non solum a iugulis nostris, sed etiam a membris et visceribus avertit. Unius autem
26 dici quot et quantae virtutes, dii immortales, fuerunt! Princeps enim omnium Pansa proelii faciendi et cum Antonio confligendi fuit: dignus imperator legione Martia, digna legio

---

§ 24. *nostris*] A. *vestris* BCV. Illud praestare videtur, cum sint *imperatores populi Romani*, ut saepe Cic., potius quam senatus. — *A. Gabinium* ob Syriam a. u. c. 697. male administratam. — *cum - - imperatores*] Ferrario et Ern. haec suspecta. Nec tamen inanis est repetitio, nec iis omissis verba *quo modo enim* cet. satis cohaerent cum antecedentibus. SCHUETZ.

§ 25. *nomen amplissimi*] AC. pro *ampl. nom.* BV. — *Quo Hirtium?* scil. modo. (*Quomodo* de A. Augustini coni. Ern.) — *foedam crudelitatem*] Phil. 13, 8. *Brundisii in sinu non modo avarissimae, sed etiam crudelissimae uxoris delectos Martiae legionis centuriones trucidavit.* cfr. Philipp. 3, 2.

§ 26. De priore proelio Mutinensi commisso XVII. Kal. Mai. (15. April.) a. 711. cfr. Epistolam Ser. Sulpicii Galbae, qui inter coniuratos fuerat, ad Fam.

imperatore. Cuius si acerrimum impetum cohibere Pansa potuisset, uno proelio confecta res esset. Sed cum libertatis avida legio effrenatius in aciem hostium irrupisset ipseque in primis Pansa pugnaret, duobus periculosis volneribus acceptis sublatus e proelio rei publicae vitam reservavit. Ego vero hunc non solum imperatorem, sed etiam clarissimum imperatorem iudico: qui, cum aut morte aut victoria se satis facturum rei publicae spopondisset, alterum fecit, alterius dii immortales omen avertant!

X. Quid dicam de Hirtio? qui re audita e castris duas 27
legiones eduxit incredibili studio atque virtute, quartam illam, quae relicto Antonio se olim cum Martia legione coniunxit, et septimam, quae constituta ex veteranis, docuit hoc proelio militibus iis, qui Caesaris beneficia servassent, senatus populique Romani carum nomen esse. His viginti cohortibus, nullo equitatu, Hirtius ipse aquilam quartae legionis cum inferret, qua nullius pulchriorem speciem imperatoris accepimus, cum tribus Antonii legionibus equitatuque conflixit hostesque nefarios huic Iovis optimi maximi ceterisque deorum immortalium templis, urbis tectis, libertati populi Romani, nostrae vitae sanguinique imminentes prostravit fudit occidit, ut cum admodum paucis nocte tectus, metu perterritus princeps latronum duxque fugerit. O solem ipsum beatissimum, qui, antequam se abderet, stratis cadaveribus parricidarum cum paucis fugientem vidit Antonium!
An vero quisquam dubitabit appellare Caesarem imperatorem? 28
Aetas eius certe ab hac sententia neminem deterrebit, quan-

10, 30. Appian. 3, 66 seqq. — *cohibere Pansa potuisset*] Cum meis Codd. retinui h. l. v. *Pansa*, quod non sine ἐμφάσει repeti videtur. Eiecerunt cum aliis Codd. Ferrar. Ern. *Cum equites Antonii apparuissent, contineri neque legio Martia neque cohortes praetoriae potuerunt, quas sequi coepimus coacti, quoniam retinere eas non poteramus.* Galba l. l. — *omen avertant*] Volneribus confectus mortuus Pansa est Bononiae IV. Kal. Maii (28. April.) postero die post proelium Mutinense alterum, quo cecidit Hirtius, sexto igitur die post hanc orationem habitam.

§ 27. *hoc proelio*] ABC. *illo pr.* V. — *servassent*] Nam, qui ea comederant, rerum novarum studio tenebantur. Philipp. 11, 14 et 13, 2. Man. — Firmat ex parte Cod. A. sic exhibens: *huic Iovi o. m.*, Mureti lectionem a nobis receptam. BC. et volgo: *huic Iovi maximo.*

§ 28. *Aetas*] Operae pretium est cognoscere ipsius Octaviani ea de re vv. in principio monumenti Ancyrani: *Annos undeviginti natus exercitum privato con-*

doquidem virtute superavit aetatem. Ac mihi semper eo maiora beneficia C. Caesaris visa sunt, quo minus erant ab aetate illa postulanda; cui cum imperium dabamus, eodem tempore etiam spem eius nominis deferebamus; quod cum est consecutus, auctoritatem nostri decreti rebus gestis suis comprobavit. Hic ergo adolescens maximi animi, ut verissime scribit Hirtius, castra multarum legionum paucis cohortibus tutatus est, secundumque proelium fecit. Ita trium imperatorum populi Romani virtute consilio felicitate uno die locis pluribus res publica est conservata.

29 XI. Decerno igitur eorum trium nomine quinquaginta dierum supplicationes: causas, ut honorificentissimis verbis consequi potero, complectar ipsa sententia.

Est autem fidei pietatisque nostrae declarare fortissimis militibus, quam memores simus quamque grati. Quamobrem promissa nostra, atque ea, quae legionibus bello confecto tributuros nos spopondimus, hodierno senatus consulto renovanda censeo. Aequum est enim militum, talium

30 praesertim, honorem coniungi. Atque utinam, Patres conscripti, civibus omnibus solvere nobis praemia liceret! quamquam nos ea, quae promisimus, studiose cumulata reddemus. Sed id quidem restat, ut spero, victoribus, quibus senatus fides praestatur; quam quoniam difficillimo rei publicae

---

silio et privata impensa comparavi, per quem rem publicam obstinatione factionis oppressam in libertatem vindicavi; senatus decretis honorificis ornatus in eum ordinem sum adlectus a consulibus, inter consulares ut sententiam dicerem; locumque et imperium mihi dedit res publica uti praetori simul cum consulibus Hirtio et Pansa. Huic autem eodem anno me suffectum consulem cum edidisset et triumvirum rei publicae constituendae, qui parentem coniurati occidissent, in exilium expuli iudiciis legitimis ultus. — *imperium dabamus*] Sic ABC. Codd. Ferrarii aliquot om. v. *dabamus;* sed maiorem habet dignitatem duplex verbum: „cum imperium ei *dabamus* senatus consulto IV. Non. Ian. (2. Ian.) facto, tacite simul spem eius nominis (imperatorii) *deferebamus;* quod nomen cum est consecutus, Imperator a militibus appellatus (priore) proelio Mutinensi, rebus gestis suis demonstravit merito ac iure senatus auctoritate sibi datum esse imperium.“ Nostram autem lectionem firmant Codd. AC. Volgo sic: *quod, cum est secutus auctoritatem nostri decreti, rebus gestis suis comprobavit.* — *locis pluribus*] bis eodem die apud Forum Gallorum, *Castel Franco*, vicum LX. stadia a Mutina distantem, tertio apud Mutinam ipsam.

§ 29. *honorem coniungi*] Cum honore supplicationum, qui ducibus defertur. MANUTIUS.

§ 30. *praestatur*] nunc ipsum. Hoc cum Cod. C. retinui, quia et gravius et

tempore secuti sunt, eos nunquam oportebit consilii sui poenitere. Sed facile est bene agere cum iis, a quibus etiam tacentibus flagitari videbimur: illud admirabilius et maius maximeque proprium senatus sapientis est, grata eorum virtutem memoria prosequi, qui pro patria vitam pro-
fuderunt. Quorum de honore utinam mihi plura in mentem 31
venirent! Duo certe non praeteribo, quae maxime occurrunt; quorum alterum pertinet ad virorum fortissimorum gloriam sempiternam; alterum ad leniendum maerorem et luctum proximorum.

XII. Placet igitur mihi, Patres conscripti, legionis Martiae militibus et eis, qui una pugnantes occiderunt, monumentum fieri quam amplissimum. Magna atque incredibilia sunt in rem publicam huius merita legionis. Haec se prima latrocinio abrupit Antonii; haec tenuit Albam; haec se ad Caesarem contulit; hanc imitata quarta legio parem virtutis gloriam consecuta est. Quarta victrix desiderat neminem; ex Martia nonnulli in ipsa victoria conciderunt. O fortunata mors, quae naturae debita, pro patria est potissimum
reddita! Vos vero patriae natos iudico, quorum etiam no- 32
men a Marte est; ut idem deus urbem hanc gentibus, vos huic urbi genuisse videatur. In fuga foeda mors est; in victoria, gloriosa. Etenim Mars ipse ex acie fortissimum quemque pignerari solet. Illi igitur impii, quos cecidistis, etiam ad inferos poenas parricidii luent; vos vero, qui extremum spiritum in victoria effudistis, piorum estis sedem

---

verius videbatur. *praestabitur* AB. — *quam quoniam difficillimo*] Sic nunc scripsi, cum ABC. corrupte habeant *quamquam id diff.* (*id* nihil aliud quam inversa geminatio litt. seqq. *di.*) Volgo: *quam cum diff.*

§ 31. *Albam*] utique Longam. cfr. Philipp. 4, 2. *Albae constiterunt in urbe opportuna, munita, propinqua* cet. Propinquam autem non poterat dicere Albam Pompeiam, Liguriae oppidum, de quo nonnulli interpretati sunt, ut Fabricius ad Dionem Cass. 45, 13.

§ 32. *pignerari*] pignoris quasi loco e medio tollere atque morte sibi vindicare. (*Τοὺς εὐγενεῖς γὰρ κἀγαθούς, ὦ παῖ, φιλεῖ Ἄρης ἐναίρειν.* Sophocl. Fragm. Gar.) Iuvat etiam memorare gentium septentrionalium deas *Valkyrien.* Apud Romanos autem antiquum videtur fuisse proverbium militare, nisi Tragico alicui sublectum est. Communis enim consetudinis non est, nedum Tullianae. Totum autem locum ex Platonis Menexeno divina arte esse ductum vix est quod admoneamus.

et locum consecuti. Brevis a natura nobis vita data est: at memoria bene redditae vitae sempiterna. Quae si non esset longior quam haec vita, quis esset tam amens, qui maximis laboribus et periculis ad summam laudem gloriamque
33 contenderet? Actum igitur praeclare vobiscum, fortissimi, dum vixistis, nunc vero etiam sanctissimi milites, quod vestra virtus nec oblivione eorum, qui nunc sunt, nec reticentia posterorum insepulta esse poterit, cum vobis immortale monumentum suis paene manibus senatus populusque Romanus exstruxerit. Multi saepe exercitus Punicis Gallicis Italicis bellis clari et magni fuerunt; nec tamen ullis tale genus honoris tributum est. Atque utinam maiora possemus, quandoquidem a vobis maxima accepimus! Vos ab urbe furentem Antonium avertistis; vos redire molientem reppulistis. Erit igitur exstructa moles opere magnifico incisaeque litterae, divinae virtutis testes sempiternae; nunquamque de vobis eorum, qui aut videbunt vestrum monumentum aut audient, gratissimus sermo conticescet. Ita pro mortali condicione vitae immortalitatem estis consecuti.

34 XIII. Sed quoniam, Patres conscripti, gloriae munus optimis et fortissimis civibus monumenti honore persolvitur, consolemur eorum proximos, quibus optima est haec quidem consolatio: parentibus, quod tanta rei publicae praesidia genuerunt; liberis, quod habebunt domestica exempla virtutis; coniugibus, quod iis viris carebunt, quos laudare quam lugere praestabit; fratribus, quod in se ut corporum, sic virtutum similitudinem esse confident. Atque utinam his omnibus abstergere fletum sententiis nostris consultisque possemus vel aliqua talis iis adhiberi publice posset oratio, qua deponerent maerorem atque luctum gauderentque potius, cum multa et varia impenderent hominibus genera mortis, id genus, quod esset pulcherrimum, suis obtigisse eosque nec inhumatos esse nec desertos, quod tamen ipsum pro patria non miserandum putatur: nec dispersis bustis humili sepultura crematos, sed contectos publicis operibus atque muneribus eaque exstructione, quae sit ad memoriam aeterni-

§ 33. *sanctissimi*] quippe qui piorum sedem sitis consecuti.

§ 34. *talis iis adhiberi publice*] Sic AB. pro *talis his publice adhiberi* CV.

atis ara Virtutis! Quamobrem maximum quidem solatium 35
erit propinquorum eodem monumento declarari et virtutem suorum et populi Romani pietatem et senatus fidem et crudelissimi memoriam belli, in quo, nisi tanta militum virtus exstitisset, parricidio M. Antonii nomen populi Romani occidisset. Atque etiam censeo, Patres conscripti, quae praemia militibus promisimus nos re publica recuperata tributuros, ea vivis victoribusque cumulate, cum tempus venerit, persolvenda; qui autem ex iis, quibus illa promissa sunt, pro patria occiderunt, eorum parentibus liberis, coniugibus fratribus eadem tribuenda censeo.

XIV. Sed, ut aliquando sententia complectar, ita censeo: 36
Cum C. Pansa, consul, imperator, initium cum hostibus confligendi fecerit; quo proelio legio Martia admirabili incredibilique virtute libertatem populi Romani defenderit, quod idem legiones tironum fecerint; ipseque C. Pansa, consul, imperator, cum inter media hostium tela versaretur, volnera acceperit; cumque A. Hirtius, consul, imperator, proelio audito, re cognita fortissimo praestantissimoque animo exercitum castris eduxerit impetumque in M. Antonium exercitumque hostium fecerit eiusque copias occidione occiderit, suo exercitu ita incolumi, ut ne unum quidem militem
desiderarit; cumque C. Caesar, pro praetore, imperator, 37
consilio diligentiaque sua castra feliciter defenderit copiasque hostium, quae ad ea castra accesserant, profligarit occiderit: ob eas res senatum existimare et iudicare eorum trium imperatorum virtute imperio, consilio gravitate, constantia, magnitudine animi, felicitate populum Romanum foedissima crudelissimaque servitute liberatum: cumque rem publicam, urbem, templa deorum immortalium, bona fortunasque omnium liberosque conservarint dimicatione et periculo vitae suae, uti ob eas res bene fortiter feliciterque gestas C. Pansa,

---

§ 35. *et populi Ro. pietatem*] Sic A. ut supra § 29. *fidei pietatisque nostrae.* BCV. omittunt vv. *populi Ro.* Pietatem si militibus occisis tribuendam censuisset Cicero, haud dubie addidisset *erga patriam atque parentes* vel simile quid.

§ 36. *occidione*] Firmat formularum vocabulum pro *occisione* Cod. A.

§ 37. *ad ea castra*] Sic C., quod item videtur formularum sermonem referre. ABV. *ad castra.*

A. Hirtius, consules, imperatores, alter ambove aut, si aberunt, M. Cornutus, praetor urbanus, supplicationes per
38 dies quinquaginta ad omnia pulvinaria constituat: cumque virtus legionum digna clarissimis imperatoribus exstiterit, senatum, quae sit antea pollicitus legionibus exercitibusque nostris, ea summo studio re publica recuperata soluturum; cumque legio Martia princeps cum hostibus conflixerit atque ita cum maiore numero hostium contenderit, ut plurimos caederent, caperent nonnullos; cumque sine ulla retractatione pro patria vitam profuderint; cumque simili virtute reliquarum legionum milites pro salute et libertate populi Romani mortem oppetiverint: senatui placere, ut C. Pansa, A. Hirtius, consules, imperatores, alter ambove, si eis videatur, iis, qui sanguinem pro vita libertate fortunis populi Romani, pro urbe, templis deorum immortalium profudissent, monumentum quam amplissimum locandum faciundumque curent; quaestores urb. ad eam rem pecuniam dare attribuere solvere iubeant, ut exstet ad memoriam posteritatis sempiternam, ad scelus crudelissimorum hostium, militumque divinam virtutem; utique, quae praemia senatus militibus ante constituit, ea solvantur eorum, qui hoc bello pro patria occiderunt, parentibus liberis, coniugibus fratribus; iisque tribuantur, quae militibus ipsis tribui oporteret, si illi vixissent, qui morte vicerunt.

---

§ 38. *soluturum*] A. *resoluturum* BCV. repugnat consuetudini nec vero significare potest, „rursus vel postea soluturum." Tertium *re* ortum e prioribus. — *retractatione*] tergiversatione. — *fortunis - - templis*] A. id quod praestat in formularum conceptione. *fortunisque - - templisque* BCV. — *faciundumque curent; quaestores urb. ad eam rem*] Cum mei quoque Codd. hoc loco corrupti sint *(faciundumque urbem ad eam rem)*, rursus secutus sum Garatonium; itaque etiam Ern. nisi quod: *faciendum*. — *utique, quae*] Ut ego proposueram, habet A. pro *uique*. — Ex iis quae Cicero h. l. sententiae loco censuit, vix quidquam propter temporum iniquitatem exsecutus est senatus: nisi quod statim post nuntium de proelio hoc Mutinensi acceptum cusi sunt denarii, quales describit Havercampius in Morellii Thesauro numism. p. 444. *Libertatis.* (Caput deae Libertatis laureatum.) *C. Pansa C. F. C. N.* (Roma habitu militari spoliis insidet, dextra hastam, laeva tenens parazonium (i. e. balteum cum gladio), laevo pede orbem terrarum premens. Advolans Victoria victricem orbis terrarum Urbem coronat).

M. TULLII CICERONIS

PRO

A. LICINIO ARCHIA

POËTA

ORATIO.

MONITUM.

Hanc oratiunculam nunc quidem repetere consilium non fuerat; sed cum amici nonnulli me ad eam in hoc corpus recipiendam impense hortarentur, utpote quam in primis aptam censerent ad adolescentulos bonarum artium ac disciplinarum amore inflammandos, recusare nolui eamque appendicis loco ceteris addidi, etsi de ea mihi valere videtur illud, quod de alia scripsit Cicero ad Attic. 3, 12, 2.: *quia scripta mihi videtur negligentius quam ceterae, puto posse probari non esse meam.* In hac demum uti potui Editionis Klotzianae volumine primo, consulto praeterea Stuerenburgio, qui Curas suas secundas benigne mecum communicavit (St. 2.), et Madvigio. Eam varietatem potissimum notavi, ubi a Klotzio (Kl.) etiamnunc discedendum esse duxi.

ARGUMENTUM.

A. Licinius Archias, natus Antiochiae, mature se studiis poëticis dedidit et magnopere in hoc litterarum genere excelluit. Peragrata Asia cunctaque Graecia, ubi magna cum admiratione omnium ἐπιδείξεις *exhibebat, pervenit in*

Magnam Graeciam, ubi eum et Tarentini et Rhegini et Neapolitani civitate donarunt. Inde Romam sese contulit a. u. c. 652., *ubi principibus viris placuit. Satis longo intervallo cum esset cum L. Lucullo in Siciliam profectus, in reditu cum hoc venit Heracliam; quae cum esset civitas aequissimo iure ac foedere cum Romanis, adscribi se in eam civitatem voluit, idque impetravit. Iam a. u. c.* 665. *lege Plautia Papiria (id est, lata a M. Plautio Silvano et C. Papirio Carbone) data est civitas omnibus iis, qui foederatis civitatibus adscripti essent, iis videlicet condicionibus, quae enumerantur Cap.* 4. § 7. *Quibus quidem condicionibus Archias non prorsus satisfecerat, quippe qui tabulis Heracliensium publicis probare non posset se in eam civitatem adscriptum esse, quia Heracliensium tabularium Italico sive sociali bello incendio absumptum erat; maxime autem quia bona sua in censum non intulerat. A Gratio igitur quodam, homine ceteroquin ignoto, propter meram, ut videtur, invidiam reus factus est lege Papia lata a. u. c.* 689., *cuius haec vis fuit, ut peregrini Urbe pellerentur et socii Latini in suas quisque civitates redigerentur. Necessarii causam per se, ut videtur, admodum difficilem, sed propter accusatoris, quem quadruplatorem fuisse arbitror, sordes facillimam cum suscepisset M. Tullius Cicero, Archiam defendit coram Quinto fratre, praetore urbano a. u. c.* 692. *Utrum absolutus sit Archias necne, parum comperimus; illud tamen probabilius: cum iudices in re levicula Ciceroni consulari vel propterea gratificari debuerint, ne expertes omnis doctrinae atque humanitatis viderentur, ubi facundam litterarum defensionem respuissent, praesertim in reo prope sexagenario.*

Supersunt in Anthologia Palatina XXXIII. Archiae epigrammata, ex quibus aliquod de eius facultate poëtica

iudicium ferri potest. Praestantior omnino fuisse videtur in arte „magnum numerum optimorum versuum dicendi ex tempore“ (8, 18.) *quam in poëmatis elaborandis atque assidue limandis. Specimen tamen hoc esto:*

I.

Τρωάδι Παλλαναῖος ἀνηέρτησεν Ἀθάνᾳ
αὐλὸν ἐριβρεμέταν Μίκκος Ἐνναλίου,
ᾧ ποτε καὶ θυμέλῃσι καὶ ἐν πολέμοισιν ἔμελψεν
πρόσθε, τὸ μὲν στοναχᾶς σῆμα, τὸ δ' εὐνομίας.

II.

Ἀΐδος ὦ νεκυηγέ, κεχαρμένε δάκρυσι πάντων,
ὃς βαθὺ πορθμεύεις τοῦτ' Ἀχέροντος ὕδωρ,
εἰ καί σοι βέβριθεν ὑπ' εἰδώλοισι καμόντων
ὁλκάς, μὴ προλίπῃς Διογένη με κύνα.
ὄλπην καὶ σκίπωνα φέρω καὶ διπλόον εἷμα
καὶ πήρην καὶ σοὶ ναυτιλίης ὀβολόν.
καὶ ζωὸς τάδε μοῦνον, ἃ καὶ νέκυς ὧδε κομίζω,
εἶχον· ὑπ' ἠελίου δ' οὔ τι λέλοιπα φάει.

I. Si quid est in me ingenii, iudices, quod sentio quam 1
sit exiguum, aut si qua exercitatio dicendi, in qua me non infitior mediocriter esse versatum, aut si huiusce rei ratio aliqua ab optimarum artium studiis ac disciplina profecta, a qua ego nullum confiteor aetatis meae tempus abhorruisse: earum rerum omnium vel in primis hic A. Licinius fructum a me repetere prope suo iure debet. Nam quoad longissime potest mens mea respicere spatium praeteriti temporis et pueritiae memoriam recordari ultimam, inde usque repetens hunc video mihi principem et ad suscipiendam et ad ingrediendam rationem horum studiorum exstitisse. Quodsi haec

---

§ 1. Notant interpretes Ciceroni invito hic excidisse hexametrum: *in qua me non infitior mediocriter esse.* — *repetere*] saepe is dicitur, qui petit aliquid tamquam iure sibi debitum. C. 8, 19. *Homerum Salaminii repetunt.* Stuerenb. Minus proprie *petere* Erf. Kl. — *inde usque*] ἐντεῦθεν ἀρξάμενος. Isocr. Panath. p. 258. D

vox huius hortatu praeceptisque conformata nonnullis aliquando saluti fuit; a quo id accepimus, quo ceteris opitulari et alios servare possemus, huic profecto ipsi, quantum est situm in nobis, et opem et salutem ferre debemus.

2 Ac ne quis a nobis hoc ita dici forte miretur, quod alia quaedam in hoc facultas sit ingenii neque haec dicendi ratio aut disciplina, ne nos quidem huic uni studio penitus unquam dediti fuimus. Etenim omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum et quasi cognatione quadam inter se continentur.

3 II. Sed ne cui vestrum mirum esse videatur me in quaestione legitima et in iudicio publico, cum res agatur apud praetorem populi Romani, rectissimum virum, et apud severissimos iudices tanto conventu hominum ac frequentia, hoc uti genere dicendi, quod non modo a consuetudine iudiciorum, verum etiam a forensi sermone abhorreat: quaeso a vobis, ut in hac causa mihi detis hanc veniam, accommodatam huic reo, vobis, quemadmodum spero, non molestam, ut me pro summo poëta atque eruditissimo homine dicentem hoc concursu hominum litteratissimorum, hac vestra humanitate, hoc denique praetore exercente iudicium, patiamini de studiis humanitatis ac litterarum paullo loqui liberius et in eiusmodi persona, quae propter otium ac studium minime in iudiciis periculisque tractata est, uti prope novo

---

Hoc uno loco apud Cic. St. — *possemus*] *possumus* Erf. St. *possemus* scil. aliquando, tunc scil. cum opus foret.

§ 2. *huic uni*] Lamb. *huic cuncti* Libri, quod neque significare potest toti (*totus in illis (nugis)* Hor. Sat. 1, 9, 12. *omnis in hoc sum* Ep. 1, 1, 11.), id quod inest in v. *penitus*, nec referri ad Ciceronem simul et iudices atque auditorum coronam, cum manifesto de se uno loquatur orator.

§ 3. *agatur*] *agitatur* Ambros. Kl. Sed in volgata aptissime significatur causa, cur mirari quis possit cet. Tempus significari nihil attinebat. Praeterea *agitatur* res aliqua v. c. lex, plebiscitum, senatus consultum in turbulentis contionibus, in senatu diversis sententiis concitato, non in quaestione legitima et in iudicio. — *praetorem*] Q. Ciceronem, quem vocat *rectissimum virum* (Ambros.), id est, qui numquam deflectit de ea via, quam mos et leges sequi iubent. Apte huic voc. iunguntur *severissimi iudices*, non item cum volgata *lectissimum virum*, quod v. praeterea nimium est de fratre. — *verum etiam*] Apud unum fere tantum Ciceronem hic *verum* inveniri in formulis *non modo (non solum)* — *verum etiam* notat St. — *tractata*] *iactata*, in quod postea Ilgenius incidit, meo Ed. Manutianae 1554. exemplo adscripsit iam Torrentius. Sed *personam tractare* proprie dicitur histrio de

quodam et inusitato genere dicendi. Quod si mihi a vobis 4
tribui concedique sentiam, perficiam profecto, ut hunc A. Licinium non modo non segregandum, cum sit civis, a numero civium, verum etiam, si non esset, putetis adsciscendum.

III. Nam ut primum ex pueris excessit Archias atque ab iis artibus, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, se ad scribendi studium contulit, primum Antiochiae (nam ibi natus est loco nobili), celebri quondam urbe et copiosa atque eruditissimis hominibus liberalissimisque studiis affluenti, celeriter antecellere omnibus ingenii gloria contigit. Post in ceteris Asiae partibus cunctaque Graecia sic eius adventus celebrabantur, ut famam ingenii expectatio hominis, exspectationem ipsius adventus admiratioque superaret.
Erat Italia tunc plena Graecarum artium ac disciplinarum stu- 5
diaque haec et in Latio vehementius tum colebantur quam nunc iisdem in oppidis, et hic Romae propter tranquillitatem rei publicae non negligebantur. Itaque hunc et Tarentini et Rhegini et Neapolitani civitate ceterisque praemiis donarunt; et omnes, qui aliquid de ingeniis poterant iudicare, cognitione atque hospitio dignum existimarunt. Hac tanta celebritate famae cum esset iam absentibus notus, Romam venit Mario consule et Catulo. Nactus est primum consules eos, quorum alter res ad scribendum maximas, alter cum res gestas, tum etiam studium atque aures adhibere posset.

Off. 3, 29, 106. *cum tractaretur Atreus, personae serviendum fuit.* Est igitur: „eiusmodi homines, qualis est hic poëta, raro in iudiciis comparent, ubi causam dicant.“

§ 4. *asciscendum*] Scil. nunc. Sic Barberin. sec. a pr. m. A sec. *asc. esse. asc. fuisse* Kl. — *celeriter* cet.] Hoc uno loco cum apud Cic. iungatur v. *contingere* cum infinit., varie correxerunt: *celeriter ei, ut antecelleret* Lamb. — *coepit* pro *contingit* St. 1. *celeriter antecellenti o. i. gloria* (nominat.) *contigit.* St. 2. — *cunctaque Graecia*] Barb. prim. St. 2. Madvig. *cunctaeque Graeciae* Eif. Kl., sed dicere non poterat: „in ceteris partibus cunctae Graeciae.“ Mera est accommodatio. — *tranquillitatem*] inter Saturnini seditionem a. 654. et bellum Marsicum, quod exarsit a. 664. — *Itaque hunc*] Merum esse errorem lemmatis Ambros. *itaque unum* (receptum a St. et Kl.) arguit scholion ipsum: *iam pridem hunc Archiam* cet. — *Tarentini* cet.] Utiliter praeparavit ad causam iam pridem hunc Archiam poëticae facultatis gratia celebrem a plurimis Italiae nobilissimis populis in numerum civium cooptatum. Quod nimirum argumento esse debeat etiam Heracliensibus nuper adscriptum, robustiorem iam fama et ingenii dignitate maiorem. Schol. Bob.

§ 5. *Mario* cet.] a. u. c. 652. — *studium*] Supersunt duo Q. Ludatii Catull

Statim Luculli, cum praetextatus etiam tum Archias esset, eum domum suam receperunt. † Sed etiam hoc non solum ingenii ac litterarum, verum etiam naturae atque virtutis, ut domus, quae huius adolescentiae prima patuit, eadem esset familiarissima senectuti.
6 Erat temporibus illis iucundus Metello illi Numidico et eius Pio filio; audiebatur a M. Aemilio; vivebat cum Q. Catulo et patre et filio; a L. Crasso colebatur; Lucullos vero et Drusum et Octavios et Catonem et totam Hortensiorum domum devinctam consuetudine cum teneret, afficiebatur summo honore, quod eum non solum colebant, qui aliquid percipere atque audire studebant, verum etiam, si qui forte simulabant.

IV. Interim satis longo intervallo, cum esset cum L. Lucullo in Siciliam profectus et cum ex ea provincia cum eodem Lucullo decederet, venit Heracliam. Quae cum esset civitas aequissimo iure ac foedere, adscribi se in eam civitatem

---

epigrammata apud Cic. de N. D. 1, 28. et Gellium N. A. 19, 9. Cfr. Cic. Brut. 35, 132. — *praetextatus*] Satis callide, nisi magnopere fallor, *praetextatum* vocat Graeculum, quasi iam tum fuisset civis Romanus, pro *adolescentulo*. Similiter Verr. Accus. 2, 33. 80, *praetextatus Sopatri filius*. — *domum*] Deteriores Codd. *in domum*. Cfr. Verr. Accus. 1, 26, 65. *domum suam recepisse*. St. — *Sed etiam hoc*] Haec manifesto corrupta. *Signum iam hoc* Madvigii susp. *Sed est hoc* Garat. St. 2. — *prima patuit*] Madvig. e lect. Codd. Edd. vett. *prima fuit*. *prima faverit* Weiske. *prima fuerit* Alii Codd. Kl.

§ 6. *Metello*] Madvig. e Codd. *Q. Metello* Kl. Q. Caecilius Metellus cos. a. u. c. 643., de quo consule Salustii Iugurtham. — *Pio*] *pio* Kl. Est tamen cognomen nec vero adiectivum. Neque erat cur nonnulli transponerent *Pio eius filio*. Cfr. Brut. 26, 98. *Ser. Galba, cuius Caio filio*. Cluent. 8, 25. *Aurium et eius C. filium*. Madvig. Opuscc. p. 170. Vell. Pat. 2, 15. *Q. Metellus, Numidici filius* .. *meritum cognomen Pii consecutus erat. Quippe expulsum civitate a L. Saturnino trib. pl., quod solus in leges eius iurare noluerat, pietate sua, auctoritate senatus, consensu populi Romani restituit patrem*. M. Aemilius Scaurus cos. a. 639., princeps senatus; Q. Lutatius Catulus pater cos. a. 652. (— *cum Q. Catulis* St. 2.); L. Licinius Crassus, orator, cos. a. 659. — L. et M. Licinii Luculli fratres, L. cos. a. 680., M. cos. a. 681.; M. Livius Drusus, nobilissimus tribunus pl. a. 663., domi suae occisus; *Octavios*, auctore Schol. Bob. alterum filium Cn. Octavii cos. a. 667. a L. Cornelio Cinna collega occisi, alterum Cn. Octavium cos. a. 678.; M. Cato, tribunus pl., pater M. Catonis Uticensis; L. Hortensius pater et Q. Hortensius orator, cos. a. 685. — *cum teneret*] *continebat* Cod. XIXus Lagomars. impense probante Elvenichio in Museo Rhenano 1, 3. p. 214., Latinitate adversante. De L. Luculli praetura aut itinere Siciliensi nihil constat; quid? si fuit libera legatio negotii privati causa suscepta? Alii volebant *M. Lucullo*, ut St. 2., alii *Ciliciam*.

voluit: idque, cum ipse per se dignus putaretur, tum auctoritate et gratia Luculli ab Heracliensibus impetravit. Data est 7
civitas Silvani lege et Carbonis, SI QVI FOEDERATIS CIVITATIBVS ADSCRIPTI FVISSENT, SI TVM, CVM LEX FEREBATVR, IN ITALIA DOMICILIVM HABVISSENT, ET, SI SEXAGINTA DIEBVS APVD PRAETOREM ESSENT PROFESSI. Cum hic domicilium 8
Romae multos iam annos haberet, professus est apud praetorem, Q. Metellum, familiarissimum suum Si nihil aliud nisi de civitate ac lege dicimus, nihil dico amplius: causa dicta est. Quid enim horum infirmari, Grati, potest? Heracliaene esse tum adscriptum negabis? Adest vir summa auctoritate et religione et fide, L. Lucullus, qui se non opinari, sed scire, non audivisse, sed vidisse, non interfuisse, sed egisse dicit. Adsunt Heracliensess legati, nobilissimi homines: huius iudicii causa cum mandatis et cum publico testimonio venerunt, qui hunc adscriptum Heracliensem dicunt. Hic tu tabulas desideras Heracliensium publicas, quas Italico bello incenso tabulario interisse scimus omnes. Est ridiculum ad ea, quae habemus, nihil dicere, quaerere, quae habere non possumus, et de hominum memoria tacere, litterarum memoriam flagitare; et, cum habeas amplissimi viri religionem, integerrimi municipii ius iurandum fidemque, ea, quae depravari nullo modo possunt, repudiare, tabulas,

---

§ 7. *Data est civitas*] non *ei*, Archiae, sed „sententia generalis est;“ ut recte Elvenich. Data est scil. omnibus iis, qui foederatis cividatibus adscripti fuissent. — *Silvani*] ex necessaria Manutii correctione. Scil. est lex Plautia Papiria, lata a M. Plautio Silvano, C. Papirio Carbone, tribb. pl. a. u. c. 665. Libri *Sillani* (ST.) vel *Silani* (sicque KL.) *Silvanus* autem Plautiorum est cognomen; vide Fastos Cos. ad a. 751.: *Silanus* Iuniorum. — *Heraclia*] urbs Magnae Graeciae in Lucania, Zeuxidis patria. — *Q. Metellum*] Pium, praetorem a. u. c. 665.

§ 8. *de civitate*] Heracliensi ab Archia impetrata. — *ac lege*] Plautia Papiria, cui Archias satisfecit. Vide Excursum. — *L. Lucullus*] Naugerius. Retinuit KL. Libri *M. Lucullus*, quos secutus est ST. Praef. p. XXI. — *tabulas*] Sic etiam Ambros. *tabellas* Erf. ex solito librariorum errore. KL. — *Grati*] Libri meliores, ut Erf., *gratis* facili librariorum errore; deteriores *Gracche*, quod recepit Steinmetzius cum Manutio cogitans de Q. Numerio Graccho trib. pl. a. u. c. 697. Sed cfr. de hoc errore meam adnotationem in Sestianae Ed. min. p. 157. — *Heracliensem dicunt*] Recte hanc lectionem vindicavit Klotzius p. XCI. ita explicans: „*welche behaupten, dass dieser als Heraclienser eingeschrieben sei.*“ *Adscriptus* scil. albo civium Heracliensium; cfr. *adscripticii cives* de N. D. 3, 15, 39.

9 quas idem dicis solere corrumpi, desiderare. An domicilium [Romae] non habuit? qui tot annis ante civitatem datam sedem omnium rerum ac fortunarum suarum Romae collocavit? An non est professus? Immo vero iis tabulis professus, quae solae ex illa professione collegioque praetorum obtinent publicarum tabularum auctoritatem.

V. Nam cum Appii tabulae negligentius asservatae dicerentur, Gabinii, quamdiu incolumis fuit, levitas, post damnationem calamitas, omnem tabularum fidem resignasset, Metellus, homo sanctissimus modestissimusque omnium, tanta diligentia fuit, ut ad L. Lentulum praetorem et ad iudices venerit et unius nominis litura se commotum esse dixerit. His igitur tabulis nullam lituram in nomine A. Licinii videtis.

10 Quae cum ita sint, quid est, quod de eius civitate dubitetis, praesertim cum aliis quoque in civitatibus fuerit adscriptus? Etenim cum mediocribus multis et aut nulla aut humili aliqua arte praeditis gratuito civitatem in Graecia homines impertiebant, Rheginos credo aut Locrenses aut Neapolitanos aut Tarentinos, quod scenicis artificibus largiri solebant, id huic summa ingenii praedito gloria noluisse. Quid? cum ceteri non modo post civitatem datam,

---

§ 9. *An* bis ex Erf. dedi cum St. et Kl. Volgo *At* - - *At*. Memorabilis est etiam Torrentii suspicio: *At domicilium — habuit. Domicilium non habuit is* - -? *Romae* cum Tollio Madvig. [ ]. — *Appii*] Claudii, patris P. Clodii, praetoris a. u. c. 665. cos. a. u. c. 675. — *Gabinii*] P. Gabinii, praetoris a. 665. repetundarum postea damnati. — *resignasset*] Cum saepe tabulae fraudis causa resignarentur atque sic ipsa fides tabularum tolleretur et everteretur, suo iure Cic. per translationem potuit dicere *fidem tabularum resignare*, id est, evertere. St. — *his igitur tabulis*] Ad hanc lectionem rediit St. 2., cum in Ed. praetulisset Erf. vitium *his igitur talibus*.

§ 10. *dubitetis*] Etiam hoc restituit St. 2. *dubitatis* Erf. St. 1. Kl. Cod. Erfurtensis, quamquam ex *ἀρχετύποις* plerumque perbonis tractus, ea tamen aetate (Sec. XIV. exeunte vel ineunte XV.) scriptus est, qua librarii saepissime coniunctivum cum indicativo temere confundebant: nullum enim discrimen agnoscebant inter *quid est, quod dubitetis* et *dubitatis*, inter *cum irrepserint* et *cum irrepserunt* (Erf. St. Kl.) ac similia. — *et aut*] recte restituit St. 2. *aut* Erf. Kl. V. *mediocribus* scil. refertur ad ingenium; hoc membrum ad artem atque disciplinam, unde melius copulâ priori iungitur. — *gratuito*] id est, propter levissimas quasque causas et prope temere. Ex Erf. *vel gratuito gravat* St. fecit: *non gravate*. — *Graecia*] scil. Magna. — *impertiebant*] Erf. *impertiebantur* Ern. Verum nunquam Cic. deponenti usus est. St.

sed etiam post legem Papiam aliquo modo in eorum muni-
cipiorum tabulas irrepserint, hic, qui ne utitur quidem illis,
in quibus est scriptus, quod semper se Heracliensem esse
voluit, reiicietur? Census nostros requiris. Scilicet: est enim 11
obscurum proximis censoribus hunc cum clarissimo impe-
ratore, L. Lucullo, apud exercitum fuisse, superioribus
cum eodem quaestore fuisse in Asia, primis, Iulio et Crasso,
nullam populi partem esse censam. Sed, quoniam census
non ius civitatis confirmat ac tantummodo indicat eum,
qui sit census, ita se iam tum gessisse pro cive: iis tempo-
ribus, quem tu criminaris ne ipsius quidem iudicio in civium
Romanorum iure esse versatum, et testamentum saepe fecit
nostris legibus et adiit hereditates civium Romanorum et in
beneficiis ad aerarium delatus est a L. Lucullo proconsule.

VI. Quaere argumenta, si quae potes. Nunquam enim
hic neque suo neque amicorum iudicio revincetur.

Quaeres a nobis, Grati, cur tantopere hoc homine de- 12
lectemur. Quia suppeditat nobis, ubi et animus ex hoc
forensi strepitu reficiatur et aures convicio defessae con-
quiescant. An tu existimas aut suppetere nobis posse, quod

---

§ 11. *requiris. Scilicet; est*] Sic distinxerunt St. et Kl. pro: *requiris scilicet. Est.* Cfr. ad Q. Fr. 1, 3, 1. *Tibi ego possem irasci? Scilicet; tu enim me afflixisti.* — *proximis censoribus*] Cn. Lentulo Clodiano et L. Gellio a. u. c. 684., quibus lustrum condentibus 950,000 cives censi. — *superioribus*] L. Marcio Philippo et M. Perperna a. 668. — *primis*] (scil. post impetratam ab Archia civitatem et eius professionem): L. Iulio Caesare et P. Licinio Crasso a. 665. Matth. — *ita se*] Cum Lambinus atque ego haesissemus in v. *ita* idque etiam Madvig. [ ], recte retentum est a St. et Kl. Est enim: *in Folge dessen.* — *quem tu - - iudicio in*] e Cld. Lagomars. Madvig. et St. 2. *quae tu - - iudicio in* Kl. *quae tu - - iudicio eum in* Volgo. Stupor librariorum *quem* accommodavit ad voc. proximum *temporibus.* — *eum* omittit etiam Manutius 1554. — *testamentum*] Peregrinus testamenti factionem non habebat. — *proconsule*] Graevii coniectura firmata ex parte ab Erf. *praetore consule.* Volgo *praetore et consule.* — *in beneficiis delatus*] Proconsules et propraetores ex provinciis reversos et rationes referre et tribunos, praefectos aliosque bene meritos ad aerarium deferre certo tempore debuisse docent vv. Cic. ad Fam. 5, 20.: *Quod scribis de beneficiis, scito a me et tribunos militares et praefectos et contubernales dumtaxat meos delatos esse.* — *Certior sum factus triginta diebus deferri necesse esse, quibus rationes rettulissem.* Hanc quidem delationem Gronovius de Sestertiis 3, 17. p. 253. merum honorem et commendationem apud populum Ro. fuisse censet, profuturam illis ad maiora aliquando emolumenta ab re publica consequenda. Steinmetz. Mox supervacaneo acumine Torrentius coniecit: *Quare quaere.*

quotidie dicamus, in tanta varietate rerum, nisi animos nostros doctrina excolamus, aut ferre animos tantam posse contentionem, nisi eos doctrina eadem relaxemus? Ego vero fateor me his studiis esse deditum. Ceteros pudeat, si qui se ita litteris abdiderunt, ut nihil possint ex iis neque ad communem afferre fructum neque in adspectum lucemque proferre. Me autem quid pudeat, qui tot annos ita vivo, iudices, ut a nullius unquam me tempore aut commodo aut otium meum abstraxerit aut voluptas avocarit aut de-
13 nique somnus retardarit? Quare quis tandem me reprehendat aut quis mihi iure succenseat, si, quantum ceteris ad suas res obeundas, quantum ad festos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates et ad ipsam requiem animi et corporis conceditur temporum; quantum alii tribuunt tempestivis conviviis, quantum denique alveolo, quantum pilae, tantum mihi egomet ad haec studia recolenda sumpsero? Atque hoc adeo mihi concedendum est magis, quod ex his studiis haec quoque crescit oratio et facultas; quae, quantacunque est in me, nunquam amicorum periculis defuit. Quae si cui levior videtur, illa quidem certe, quae
14 summa sunt, ex quo fonte hauriam, sentio. Nam nisi multorum praeceptis multisque litteris mihi ab adolescentia suasissem nihil esse in vita magnopere expetendum nisi laudem atque honestatem; in ea autem persequenda omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis atque exsilia parvi esse ducenda, nunquam me pro salute vestra in tot ac tantas dimicationes atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus obiecissem. Sed pleni sunt omnes libri, ple-

§ 13. *alveolo*] Sic nunc editur ex Erf. pro volg. *aleae*, quae quia legibus vetita erat, hic commemorari non poterat. Alveolus autem est tabula lusoria, qua tesseris et calculis ludebant. *Etiam inertissimos homines - - videmus alveolum poscere aut quaerere quempiam ludum* cet. Finn. 5, 20, 56. — *quantacunque est*] Retinui cum Madvig. hanc Cod. aliq. lectionem pro *quantacunque* Erf. St. Kl. orta ex scriptura *quantacunquest*, ut liquet etiam ex var. lect. a Torrentio margini Manut. adscripta: *quantacunque sit*.

§ 14. *exsilia*] id est, omnia genera exsilii. Sic ex Erf. St. Kl. pro volg. *exsilii*. — *in - - impetus obiecissem*] Hac rariore constructione usus est Tullius, propterea quod Latini prorsus abstinuerunt dativo et ablativo pluralis voc. *impetus*. St. — Ad veram lect. *accederet* rediit St. 2., cum prius antetulisset Erf. *accenderet*.

nae sapientium voces, plena exemplorum vetustas; quae iacerent in tenebris omnia, nisi litterarum lumen accederet. Quam multas nobis imagines non solum ad intuendum, verum etiam ad imitandum fortissimorum virorum expressas scriptores et Graeci et Latini reliquerunt? Quas ego mihi semper in administranda re publica proponens animum et mentem meam ipsa cogitatione hominum excellentium conformabam.

VII. Quaeret quispiam: Quid? illi ipsi summi viri, 15
quorum virtutes litteris proditae sunt, istane doctrina, quam
tu effers laudibus, eruditi fuerunt? Difficile est hoc de omni-
bus confirmare: sed tamen est certum, quid respondeam.
Ego multos homines excellenti animo ac virtute fuisse et
sine doctrina naturae ipsius habitu prope divino per se ipsos
et moderatos et graves exstitisse fateor: etiam illud adiungo,
saepius ad laudem atque virtutem naturam sine doctrina
quam sine natura valuisse doctrinam. Atque idem ego hoc
contendo, cum ad naturam eximiam et illustrem accesserit
ratio quaedam conformatioque doctrinae, tum illud nescio
quid praeclarum ac singulare solere exsistere; ex hoc esse 16
hunc numero, quem patres nostri viderunt, divinum hominem, Africanum; ex hoc C. Laelium, L. Furium, moderatissimos homines et continentissimos; ex hoc fortissimum virum et illis temporibus doctissimum, Catonem illum senem,

§ 15. *effers laudibus*] Erf. St. Kl. *laudibus effers* Volgo. Non tacenda est St. 2. suspicio v. *laudibus* delendum esse, cum aliquoties hoc significatu v. *efferre* apud Ciceronem inveniatur nullo addito substantivo v. c. infra § 21. — *certum, quid*] Sic Verr. Accus. 5, 21, 53. *certum est, quid - - debeant.* Ad veram hanc lectionem rediit St. 2. *certum, quod* Erf. Kl.

§ 16. Miro casu interpretes nonnulli voc. *numero* pro verbo habuerunt. — *L. Furium*] L. Furius Philus, cos. a. u. c. 618. Hos tres viros coniungit etiam de Rep. 3, 3.: *Quid P. Scipione, quid C. Laelio, quid L. Philo perfectius cogitari potest? qui, ne quid praetermitterent, quod ad summam laudem clarorum virorum pertineret, ad domesticum maiorumque morem etiam hanc a Socrate adventiciam doctrinam adhibuerunt.* — *animi adversionem*] Alii, ut Steinmetz: *animadversionem.* Qui defendunt, „nove“ dictum opinantur atque explicant vel „studium“ vel *Geistesbeschäftigung, Richtung des Geistes.* Hottingerus et Madvigius recte probarunt Bonamici coni. *animi remissionem.* Est hic locus corruptus ex iis, unde non sine aliqua veri specie calumnias atque reprehensiones hausit cum aliis Schroeterus ille, qui oratiunculam Ciceroni abiudicavit. Huic loco annumerandi sunt etiam hi: § 5. *domus, quae huius adolescentiae prima fuerit.* § 9. *litura in nomen A. Li-*

qui profecto, si nihil ad percipiendam colendamque virtutem litteris adiuvarentur, nunquam se ad earum studium contulissent. Quodsi non hic tantus fructus ostenderetur et si ex his studiis delectatio sola peteretur, tamen, ut opinor, hanc animi † adversionem humanissimam ac liberalissimam iudicaretis. Nam ceterae neque temporum sunt neque aetatum omnium neque locorum; at haec studia adolescentiam acuunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium praebent; delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.

17 Quodsi ipsi haec neque attingere neque sensu nostro gustare possemus, tamen ea mirari deberemus, etiam cum in aliis videremus.

VIII. Quis nostrum tam animo agresti ac duro fuit, ut Roscii morte nuper non commoveretur? qui cum esset senex mortuus, tamen propter excellentem artem ac venustatem videbatur omnino mori non debuisse. Ergo ille corporis motu tantum amorem sibi conciliarat a nobis omnibus: hos animorum incredibiles motus celeritatemque ingeniorum

---

cinii. § 13. illud olim volgatum: *ex his studiis haec quoque censetur oratio.* Hac ipsa § libri: *haec studia adolescentiam agunt*, quod explicant alii *sie beschäftigen*, alii *sie regen auf*, acriter defendente Heindorfio ad Horatii Sat. 2, 2, 13. *Seu te discus agit.* Alii praetulerunt *alunt*, Ascens. 1531., ut Gesnerus in Chrestom. Cic. p. 243. Verum ego cum Madvigio et St. 2. unice amplector Gulielmii coni. *acuunt.* Cfr. de Rep. 1, 18, 30. *Istae quidem artes, si modo aliquid, valent, ut paullum acuant et tamquam irritent ingenia puerorum.* Brut. 33, 126.: *Legendus est hic orator* (C. Gracchus), *si quisquam alius iuventuti. Non enim solum acuere, sed etiam alere ingenium potest.* Adde locis his vitiosis, qui omni Ciceronis consuetudini atque ipsi Latinitati repugnant, illud nunc demum correctum 9, 21. *quare, quorum ingeniis haec feruntur.* 10, 23. *manuum nostrarum tela.*

§ 17. *etiam cum*] Nescio, cur St. 2. delendum censeat v. *etiam.* Hoc ipso enim significat in virorum humanitate et doctrina insignium admiratione facile vinci *etiam* occultam illam invidiam, qua multi feruntur in virtutes alienas. — *tam animo agresti*] Scholiastae, ut erat captus hominis, placuit ordo volgaris *animo tam agresti* (St. Kl.) .Sed a librariis rarior profectus esse nequit. Tu confer Verr. Accus. 5, 48, 127. *Graeciam, Siciliam tam in paucis villis inclusam esse.* et Garaton. ad Caelianae c. 6, p. 400. Neap. — *commoveretur*] Languidius illud *moveretur* Ambros. St. Kl. merae negligentiae deberi videtur. Recte ceterorum Codd. lectionem servavit Madvig. — *hos animorum*] de Ernestii coni. Madv. *nos a.* Libri. Kl.

negligemus? Quoties ego hunc Archiam vidi, iudices, (utar 18
enim vestra benignitate, quoniam me in hoc novo genere
dicendi tam diligenter attenditis), quoties ego hunc vidi,
cum litteram scripsisset nullam, magnum numerum optimorum versuum de iis ipsis rebus, quae tum agerentur, dicere
ex tempore! quoties revocatum eandem rem dicere commutatis verbis atque sententiis! Quae vero accurate cogitateque scripsisset, ea sic vidi probari, ut ad veterum scriptorum laudem pervenirent. Hunc ego non diligam? non admirer? non omni ratione defendendum putem? Atque sic
a summis hominibus eruditissimisque accepimus, ceterarum
rerum studia et doctrina et praeceptis et arte constare, poëtam natura ipsa valere et mentis viribus excitari et quasi
divino quodam spiritu inflari. Quare suo iure noster ille
Ennius sanctos appellat poëtas, quod quasi deorum aliquo
dono atque munere commendati nobis esse videantur. Sit 19
igitur, iudices, sanctum apud vos, humanissimos homines,
hoc poëtae nomen, quod nulla unquam barbaria violavit.
Saxa et solitudines voci respondent; bestiae saepe immanes
cantu flectuntur atque consistunt: nos instituti rebus optimis
non poëtarum voce moveamur? Homerum Colophonii civem
esse dicunt suum, Chii suum vindicant, Salaminii repetunt,
Smyrnaei vero suum esse confirmant; itaque etiam delubrum

§ 18. *eandem rem dicere*] Haec ars, si tamen ars dicenda est, elucet etiam ex Archiae epigrammatis *ἀναθηματικοῖς* Anthol. Palat. 1. p. 189. N. 16. p. 197. N. 39. p. 242. N. 179. 180. 181. p. 261. N. 207., in quibus omnibus terni fratres vel ternae sorores diis donaria offerunt. — *cogitate*] Praeter Ciceronem, qui hoc uno loco hoc adv. usurpavit, nemo unquam scriptor eo videtur usus esse. Apud unum quod sciam, Plautum interdum reperitur, ut communis sermonis magis videatur proprium fuisse quam sublimioris orationis. St. — *esse videantur*] Cod. Erfurtensis illud Cicerone prorsus indignum *esse videntur* (St.) recte repudiavit Kl., ut etiam supra Erf. (St.) *pervenirent*. Omnes enim auditores illico intelligebant sententiam hanc esse: „Archiae carmina accuratius elaborata perveniebant ad laudem carminum a veteribus poëtis compositorum.“

§ 19. *saxa* cet.] saxis circumdatae solitudines etsi sensu carentes respondent voci humanae eius imaginem *(Echo)* reddentes. Cfr. St. — *Colophonii* cet.] Antipater in Anthol. Palat. 2. p. 715. *Οἱ μέν σευ Κολοφῶνα τιθηνήτειραν, Ὅμηρε, Οἱ δὲ καλὰν Σμύρναν, οἱ δ' ἐνέπουσι Χίον, Οἱ δ' Ἴον, οἱ δ' ἐβόασαν εὔκλαρον Σαλαμῖνα, Οἱ δέ νυ τῶν Λαπιθέων ματέρα Θεσσαλίην· Ἄλλοι δ' ἄλλην γαῖαν ἀνίαχον, εἰ δέ με Φοίβου Χρὴ λέξαι πινυτὰς ἀμφαδὰ μαντοσύνας, Πάτρα σοι τελέθει μέγας Οὐρανός, ἐκ δὲ τεκούσης Οὐ θνατᾶς, ματρὸς δ' ἔπλεο Καλλιόπας.* — *delubrum*] Strabo 14. p. 444. *ἔστι δὲ καὶ βιβλιοθήκη καὶ τὸ Ὁμήρειον, στοὰ*

eius in oppido dedicaverunt: permulti alii praeterea pugnant inter se atque contendunt.

IX. Ergo illi alienum, quia poëta fuit, post mortem etiam expetunt: nos hunc vivum, qui et voluntate et legibus noster est, repudiabimus? praesertim cum omne olim studium atque omne ingenium contulerit Archias ad populi Romani gloriam laudemque celebrandam. Nam et Cimbricas res adolescens attigit et ipsi illi C. Mario, qui durior ad
20 haec studia videbatur, iucundus fuit. Neque enim quisquam est tam aversus a Musis, qui non mandari versibus aeternum suorum laborum facile praeconium patiatur. Themistoclem illum, summum Athenis virum, dixisse aiunt, cum ex eo quaereretur, „quod acroama aut cuius vocem libentissime audiret: eius, a quo sua virtus optime praedicaretur.“ Itaque ille Marius item eximie L. Plotium dilexit, cuius ingenio
21 putabat ea, quae gesserat, posse celebrari. Mithridaticum vero bellum magnum atque difficile et in multa varietate terra marique versatum totum ab hoc expressum est: qui libri non modo L. Lucullum, fortissimum et clarissimum virum, verum etiam populi Romani nomen illustrant. Populus enim Romanus aperuit Lucullo imperante Pontum et regiis quondam opibus et ipsa natura regionis vallatum: populi Romani exercitus eodem duce non maxima manu innumerabiles Armeniorum copias fudit: populi Romani laus

---

τετράγωνος ἔχουσα λεὼν Ὁμήρου καὶ ξόανον· ἀντιποιοῦνται γὰρ καὶ οὗτοι διαφερόντως τοῦ ποιητοῦ κ. τ. λ. — *qui et*] Hanc volg. nunc rursus praefert St. 2. Erfurtensis septemque Pariss. transpositioni *et qui* (Kl.) — *repudiabimus*] Cratander, Ascens. 1531. Ern. probb. Elvenich. et Matthiae. Cfr. § 22. *repudiamus* Kl. — *durior*] Marius ipse de se apud Sal. Iug. 85. *Neque Graecas litteras didici. Parum placebat eas discere, quippe quae ad virtutem doctoribus nihil profuissent.*

§ 20. *facile praeconium*] Madvigius praetulit Iuntae: *praeconium facile.* — *item*] *idem* Ambros. St. (non Kl.) — *L. Plotius* Gallus, auctore Eusebio Chronol. Ol. 173, 1. a. u. c. 671. sive, ut Quintilianus 3, 4, 42. ait, extremis L. Crassi oratoris temporibus primus Romae Latinam rhetoricam docuit. Idem igitur et poësi operam dedit.

§ 21. *Lucullo imperante*[Sic pro Font. 3, 6. *M. Fonteio imperante.* ad Att. 6, 1, 2. *illo imperante exhaustam esse provinciam.* St. — *natura regionis*] *naturae regione* Erf. *natura egregie* Bergkius, ut est apud Caes. B. G. 2, 29. *oppidum egregie natura munitum.* Steinmetz apte comparat *ἡ φύσις τῆς ἐκείνου χώρας* Demosth. Philipp. 3. p. 124. — *non maxima manu*] decem milibus gravis armaturae, ut scribit Plutarch. Luc. 27. — *innumerabiles copias*] 200,000 enumerat

est urbem amicissimam Cyzicenorum eiusdem consilio ex omni impetu regio atque totius belli ore ac faucibus ereptam esse atque servatam: nostra semper feretur et praedicabitur L. Lucullo dimicante cum interfectis ducibus depressa hostium classis et incredibilis apud Tenedum pugna illa navalis: nostra sunt tropaea, nostra monumenta, nostri triumphi; quae, quorum ingeniis efferuntur, ab iis populi Romani fama celebratur. Carus fuit Africano superiori noster Ennius; 22
itaque etiam in sepulchro Scipionum putatur is esse constitutus ex marmore. At iis laudibus certe non solum ipse, qui laudatur, sed etiam populi Romani nomen ornatur. In caelum huius proavus Cato tollitur: magnus honos populi Romani rebus adiungitur. Omnes denique illi Maximi, Marcelli, Fulvii non sine communi omnium nostrum laude decorantur.

X. Ergo illum, qui haec fecerat, Rudinum hominem, maiores nostri in civitatem receperunt: nos hunc Heracliensem multis civitatibus expetitum, in hac autem legibus constitutum de nostra civitate eiiciemus?

Plut. l. l. 26. Loquitur de pugna ad Tigranocertam commissa a. u. c. 685. Ibi Tigranes, ut idem narrat C. 27., cum Romanum exercitum ad se venientem videret, *εἰ μὲν ὡς πρεσβευταί*, inquit, *πολλοὶ πάρεισιν, εἰ δὲ ὡς στρατιῶται, ὀλίγοι.* Matth. — *apud Tenedum*] pro Mur. 15, 33. *Quid? illam pugnam navalem ad Tenedum, cum contento cursu, acerrimis ducibus, hostium classis Italiam spe atque animis inflata peteret, mediocri certamine et parva dimicatione commissam arbitraris?* St. cum Ruhdimanno 2. p. 282. sic distinguit: *ad Tenedum, unmittelbar bei T., apud T., in der Nähe von T.* Cfr. ad Or. Manilianae 8, 21. — *quae q. i. efferuntur*] Sic Goerenz. St. Madvig. Kl. ex corruptela librorum: *quae q. i. haec feruntur*, orta ex scriptura antiquiore *ecferuntur*. Volgo: *quare, q. i. haec feruntur.*

§ 22. *Ennius*] Liv. 36, 56. *Romae extra portam Capenam in Scipionum monumento tres statuae sunt; quarum duae P. et L. Scipionum dicuntur esse, tertia poëtae Q. Ennii.* Plin. H. N. 7, 30. *Prior Africanus Q. Ennii statuam sepulchro suo imponi iussit, clarumque illud nomen, immo vero spolium ex tertia orbis parte raptum in cinere supremo cum poëtae titulo legi.* Nihil, quod ad Ennium spectaret, a. 1780. in Scipionum sepulchro repertum est. — *ipse, qui laudatur*] Erf. Codd. Lagomars. St. (qui tamen in Curis sec. volgatam *ipsi, qui laudantur* praefert). Madvig. Kl. Ita hoc membrum refertur ad unum Africanum: in sequentibus alios nominat viros illustres ab Ennio in Annalibus celebratos. — *Maximi - - Fulvii*] Significat Q. Fabium Maximum Oviculam Cunctatorem et M. Fulvium Nobiliorem cos. a. u. c. 565., qui de Aetolis triumphavit. Cfr. § 27. — *Rudinum*] Ennius ipse de se: *Nos sumu' Romani, qui fuvimus ante Rudini.* Rudiae, Calabriae oppi-

23 Nam si quis minorem gloriae fructum putat ex Graecis versibus percipi quam ex Latinis, vehementer errat, propterea, quod Graeca leguntur in omnibus fere gentibus, Latina suis finibus, exiguis sane, continentur. Quare si res eae, quas gessimus, orbis terrae regionibus definiuntur, cupere debemus, quo manuum nostrarum tela pervenerint, eodem gloriam famamque penetrare; quod cum ipsis populis, de quorum rebus scribitur, haec ampla sunt, tum iis certe, qui de vita gloriae causa dimicant, hoc maximum et
24 periculorum incitamentum est et laborum. Quam multos scriptores rerum suarum magnus ille Alexander secum habuisse dicitur! Atque is tamen, cum in Sigeo ad Achillis tumulum adstitisset, *O fortunate*, inquit, *adolescens, qui tuae virtutis Homerum praeconem inveneris!* Et vere: nam, nisi Ilias illa exstitisset, idem tumulus, qui corpus eius contexerat, nomen etiam obruisset. Quid? noster hic Magnus, qui cum virtute fortunam adaequavit, nonne Theophanem Mitylenaeum, scriptorem rerum suarum, in contione militum civitate donavit; et nostri illi fortes viri, sed rustici ac milites, dulcedine quadam gloriae commoti, quasi participes eiusdem laudis, magno illud clamore approbave-
25 runt? Itaque, credo, si civis Romanus Archias legibus non

---

dum. — *de vita*] Delenda haec vv. censet St. 2. Sed non est „pro vita, ut eam sibi conservent dimicantes,“ sed „vitam exponentes:“ ut § 29. — *inveneris*] *inveneras*] Erf. (Kl.) merus est error librarii persaepe modos et tempora confundentis, ut § 1. *possumus* pro *possemus*; § 4. *celebrantur* pro *celebrabantur*; § 10. *dubitatis* pro *dubitetis*; Ibid. *irrepserunt* pro *irrepserint*; § 18. *videntur* pro *viderentur*; § 23. *continet* pro *continentur*; § 24. *videmus* pro *vidimus*; quae *σφάλματα* prope omnia uni alterive recentiorum Edd. sese probarunt. Cfr. Plutarchi Alex. 15. *τὴν Ἀχιλλέως στήλην ἀλειψάμενος λίπα καὶ μετὰ τῶν ἑταίρων συναναδραμὼν γυμνὸς, ὥσπερ ἔθος ἐστὶν, ἐστεφάνωσε μακαρίσας αὐτὸν, ὅτι καὶ ζῶν φίλου πιστοῦ καὶ τελευτήσας μεγάλου κήρυκος ἔτυχεν.*

§ 23. *quo manuum nostrarum tela*] Ex vestigiis Codd. (etiam Erf. et Ascens. 1531.): *quo minus manuum nostrarum tela* ingeniose suspicatur Madvigius: *quo manus nostrae et tela.*

§ 24. *fortunam*] Recte St. 2. reiecit Erf. lect. *fortem*: dici enim non potest de homine „eius fors,“ id est, caecus casus. — *Theophanem*] Strabo L. 13. p. 617. Cas. p. 918. Almel. ὁ *συγγραφεὺς Θεοφάνης· οὗτος δὲ καὶ πολιτικὸς ἀνὴρ ὑπῆρξε καὶ Πομπηΐῳ τῷ Μάγνῳ κατέστη φίλος μάλιστα διὰ τὴν ἀρετὴν αὐτὴν καὶ πάσας συγκατώρθωσεν αὐτῷ τὰς πράξεις — — καὶ ἑαυτὸν πάντων Ἑλλήνων ἐπιφανέστατον ἀνέδειξεν.*

esset, ut ab aliquo imperatore civitate donaretur, perficere
non potuit. Sulla, cum Hispanos donaret et Gallos, credo,
hunc petentem repudiasset; quem nos in contione vidimus,
cum ei libellum malus poëta de populo subiecisset, quod
epigramma in eum fecisset tantummodo alternis versibus
longiusculis, statim ex iis rebus, quas tunc vendebat, iubere
ei praemium tribui, sed ea condicione, ne quid postea
scriberet. Qui sedulitatem mali poëtae duxerit aliquo tamen
praemio dignam, huius ingenium et virtutem in scribendo
et copiam non expetisset? Quid? a Q. Metello Pio, familiaris- 26
simo suo, qui civitate multos donavit, neque per se neque per
Lucullos impetravisset? qui praesertim usque eo de suis rebus
scribi cuperet, ut etiam Cordubae natis poëtis pingue quiddam
sonantibus atque peregrinum tamen aures suas dederet.

XI. Neque enim est hoc dissimulandum, quod obscurari non potest, sed prae nobis ferendum: trahimur omnes studio laudis et optimus quisque maxime gloria ducitur. Ipsi illi philosophi etiam in iis libellis, quos de contemnenda

---

§ 25. *Hispanos*] pro Balbo 22, 50.: *Quid? Massiliensem Aristonem Sulla* (nomne civitate donavit?) *quid? quoniam de Gaditanis agimus, idem heros novem Gaditanos?* (*idem Hannonem Gaditanum?* Garat.) — *poëta de populo*] Lucian. Somn. 9. τῶν ἐκ τοῦ πολλοῦ δήμου εἷς, volgaris, ut Divinat. in Caecil. 16, 40. *de populo subscriptor addatur.* Totum locum partim cum Matthiaeo sic explico: „quem ego ipse in contione vidi, cum ei volgaris aliquis poëta in manus timido porrecta dextra tradidisset libellum, non carmen, sed breve scriptum, quo praemium petebat, propterea quod in eius laudem composuisset epigramma (quod tamen, addit Cicero, quid aliud erat quam, ut solent esse ista Graeculorum poëmatia, numerus tantummodo aliquot distichorum elegiacorum, nulla elegantia, nullo lepore?) *Versus* autem *longiusculos* facete vocat hexametros et pentametros Ennii memor, qui „heroos versus appellarat *longos.*“ de Legg. 2, 27, 68. Kl. sic edidit: *quem in contione vidimus!* (verum hoc significaret: quam insignem eloquentia et gravitate! id quod minime huic loco convenit, ubi potius ridiculum eius ἀπόφθεγμα refertur). *Cum ei - - iussit ei* cet. Hoc quidem cum Ambrosiano, O1x. Ven. utraque. Sed profecto ortum est ab iis, qui cum in Codd. ex more sic interpunctum vidissent, *quem nos in contione vidimus. cum ei* cet. *cum ei* cet., a particula *cum* novam clausulam incipere rati infinit. *iubere* in perfectum *iussit* mutarunt. In curis sec. St. rediit ad lect. *ei praemium*, cum in Ed. exhibuisset *omne* (ex Ambros. enim) *pretium* Ambros. — *sed ea cond.*] Ambros. *sed sub ea cond.* Volgo, id quod adversatur Ciceronis consuetudini, ut egregie demonstravit Stuerenburg. Apud Livium, eodem notante, est *sub condicione* 6, 40. et: *sub condicionibus his* 21, 12. — *huius*] *cuius*, ut sit sententia generalis, Erf. St. Sed manifesto refertur ad unum Archiam. — *Cordubae*] Qui isti Cordubenses poëtae fuerint, nemo adhuc investigare potuit. — *in iis libellis*] Madvig. e vestigg. Codd.

gloria scribunt, nomen suum inscribunt: in eo ipso, in quo praedicationem nobilitatemque despiciunt, praedicari de se
27 ac nominari volunt. Decimus quidem Brutus, summus vir et imperator, Accii, amicissimi sui, carminibus templorum ac monumentorum aditus exornavit suorum. Iam vero ille, qui cum Aëtolis Ennio comite bellavit Fulvius non dubitavit Martis manubias Musis consecrare. Quare, in qua urbe imperatores prope armati poëtarum nomen et Musarum delubra coluerunt, in ea non debent togati iudices a Musarum honore et a poëtarum salute abhorrere.

28 Atque, ut id libentius faciatis, iam me vobis, iudices, indicabo et de meo quodam amore gloriae nimis acri fortasse, verumtamen honesto vobis confitebor. Nam, quas res nos in consulatu nostro vobiscum simul pro salute huius urbis atque imperii et pro vita civium proque universa re publica gessimus, attigit hic versibus atque inchoavit; quibus auditis, quod mihi magna res et iucunda visa est, hunc ad perficiendum adiuvi. Nullam enim virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat praeter hanc laudis et gloriae; qua quidem detracta, iudices, quid est, quod in hoc tam

---

in illis libellis Kl. *illis libellis* Volgo. Cfr. Tuscul. 1, 15, 34. *Quid? nostri philosophi nonne in iis ipsis libris, quos scribunt de contemnenda gloria, sua nomina inscribunt?*

§ 27. D. Iunius Brutus cos. a. u. c. 616. Gallaicus fuit cognomento ob res in Hispania non minus strenue quam feliciter gestas. Eius nomini dicatus poëtae Accii extat liber, cuius plurimos versus, quos Saturnios appellaverunt, vestibulo templi Martis superscripsit Brutus. Schol. Bob. — Duas res videtur confundere Scholiasta: L. Acci fabulam praetextatam (L. Iunium) *Brutum*, eum qui reges expulit (cfr. Cic. de divinat. 1, 22.), in qua utrum significatus sit, veluti vaticinio aliquo, D. Brutus Gallaicus, ignoramus, cum inscriptione ab Accio in D. Bruti gratiam versibus Saturniis compositam vestibuloque templi Martis insculptam.

§ 28. *huius urbis atque imperii*] Ascens. 1581. Volgo, prorsus ut Catil. 1, 13, 33. *huiusce imperii* e Codd. et vestigiis ceterorum (etiam Erf. non habet *urbis*) Madv. St. Kl. — *inchoavit*] non tamen ad terminum perduxit. ad Attic. 1, 16, 15. *Archias nihil de me scripsit ac vereor, ne Lucullis quoniam Graecum poëma condidit, nunc ad Caecilianam fabulam spectet.* (id est, Caecilios Metellos nunc celebrare cogitet). — *adiuvi*] Sic dedi ex coni. mea. *adoravi* Ambros. St. *adornavi* Kl. coni. Sed nunquam h. v. sic utitur Cicero pro: „instruxi, communicatis cum eo commentariis rerum in consulatu meo gestarum." *adhortavi* Codd. aliq. *hortavi* Codd. aliq. Steinmetz. *adhortatus sum* Erf. Madvig. *hortatus fui* Barber. sec. *hortatus sum* Ascens. 1531. Volgo.

exiguo vitae curriculo et tam brevi tantis nos in laboribus
exerceamus? Certe, si nihil animus praesentiret in posterum 29
et si, quibus regionibus vitae spatium circumscriptum est, eisdem omnes cogitationes terminaret suas nec tantis se laboribus frangeret neque tot curis vigiliisque angeretur nec toties de ipsa vita dimicaret. Nunc insidet quaedam in optimo quoque virtus, quae noctes ac dies animum gloriae stimulis concitat atque admonet non cum vitac tempore esse † dimittendam commemorationem nominis nostri, sed cum omni posteritate adaequandam.

XII. An vero tam parvi animi videamur esse omnes, 30
qui in re publica atque in his vitae periculis laboribusque versamur, ut, cum usque ad extremum spatium nullum tranquillum atque otiosum spiritum duxerimus, nobiscum simul moritura omnia arbitremur? An statuas et imagines, non animorum simulacra, sed corporum, studiose multi summi homines reliquerunt, consiliorum relinquere ac virtutum nostrarum effigiem nonne multo malle debemus summis ingeniis expressam et politam? Ego vero omnia, quae gerebam, iam tum in gerendo spargere me ac disseminare arbitrabar in orbis terrae memoriam sempiternam. Haec [vero] sive a meo sensu post mortem afutura est sive, ut sapientissimi homines putaverunt, ad aliquam animi mei partem pertinebit, nunc quidem certe cogitatione quadam speque delector.

---

§ 29. Cfr. similem locum pro C. Rabirio perd. r. 10, 29. — *dimittendam*] E vestigiis Codd. Lambinus: *dimetiendam;* quia sagacissime videbat proprie dicendum fuisse non *cum vitae tempore dimittendam*, verum *cum vitae fine*, vel *cum vita*, (Tusc. 1, 11, 21. *pariter cum vita sensus amittitur*) vel denique *morte*, (ut Tusc. 1, 6. *miserum M. Crassum, qui illas fortunas morte dimiserit.*) *Dimetiri* autem *cum vitae tempore* est: „una cum eo puncto temporis, quo finit vita, quasi haec esset iusta mensura, finire etiam nominis commemorationem.“ Cum autem v. *dimetiri* omnino in rarioribus sit, quid mirum, si nusquam adhuc repertum est *dimetiri*, sed *commetiri* aliquid cum aliqua re. (de Inv. 1, 26, 39. *commetiri cum tempore negotium.*)? Praeterea melius sibi respondent vv. *dimetiendam*) (*adaequandam*, quam in volgata. (*dimetandam* Bergkius.) —

§ 30. *parvi animi*] tam demissi, angusti, contracti; *pravi animi* Erf. St. 1. *parvis animis* St. 2. — *videamur esse omnes qui*] Ad hanc lect. rediit St. 2. pro priore coni. *videamur homines, qui.* (*esse* om. Erf.) — *Haec vero sive*] Cum ab Erf. absit *sive*, et sententia ipsa, maxime post proxime praecedens *ego vero*, respuere videatur v. *vero*, satis probabiliter delevit St. — *ad aliquam animi mei*

31 Quare conservate, iudices, hominem pudore eo, quem amicorum videtis conprobari cum dignitate, tum etiam vetustate, ingenio autem tanto, quantum id convenit existimari, quod summorum hominum ingeniis expetitum esse videatis; causa vero eiusmodi, quae beneficio legis, auctoritate municipii, testimonio Luculli, tabulis Metelli comprobetur. Quae cum ita sint, petimus a vobis, iudices, si qua non modo humana, verum etiam divina in tantis ingeniis commendatio debet esse, ut eum, qui vos, qui vestros imperatores, qui populi Romani res gestas semper ornavit; qui etiam his recentibus nostris vestrisque domesticis periculis aeternum se testimonium laudis daturum esse profitetur; † isque est eo numero, qui semper apud omnes sancti sunt habiti itaque

---

partem] Om. *animi* Cod. (?) Ursini. Madvig., ut Hor. 3, 30, 6. *multaque pars mei Vitabit Libitinam.* Ovid. Am. 1, 15, 42. *Vivam parsque mei multa superstes erit.* Sed recte illud defendit Steinmetzius his locis: Acad. 2, 34. *Tenemusne, quid animus sit? ubi sit? denique sitne, an, ut Dicaearcho visum est, ne sit quidem ullus? si est, trisne partes habeat, ut Platoni placuit, rationis, irae, cupiditatis? an simplex unusque sit?* de Finn. 5, 13, 36.: *Animi autem et eius animi partis, quae princeps est quaeque mens appellatur, plures sunt virtutes.*

§ 31. *cum dignitate*] Erf. St. Kl. Volgo *tum d.* Egregie demonstravit Stuerenburg *tum — tum* apud Latinos significare *bald - - bald*, nunquam vero, *sowohl — als auch*; quo significatu, etiam ex auctoritate optimorum Codd., semper scribendum esse: *cum — tum.* — *vetustate*] Coni. Mureti firmata ab Olx. Significat: vetere consuetudine, quae ipsa signo est, virtutibus suis Archiam dignum se praestitisse Ciceronis praesertim amicitia. *Dignitatem* enim potius ceteris poëtae amicis, viris illustribus tribuit, sibi modestissime *vetustatem*, veterem, ut dixi, notitiam, quo significatu aliquoties utitur. *venustate* Erf. Ceteri libri. Kl. St. 2. Sed de hominibus semper usurpat hoc v. Cicero cum leni εἰρωνείᾳ, veluti Verr. Accus. 5, 54, 142. *homo Venerius et affluens omni lepore ac venustate.* in Pison. 28, 70. *Graecus facilis et valde venustus* cet. Accedit de Offic. 1, 36, 130. *venustatem muliebrem ducere debemus, dignitatem virilem;* adeo ut, si Archiae amicorum *venustatem* h. l. commemorasset orator, vel ipsi Catoni risum concitasset. — *quantum*] *quanto* Erf. plerique Codd. Kl. Mihi videtur mera accommodatio ad v. *tanto*, orta a librariis, non attractio Graecanica: φύσει δὲ τοσαύτῃ ὅσῃ χρὴ νομίζεσθαι. (St. 2. coni.: *quanto partum id*). — *eiusmodi*] *huiusmodi* Erf. Kl. — *ingeniis*] Erf. Matthiae. St. Kl. id est: „Si vobis, iudices, viris tanto ingenio praeditis, Archias non solum ab hominibus, eius amicis, sed etiam a divina sua arte (a facultate poëtica, cuius optimi vos estis existimatores), commendatus debet esse.“ *negotiis* Volgo. — *periculis*] a coniuratione Catilinaria anno praecedente 691. oppressa. — *isque est eo*] Codd., etiam Erf. St. Kl. *estque ex eo* admodum probabiliter Madvig. *quique est eo* Iunta. Volgo. Sed ex innumerabilibus exemplis a Stuerenburgio allatis, rite colligitur Ciceronem aliosque

dicti, sic in vestram accipiatis fidem, ut humanitate vestra levatus potius quam acerbitate violatus esse videatur. Quae 32
de causa pro mea consuetudine breviter simpliciterque dixi, iudices, ea confido probata esse omnibus: quae non fori neque iudiciali consuetudine et de hominis ingenio et communiter de ipsius studio locutus sum, ea, iudices, a vobis spero esse in bonam partem accepta; ab eo, qui iudicium exercet, certe scio.

---

scriptores dixisse *ex eo, hoc, illo numero* frequentissime, *in eo numero* saepe, *de eo numero esse* raro: nunquam autem *eo numero esse.* Nam Philipp. 2, 29, 71. *quo numero fuisti?* requirit responsum: „Nullo," id est, homo nullius pretii, a Caesare despectus, *von keinem Einflusse und Ansehn.*

§ 32. *quae non fori* cet.] *quae a foro aliena iudicialique* Garatonii suspicio e vestigiis Codd. — *communiter*] generatim, *im Allgemeinen;* opponitur *separatim.* Cfr. exempla Tulliana a Stuerenburgio allata. — *certe*] Codd. noti. St. Kl. *certo* Ern. Distinguunt: *certe; ich weiss wirklich: certo: ich weiss gewiss.* De fratre utrumque dici poterat; ex meo quidem sensu, de fratre meo locuturus, *certo* potius scripsissem. Neque id obliviscendum, mediae quam dicunt aetati adverbium *certo* prorsus ignotum fuisse. Cfr. etiam Kritz. ad Sal. Catil. p. 245.

E X C U R S U S

A D

CATILINARIAS.

Saepe dubitatum est, utrum Crassus et Caesar participes fuerint coniurationis Catilinae necne. Loci praecipui ea de re sunt: Sal. Catil. 17. *Fuere item ea tempestate qui crederent M. Licinium Crassum non ignarum eius consili fuisse* cet. Ibid. 48. *Ubi Tarquinius Crassum nominavit, hominem nobilem, maxumis divitiis, summa potentia -- plerique Crasso ex negotiis privatis obnoxii conclamant indicem falsum esse* cet. Ibid. *Ipsum Crassum ego postea praedicantem audivi totam illam contumeliam sibi ab Cicerone impositam.* Ibid. 49. *Q. Catulus et C. Piso neque precibus neque gratia neque pretio Ciceronem impellere potuere, uti per Allobroges aut per alium indicem C. Caesar falso nominaretur.* Dio Cass. 37, 35. *διῆλθε μὲν οὖν λόγος, ὅτι καὶ ὁ Κράσσος ἐν αὐτοῖς εἴη, καὶ τοῦτο καὶ τῶν συλληφθέντων τις ἐμήνυσεν· οὐ μέντοι πολλοὶ ἐπίστευσαν κ. τ. λ.* Plutarch. in Caesare c. 7. *οἱ περὶ Πείσωνα καὶ Κάτλον ᾐτιῶντο Κικέρωνα φεισάμενον Καίσαρος ἐν τοῖς περὶ Κατιλίναν λαβὴν παρασχόντος. -- Λέντλῳ καὶ Κεθήγῳ εἰ μὲν κρύφα παρεῖχέ τι θάρσους καὶ δυνάμεως ὁ Καῖσαρ, ἄδηλός ἐστιν κ. τ. λ.* Idem in Crasso c. 13. *Ἐν δὲ τοῖς περὶ Κατιλίναν πράγμασι μεγάλοις καὶ μικροῦ δεήσασιν ἀνατρέψαι τὴν Ῥώμην ἥψατο μέν τις ὑπόνοια τοῦ Κράσσου καὶ προσῆλθεν ἄνθρωπος ὀνομάζων ἀπὸ τῆς συνωμοσίας, οὐδεὶς δ' ἐπίστευσεν. Ὅμως δὲ ὁ Κικέρων ἔν τινι λόγῳ φανερὸς ἦν Κράσσῳ καὶ Καίσαρι τὴν αἰτίαν προστριβόμενος. Ἀλλ' οὗτος μὲν ὁ λόγος ἐξεδόθη μετὰ τὴν ἀμφοῖν τελευτήν. Ἐν δὲ τῷ Περὶ ὑπατείας ὁ Κικέρων νύκτωρ φησὶ τὸν Κράσσον ἀφικέσθαι πρὸς αὐτὸν ἐπιστολὴν κομίζοντα περὶ τοῦ Κατιλίνα καὶ ζ η τ ο υ μ έ ν η ν, ὡς ἤδη βεβαιοῦντα τὴν συνωμοσίαν.*

(Verba corrupta non emendanda sunt cum Schaefero *περὶ τοῦ Κατιλίνα ζητουμένην* vel *ἐκζητουμένην*, sed *περὶ τοῦ Κατιλίνα αἰτιωμένην*). Iam cum vix credibile sit Ciceronem post Idus Martias a. u. c. 710. orationem editurum fuisse, in qua praeter Caesarem etiam Crassus tamquam coniurationis affinis traduceretur, perquam probabile mihi videtur, eam quoque, quam Plutarchus significat, uti tres Catilinarias, ex numero subditiciarum, haud diu post Ciceronis interitum ab otiosis rhetoribus sub eius nomine editarum fuisse. Etenim bellum erat vel integrae declamatiunculae argumentum vel splendidus pannus alii themati assuendus: „*C. Caesar et M. Crassus Catilinarii clandestini.*"

EXCURSUS

AD

PHILIPP. II. 33, 82.

Huic loco declarando praemittenda sunt verba Messalae apud Gellium N. A. 13, 15. *Minoribus creandis magistratibus tributis comitiis magistratus, sed iustius curiata datur lege; maiores* (tres scil. consules, praetores, censores), *centuriatis comitiis fiunt.* Sed ex aliis quoque testimoniis compertum habemus consules centuriatis, non tributis comitiis creatos esse; neque id quisquam negavit; illud dumtaxat contendunt recentiorum plerique, Tullianis temporibus tribuum ingentem nescio quam vim fuisse etiam in centuriatis comitiis; qua in vi tamen definienda in alia omnia viri docti discedunt. Mihi contra videtur, proximeque ad verum accessisse censeo Bonerum *in Comment. de comitiis Romanorum centuriatis.* Monasterii 1833. 4°. Etenim cum hoc viro docto et cum Hermanno in Ep. ad Steinackerum in eo nunc consentio, ut statuam integram esse lectionem a secunda manu in vexatissimo illo loco Cic. de Rep. 2, 22. ibique describi eam comitiorum centuriatorum formam, quae obtinebat Scipionis temporibus atque iam ante

eum, fortasse post a. 533., quaeque servata est usque ad liberae rei publicae interitum. Sunt autem haec Ciceronis verba: *Quae descriptio* (comitiorum) *si esset ignota vobis, explicaretur a me. Nunc rationem videtis esse talem, ut equitum centuriae cum sex suffragiis et prima classis addita centuria, quae ad summum usum urbis fabris tignariis est data, LXXXVIIII. centurias habeat; quibus ex centum quattuor centuriis (tot enim reliquae sunt) octo solae si accesserunt, confecta est vis populi universa; reliquaque multo maior multitudo sex et nonaginta centuriarum neque excluderetur suffragiis, ne superbum esset; nec valeret nimis, ne esset periculosum.* Apud Ciceronem igitur nulla omnino fit tribuum mentio in comitiis centuriatis. Sed, inquit, apud Livium minimum tria eius rei gravissima extant testimonia: scilicet 24, 7. (a. u. c. 540 Varr.): *Cum sors praerogativae Aniensi iuniorum exisset eaque T. Otacilium, M Aemilium Regillum consules diceret, tum Q. Fabius silentio facto tali oratione est usus*, qua dissuasit, ne T. Otacilius consul crearetur, cuiusque ultima verba haec sunt: *praeco, Aniensem iuniorum in suffragium revoca.* — 26, 22. (a. u. c. 544. Varr.) cum *praerogativa Veturia iuniorum* coss. declarasset T. Manlium Torquatum et T. Otacilium, idque Manlius ipse dissuasisset, Veturia illa iuniorum, consilio inito cum Veturia seniorum, M. Marcellum et M. Valerium coss. dixit et: *auctoritatem praerogativae omnes centuriae secutae sunt.* — 27, 6. (a. u. c. 545). *Galeria iuniorum, quae sorte praerogativa erat, Q. Fulvium et Q. Fabium consules dixerat, eodemque iure vocatae* (centurias intellige ex loco praecedente 26, 22., non tribus) *inclinassent, ni tribuni pl. C. et L. Arennii se interposuissent* cet., qui loci Liviani quomodo cum nostra sententia conciliandi sint, mox demonstrabimus. Restat alius a Huellmanno *Röm. Grundverfassung* p. 299. allatus 5, 18. (a. u. c. 358). *Haud invitis patribus P. Licinium Calvum praerogativa tribunum militum* (consulari potestate) *creant, - - omnesque deinceps ex collegio eiusdem anni refici apparebat; - - qui priusquam renuntiarentur, iure vocatis tribubus permissu interregis P. Licinius Calvus ita verba fecit* cet. Verum recte Niebuhrius Hist.

Rom. Ed. alt. 2. p. 445. locum hunc de comitiis tributis, non centuriatis interpretatus est. Quod vero attinet ad Cic. de lege agr. 2, 2. *me non extrema tribus suffragiorum, sed primi illi vestri concursus, neque singulae voces praeconum, sed una voce universus populus Romanus consulem declaravit:* optime haec explicaverunt iam Lauredanus, id est, Sigonius, Turnebus, Ferratius, quos vide. Alii autem loci, quos pro suis opinionibus afferre solent ii, qui tribubus maximam vim in comitiis centuriatis tribuunt nec tamen aliter rem expediunt, nisi ut adversus omnia antiquorum testimonia modo 70., modo 322., modo 350. centurias fuisse contendant, cum semper fuerint 193. dumtaxat, aut ad comitia tributa pertinent, ut pro Plancio c. 20.; aut ad petitionem consulatus (quae utique tributim, non centuriatim fiebat), non ad comitia referuntur veluti Q. Cic. de Pet. cons. 8. *qui apud tribules suos plurimum gratia possunt, tui studiosos in centuriis habebis.* In iis vero, quae habet Pseudoasconius ad Verr. Act. 1, 9. *praerogativae tribus sunt, quae primae suffragium ferunt ante iure vocatas* cet., Grammaticus tertii vel quarti post Chr. seculi manifesto centurias praerogativas cum tribubus confudit.

Totam autem rem sic describendam esse arbitramur. Tempore nobis ignoto fortasse post a. u. c. 533. (Goettling *Berl. Jahrb.* 1833. p. 711.), ex quo XXXV. manserunt tribus, certe ante a. u. c. 540., ad quem refertur Livii testimonium 24, 7., prorsus mutata est antiqua comitiorum centuriatorum ratio, servatis tamen saltem nomine tenus quinque classibus et numero centuriarum 193., quem constituisse ferebatur Servius Tullius (Cic. de Rep. 2, 22. Dionys. Halic. 4, 17 et 10, 17.). Iam, ut scite demonstravit Boner, prima classis habebat 70. centurias, in singulis tribubus binas, *) unam iuniorum, seniorum alteram, et in his 70. centuriis adiunctis duodecim centuriis equitum, sex suffragiis **) et una centuria fabrum tignariorum, (quam dicis causa, ut sine ullo comitiorum ipsorum detrimento, etiam infimae plebi

*) Liv. 1, 43.

**) Festus: *Sex suffragia appellantur in equitum centuriis, quae sunt adiectae ei numero centuriarum, quas Priscus Tarquinius rex constituit.*

locus aliquis in comitiis centuriatis relictus videretur, cum prima classe consociaverant), summa et, ut ita dicam, nervus comitiorum consistebat: nam ad 89. has centurias si ex secunda classi accedebant 8. solae, confecta erat vis populi universa 97. contra 96. De distributione ceterarum classium certi nihil constat; verum duplex ea de re coniectura proponi potest:

	I.	II.
Prima classis	12. centuriae equitum: 35. centuriae iuniorum: 35. centuriae seniorum: 6. suffragia:	12. centuriae equitum: 35. centuriae iuniorum: 35. centuriae seniorum: 6. suffragia:
		(Dicis causa ex inferiore aliqua classe, tertia vel quarta, addebatur centuria fabrum tignariorum.)
Secunda classis	35. centuriae iuniorum 35. centuriae seniorum (Binae per singulas tribus.)	35. centuriae, nulla distinctione inter iuniores et seniores facta; una scil. centuria in singulis tribubus.
Tertia classis	35. centuriae, nulla distinctione inter iuniores et seniores facta; una scil. centuria in singulis tribubus.	35. centuriae, ut supra.
Quarta classis		35. centuriae, ut supra.
	193. centuriae omnes.	193. centuriae omnes.
	Quartae et quintae classis in nova comitiorum centuriatorum forma nullae erant partes.	Quintae classis nullae erant partes.

Illud praesertim tenendum est, cum post annum 587. nulla iam tributa penderentur aerario a civibus Romanis mutatusque esset etiam veteris militiae mos, nullius fere momenti fuisse descriptionem duarum vel etiam trium ultimarum classium, utpote quae nunquam in suffragia mitterentur ad magistratus tres maiores declarandos. Vim suam qualemcunque exercebant in comitiis tributis, in quibus teste Messala minores magistratus creabantur eoque iure contentae esse debebant.

Maximam difficultatem in tota hac ratione ex eo motum iri praevideo, ut addubitaturus nonnemo sit, an primae classis centuriae binae esse potuerint etiam in quattuor tribubus urbanis. Sed posterioribus temporibus credibile est non solum operarios, artifices, libertinos in iis fuisse, verum etiam homines, qui centum milium aeris censum haberent. Etenim cum circa a. u. c. 577. teste Livio 41, 8. magna multitudo sociûm nominis Latini Romae censi Romam commigrassent civesque Romani facti essent, hi alia quam urbana tribu esse vix poterant. Omnino autem octo centuriae urbanarum tribuum nihil valebant adversus ceterarum primae classis centuriarum numerum.

Mirabiliter autem conspirare utrumque Ciceronis locum de Rep. 2, 22. et Philipp. 2, 33, 82. ex hac comitiorum centuriatorum descriptione elucebit. Ante omnia sorte ducenda erat ex 70. primae classis centuriis centuria praerogativa: (non, ut plerique dicunt, tribus, neque, ut alii volunt, promiscue, cum idem significaret, Latini usurpabant et tribum et centuriam praerogativam). Sortitio ita componebatur, ut in sitellam coniicerentur 70. sortes sic inscriptae *Aemilia iuniorum*, *Aemilia seniorum* (scil. primae classis) ac similiter usque ad septuagesimam ultimae tribus. Certus enim erat tribuum ordo. Itaque sorte ducebatur semel centuria praerogativa, neutiquam, ut multi contendunt, primum tribus praerogativa, tum altera sortitione ex tribu rursus centuria. Ita igitur, ut dixi, explicandae *Aniensis*, *Veturia*, *Galeria iuniorum* in tribus illis Livii locis. Suffragiis praerogativae diribitis praeco renuntiat, quis eius suffragia tulerit. Tum prima classis vocatur intra ovile: ita composita, ut est apud Cic. de Rep. l. l., deducta scil. praerogativa, remanent 69. centuriae, adduntur 12. centuriae equitum, qui primi suffragia tulisse videntur, et, quae ad speciem adiungitur, una fabrum tignariorum: ita ut omnes sint 82. centuriae. Diribitis suffragiis rursus renuntiatur, qui consul dictus sit. Ut ex Philipp. l. l. constat, deinde (ita ut assolet), dicis potius causa, quam quod prorsus necesse esset, intro vocantur sex suffragia: (*sex* apud Ciceronem brevitatis causa omissum est, item tertium et quartum v. *renuntiatur*). Haec autem sex suffragia, ut colligitur ex

loco, quem tractamus, medium quendam locum obtinebant inter primam ac secundam classem, ita ut separatim certe intra ovile vocarentur. Sic is, qui consul dicebatur, habebat 89. suffragia (1. praerogativae, 82. centuriarum primae classis, 6. suffragia). Deerant tamen octo ad conficiendam vim populi universam, hoc est, centurias 97. adversus 96. Igitur intro vocatur secunda classis: suffragiis latis et diribitis renuntiatur consul, nec ultra necesse erat reliquas classes vocare. Dirimuntur igitur a consule, qui eis praefuerat, comitia centuriata consularia, praetoria, censoria.

In v. *deinde ita, ut assolet, suffragia* interpretandis secutus sum Niebuhrium. Nam ut reliqui exponunt ex lect. volgata et Codd. meorum verba obscuriora *), „suffragia dividuntur, feruntur, diribentur," non solum prorsus otiosa sunt vv. *ut assolet*, (quoniam in hoc ipso, ut ferrentur diriberenturque suffragia, tota tributorum quoque comitiorum vis vertebatur), sed etiam necessario contra Codd. omnes delendum est alterum *renuntiatur* post v. *vocatur*. Praeterea in nostra interpretatione facile intelligitur rectius esse Vaticani *deinde ita, ut assolet*, utpote quo melius quam simplici *deinde* significetur receptum quidem illum et legitimum morem fuisse vocandi post primam classem *sex suffragia*, sed per se temporibus certe illis prope supervacaneum. Expositiones longe diversas reperies apud Interpretes in Ed. Wernsdorf., Hermannum in Epistola ad Steinackerum p. 15., Reisigium Diar. crit. Ien. 1824 Suppl. 38 — 41., Goettlingium *Hermes* 1826, Vol. 26. p. 116., et *Berl. Jahrbücher* 1833. p. 709., Madvigium Opuscc. acad. p. 169.; Zachariam *Sulla* 2. p. 76. Hüllmann *Röm. Grundverfassung* p. 297 seqq. Schulz *Grundlegung* p. 235.; quorum plerique vv. a Codd. satis munita aut transponenda aut delenda esse putarunt, in primis, ut dixi, alterum illud *renuntiatur*.

*) Veterem lectionem *deinde, ut assolet, suffragatum secunda classis vocatur* satis refutavi in Ed. mai., eademque ratione usus, mea annotatione nunquam, ut videtur, visa reiecit etiam Boner.

EXCURSUS

AD

ARCHIANAE 4, 7.

Data est civitas Silvani lege et Carbonis, si qui cet.] Libri omnes aut *Sillani, Syllani*, id quod nihil est omnino; aut *Silani*, quod Klotzio placuit. Item Scholiasta Bobiensis in argumento p. 353. Ed. meae: *Tunc Silanus et Carbo coss. legem tulerunt* cet. Ubi Maius: „Recte *Silanus*, non *Silvanus;* nam sic Codd. Cic. Certe Carbonem et Silanum coss. Marii aetate tradit Paterculus 2, 12." — Niebuhrius autem: „Ex XXII. codicibus a Lagomarsinio collatis XXI. habent *Sillanum* vel *Syllanum*, reliquus codex habuisse *Silvanum* credendus est." (qua quidem de re vehementer equidem dubito. Or.). „Fortasse igitur *Silanus* consul suffectus cum Carbone II. cos. Cinna occiso fuit (a. u. c. 670.). Quamquam vero comitia, aliquamdiu certe, ementitis religionibus impedita fuisse non ignoramus, ita ut Carbo solus consulatum gereret, fieri tamen potest, ut sub anni finem consul processerit *Silanus* legemque cum collega tulerit." — Iam de Silano Velleii l. l. manifestum errorem commisit Maius, non Niebuhrius, cui sine causa tribuitur a Stuerenburgio. Velleii verba haec sunt: *Cimbri ac Teutoni cum Caepionem Manliumque coss. et ante Carbonem Silanumque fudissent fugassentque in Galliis* cet. eaque referuntur ad M. Iunium Silanum cos. a. u. c. 645., septimo igitur ante eum, quo Romam primum venit Archias; quo anno 645. omnino de lege illa, „*qua civitas data est*," ne cogitari quidem poterat. Gratuitae autem Niebuhrii coniecturae Silanum nescio quem consulem suffectum esse Cinnae a. u. c. 670. obstat partim certa Fastorum Capitolinorum auctoritas, in quibus ad a. 670. Varr. haec leguntur: *Cn. Papirius Cn. F. C. N. Carbo II. solus consulatum gessit* (post Cinnam occisum). Quodsi

etiam ultimo illius anni 670. mense suffectus esset consul Cinnae, id pro certo in Fastis summa cum religione elaboratis notatum exstaret. Audiamus nunc Stuerenburgium Praefat. p. XIX. „*Sillani* (sic 4, 7. Codices omnes, etiam Erfurtensis) lex et *Carbonis* etiam a Scholiasta affertur neque confirmata est recepta ab omnibus fere editoribus coniectura Manutii, qui pro *Sillani* legendum esse censuerat *Silvani*. Probavit igitur etiam Niebuhrius apud Maium omnium codicum scripturam allato Velleio Pat., qui in Hist. Rom. 2, 12, 2. commemorat *Carbonem Sillanumque*" (*Silanumque* Codex Velleii Amerbach.), „Marii aequales, sine dubio eosdem, de quorum lege nostro loco fit mentio. Veri simile est igitur tulisse illam legem *Sillanum* et *Carbonem* circa a. u. c. 650. — " Haec satis superque refutata existimo iis, quae supra exposui. Cui, quaeso, quarto decimo ante bellum sociale anno de eiusmodi lege ferenda in mentem venire poterat? Quomodo M. Iunius Silanus cos. a. 645. vel ullam legem ferre poterat a. 650.?

Iam vero cum Manutius haec legisset apud Asconium in Cornel. p. 79. Ed. Baiteri: *M. Plautius Syllanus* (Ed. princeps:) *tribunus plebis*, *Cn. Pompeio Strabone*, *L. Porcio Catone coss. secundo anno belli Italici* (a. u. c. 665. Varr.) *cum equester ordo in iudiciis dominaretur*, *legem tulit adiuvantibus nobilibus; quae lex vim eam habuit*, *quam Cicero significat: nam ex ea lege tribus singulae ex suo numero quinos denos suffragio creabant*, *qui eo anno iudicarent:* cumque probe sciret praeterea ex Fastis *Silanus* esse cognomen gentis Iuniae, Plautiae vero *Silvanus*, et hoc quidem ex Fastis consularibus ad a. 752. Varr. atque ex Taciti Ann. 4, 22., Dione Cassio 55, 35., vere et accuratissime temporum ratione habita in Archiana et apud Asconium correxit *Silvanus*. Idem, ut debuit, ex certo Asconii testimonio de tribunatu M. Plautii, anno 665. etiam Carbonem (C. Papirium Carbonem Caii trib. pl. 623. oratoris filium, P. N.) collegam ei fuisse et participem legis de civitate danda statuit. Ex uno igitur, sed certissimo Archianae loco et a philologis et a ICtis post Manutium usque ad nostra tempora repetita est lex PLAVTIA (s. PLOTIA) PAPIRIA a nullo scriptore praeter Ciceronem memorata, quae ex novissimo-

rum editorum sententia nominanda esset lex Ivnia Papiria. Totam rem sic exponit Walter *Geschichte des Röm. Rechts* T. I. p. 241.: Um einen tüchtigen Mittelstand herzustellen, hatte schon Tib. Gracchus, Fulvius Flaccus und C. Gracchus die Aufnahme der Latiner in die volle Civität und die Ertheilung des Stimmenrechts an die übrigen Italiker, wie es bisdahin die Latiner gehabt hatten, beabsichtigt. Dieses war zwar nicht durchgegangen, jedoch hatten sich allmälig viele, die dazu eigentlich nicht befugt waren, in den Census und das römische Bürgerrecht eingeschlichen. Als nun das Licinische und Mucische Gesetz (de civibus regundis a. u. c. 659.) darüber eine strenge Untersuchung verfügte und die Unberechtigten in die Bürgerrollen ihrer Heimath verwies, entstand unter den Italikern eine grosse Bewegung, welche nach der Ermordung des Livius Drusus (663), der für sie das Bürgerrecht verlangt hatte, in einen für Rom höchst bedenklichen Krieg ausbrach. In diesem wurden gleich anfangs die Völker, welche die Waffen noch nicht erhoben hatten, dadurch gewonnen, dass ihnen ein Gesetz des L. Julius Caesar (664), welches sie in der Form einer freiwilligen Reception annahmen, wirklich die Civität verlieh. Während des folgenden Jahrs erhielten auch die meisten übrigen Völker nach einander, so wie sie sich unterwarfen, durch mehrere Gesetze das Bürgerrecht; zuletzt selbst die Lucaner und Samniter, die am längsten in den Waffen blieben. Mittlerweile war dieses durch ein Plebiscit der Tribunen C. Papirius Carbo und M. Plautius Silvanus (665) auch den Nichtitalikern angeboten worden, die in eine föderirte Stadt eingeschrieben und damals in Italien domiciliirt waren; und als bald darauf alle Municipien zur Civität erhoben wurden, so umfasste diese von selbst auch die ihnen adscribirten Ausländer. (Cic. ad Fam. 13, 30.)"

Quod lege Papia reum factum esse Archiam ait Scholiasta Bobiensis, id haud dubie hausit ex antiquiore aliquo Commentatore. Loci autem de hac lege praecipui hi sunt: Cic. de Offic. 3, 11, 47. *Male etiam, qui peregrinos urbibus uti prohibent eosque exterminant, ut Fannius* (sic Beier et Stuerenburg, volgo *Pennus*) *apud patres nostros* (a. u. c. 632), *Papius nuper*. Dio Cass. 37, 9.: ἐν τούτῳ πάντες οἱ ἐν τῇ Ῥώμῃ διατρίβοντες

πλὴν τῶν τὴν νῦν Ἰταλίαν οἰκούντων, ἐξέπεσον Γαΐου τινὸς Παππίου δημάρχου γνώμῃ, ἐπειδὴ ἐπεπόλαζον καὶ οὐκ ἐδόκουν ἐπιτήδειοι σφίσιν εἶναι συνοικεῖν. (a. u. c. 689.). Propter certissima haec testimonia respuendus est error Valerii Maximi 3, 4, 5. *M. Perpernae, cuius vita triumphavit, mors Papia lege damnata est:* quo ex testimonio cum Waltero p. 242. *incerta*, quam vocat, *lex Papia* ad a. u. c. 623. referenda esset. Nec vero facile duas leges Papias fuisse statuerim.

Superest alter locus difficilis 4, 8. *Si nihil aliud nisi de civitate ac lege dicimus, causa dicta est:* ubi multi Ciceronem de *civitate Romana* locutum esse putarunt, cum accipienda sint vv. de *civitate Heracliensi.* Post Iahnium Annal. 1. p. 191. Klotzius totam Ciceronis sententiam optime sic explanavit:

„Cicero folgert so: „Das Gesetz sagt, wer Bürger einer *foederata civitas* gewesen sei, wer seine Wohnung in Italien damals, als das Gesetz vorgeschlagen ward, gehabt habe und innerhalb sechzig Tagen sich beim Prätor gemeldet habe, sei römischer Bürger. Heraklia war eine *foederata civitas*, Archias in ihr Bürger, Archias wohnte in Italien, gab seinen Namen beim Prätor an, und so wäre sein Recht bestimmt.“ Allein sein Gegner will Documente wegen des Bürgerrechtes zu Heraklia; da ist nun das Stadtarchiv verbrannt, da sollen also die Zeugen gelten; allein die Gegner schenken auch dem öffentlichen Verzeichnisse des Prätors keinen Glauben und berufen sich noch ausserdem darauf, dass das Gesetz auch auf den Census dringe, den Archias nicht nachweisen konnte und von welchem Cicero aus eben dem Grunde nichts wissen mag.“

ANTE LECTIONEM EMENDANDA.

(Quae inclinatis litteris vides expressa, operarum sunt errores; quae rectis, lectiones praestantiores, praesertim a Klotzio commendatae.)

---

p. 11	v. 21	*fuerunt*
- 26		In Adnotationibus perturbati sunt paragraph. numeri inde a 44—58.
- 30	- 8	*argenti*
- 55	- 20	*in iis*
- 57	- 13	*orbem omnem*
- 65	- 34	*quisquam umquam-- Reg.*
- 71	- 22	*qui*
- 77	- 21	Cum multa (Stuerenburg ad Arch. p. 173.)
- 82	- 6	*aut idem possit in iudicio*
- 82	- 26	tamen ab se
- 88	- 11	*inquit, eius fundi*
- 88	- 24	experiri tamen. De castello
- 90	- 24	malum minaretur, hoc est, mortem minaretur
- 91	- 29	quid causae * opitularetur
- 93	- 15	Cum ita
- 94	- 14	deiicitur. Omnino; iam
- 95	- 7	ut distare
- 95	- 25	illud est turpissimum
- 96	- 5	saucius
- 100	penult.	*Tam restitues*
- 103	- 17	in interdicto
- 103	- 23	et cum saxis
- 104	- 14	*bonique iudicis*
- 106	- 24	potuit, is ipse
p. 108	v. 4	Vide Praefat.
- 109	- 4	*appelletis, vestrum*
- 111	- 4	*intercludere*
- 112	- 9	*sed ab eo*
- 112	- 12	*restituerer*
- 112	- 17	hoc uno verbo UNDE significari
- 114	- 9	possedisse: NEC VI NEC CLAM NEC PRECARIO POSSEDERIT
- 114	- 21	utrum hoc
- 116	- 10	quid ego commemorem? Dubium est nemini vestrum
- 116	- 25	noluerit
- 117	- 19	nostri iudicii
- 117	- 22	neque adimi
- 118	- 4	prudentissimumque
- 123	- 15	concepta
- 125	- 14	milibus civium Romanorum
- 130	- 1	studio atque odio inflammata
- 135	- 2	in singulis oris omnes
- 136	- 19	*quaestus*
- 137	- 20	ullo in numero
- 138	- 11	fecerint
- 138	- 30	*ars inaudita quaedam gubernandi*
- 140	- 28	nisi ad ipsum discrimen eius temporis
- 147	- 28	*omni etiam*] Sic scripsi. *omnium etiam* E. *etiam omni* Ern.

p. 159 v. 18 *pudicitia*
- 198 - 1 dele *te.*
- 215 - 8 *deduci*
- 246 - 8 *multos*
- 248 - 5 *bonorum*
- 290 - 11 *nostrum*
- 310 - 5 misereat
- 310 - 23 Tunc
- 312 - 18 senatus idem
- 314 - 16 voluntas, conventus
- 317 - 10 Apud parentem
- 319 - 5 hunc splendorem omnium, hanc Brocchorum domum
- 319 - 15 fuisset futurus

p. 320 v. 12 sibi ipsos
- 326 - 6 et scelere
- 328 - 21 quique, cum illum- -versati, cum audiret
- 330 - 10 atque Alexandrinum bellum gerente te
- 331 - 10 *a quo rex*
- 334 - 3 *mutandi loci*
- 334 - 16 iudicare
- 342 - 4 existimares
- 343 - 17 enim bene
- 344 - 25 *recubuisses*
- 383 - 1 *fratrem*
- 398 - 1 *futurum*